THESAVRVS
LITANIARVM AC ORATIONVM SACER.

Cum suis aduersus Sectarios Apologijs.

Studio & opera

P. THOMAE SAILLII, SOCIETATIS IESV Presbyteri,

Nouo ordine dispositus, & Litaniis de Martyrologio in singulos anni dies sumptis, auctus.

Contenta sequens indicat folium.



COLONIAE AGRIPPINAE,

Apud Ioannem Gymnicum, sub Monocerote.

ANNO M. DC.

Cum gratia & Priuilegio S. Cæsareæ Maiestatis.

PRIMA LIBRI PARS,

CONTINENS

Exercitia diuina ſingulis hebdomadæ diebus aſſignata.

SECVNDA PARS,

Varias precationes, & alia multa pia complectens.

TERTIA PARS,

Quaſdam defenſiones & nonnulla quæ ſpectant ad Martyrologium.

4



Ascendit fumus incensorum de orationibus SANCTORVM.
de manu angeli coram Deo. Apocal. 8.
Adestote angeli Dei, Deprecamini Patriarchæ, orate SS. Prophetæ,
estote Apostoli suffragatores: S. Victor Utic. de pers. Vand. lib. 3

Ioh. Hogenberg. Fe.

EXCELLENTISSIMO DOMINO, D. FRANCISCO DE MENDOZA ET CARdona, *Almiranti Arragoniæ, Marchioni de Guadeleſie, &c. Aulæ Regiæ, ac Sereniſſ. Cardinalis Alberti Auſtriaci Belgicæ Proregis ſummo Præfecto, ac Primario Magiſtro equitum*

S. P.

QVEMADMODVM non vna eſt ingenij, quod Deus Opt. Max. homini indidit, ratio atq; natura: ita nequaquam vnius ſunt generis media, quibus iuuari poſſit, vt conditorem ſuum amet & colat: alij namq;, qui in minori numero ponendi, interiore quadam animi collectione, & quodam quaſi in Deum aſcenſu, id aſſequuntur: alij, quorum pars maior, voce & ſpiritu id efficiunt: quibus ferè externis adminiculis opus eſt, vt ad excelſiora rerum Diuinarum arcana contemplando, ſeſe queant attollere. In horum verò comprimis gratiam, graues olim autores, qui variis ſeculis diuerſos precationum libellos concepêre, conſtat laboraſſe: tum vt ſpiritualium ægritudinum variis diſtinctisq; languoribus, qui interiorem illam appetẽdi facultatem, & (vt ita dicam) animorum orexin deiicere conſueuêre, præſtantem quandam facerent medicinam: tum

vt ad illius orationis, quam antiqui Eccleſiæ Patres mentalem vocauêre faſtigium, via minimè ſalebroſa ſterneretur.

Idem noſtrâ hac tempeſtate, qua (prô dolor) Dei ac Sanctorum cultus neglectior fieri cœptus eſt, id illi videntur ſpectaſſe, qui vſum ſacrarum Litaniarum frequentiorem conati reddere, eaſdem Romæ & Neapoli in Italia, Pariſiis in Gallia, Pragæ in Boëmia, Cracouiæ in Polonia, Ingolſtadij, ac Viennæ in Germania, Duaci atq; Antuerpiæ in Belgica, ſuo quiq; modo magno emolumento in lucem edidêre.

At enim cùm tanta earundem diuerſitas variè diſtrahat Lectorem, iisque moleſtiam generet, qui alioqui ſtudioſè paſcerentur ac gauderent hoc pietatis genere: operæpretium duxi fore, ſi quæ huius argumenti ex grauiſſimis Autoribus collegiſſem, ita concinnarem, typisque vulganda traderem, vt & Scriptoribus adeò diuerſis ſuus conſtet labor, & homines pietatis ſtudioſi, nunc legendo, nunc adiuncta tonorum dulcedine, modulando, deguſtent vno velut fonte manantes aquas ſpiritales, diſſimiles illas quidem, ſi externa ſpectentur: vniformes tamen, ſi ſcopus.

Qui ſanè ſcopus alius omninò eſſe non poteſt, quàm vt laude euehatur is, qui eſt omni laude maior, non in ſeipſo duntaxat, ſed & in cũctis Sanctis ſuis, quos nobis amicos, patronos conſultoresque eſſe voluit
1 ac defenſores. Quos inter cùm iure Deipara virgo Maria palmam teneat, quam nunc

San-

Sanctam Sanctorum, nunc *altissimæ Trinitatis consecratam habitationem*, nunc *Pincernam vini virgines germinantis*: nunc *spem vnicam peccatorum*, nunc *gaudium mortalium*, nunc *gloriæ nostræ præmium* vocari, aliisque sexcentis honorum titulis passim coronari videmus: nemo, sat scio, vitio vertet, si quas diximus, Litaniæ in synopsin compendiumque cogantur, quo distinctis hebdomadæ diebus, distinctæ quoque suppetant, eæque dulcissimo summorum huius æui Musicorum cantu iucundæ.

Bern. serm. 4. in Sal.
Aug. ser. 18. de temp.
Greg. Naz. de Christo patiente.
Hild. cap. 12. de Virgine.

Dubium enim non est, D. Bernardo teste, *quidquid in laudibus Dei matris proferimus, ad Filium pertinere: & cùm Filium honoramus, nos à gloria matris non recedere*. Vnde nec pertimescendos esse video temporis huiusce Nouatores, minusque candidos Mariæ cultores, quasi tam effusis eius laudibus, Christi Seruatoris gloria dignitasque obscuretur: quippe quem non lateat, grauissimum illud certissimumque Theologorum axioma, quo quæ per essentiam vel excellentiam Diuinis sunt attributa personis, ea participationis ratione quadam, non modò beatis illis mentibus, sed miseris quoque mortalibus, secundariò scilicet, & ex gratia quadam beneficioque diuino licere tribuere. Testis erit Gentium Doctor D. Paulus, Christi gloriæ acerrimus vindex, ipsiusque Ecclesiæ vsus vetustate confirmatus: dum ille quidem Philippenses ac Thessalonicenses *spem suam, gaudium & coronam gloriæ* nuncupare non formidat, iubetque *verbum Christi habitare in nobis abundanter, in omni sapientia docere, ac commonere nosmetipsos in Psalmis,*

Homil. 4. super Miss.
Philip. 4.
1. Thess. 2.

Hymnis & Canticis spiritualibus in gratia cantantes in cordibus nostris Deo. Hæc verò præcepit, *vt ante chorum huius Virginis dulcia cantica Dramatis frequentemus.*

Cùm siquidem cœlesti prorsus Harmonia ipsæ Angelorum Hierarchiæ illam quoque beatam prædicent, mirenturque potuisse ex hoc mundi deserto, vbi nihil est nisi labor, dolor & afflictio spiritus, ad sublimia illa tabernacula conscēdere spiritualibus deliciis affluentem, quæ sunt, *Virginitatis decus cū munere fœcunditatis, humilitatis insigne, distillans charitatis fauus, misericordiæ viscera, plenitudo & prærogatiua gratiæ singularis: cur non ab istis nos Hierarchiæ terrestres, exaltationes Dei in gutture ferentes, siue quòd didicimus, siue quòd mutuo hæc verba sumpserimus, magnis & canoris vocibus eam exaltemus, inexplebili ardore animi encomium illud iterantes, Aue Maria gratia plena, &c.*

Athan. ser. de Deip.

Cur non laudemus eam in choro & tympano, in sono tubæ, in psalterio & cythara, in chordis & organo, in cymbalis benè sonātibus, in cymbalis iubilationis, quæ aureo D. Chrysostomi testimonio, *sola cælum & terram amplitudine est supergressa, qua inter creatas res visibiles, aut inuisibiles nihil maius, aut excellentius inueniri potest? Per quam Trinitas sanctificatur, Crux pretiosa dicitur, & adoratur in toto orbe terrarum per quam exultat cælum, lætantur Angeli & Archangeli, fugantur dæmones, & homo ipse ad cælum reuocatur: per quam omnis creatura cæco idolorum errore detenta, ducta est ad lumen veritatis, & fideles homines ad sanctum Baptisma peruenerunt, atque in toto orbe terrarum Ecclesiæ sunt constructæ. Per quam vnigenitus Dei filius*

Serm. de B. Virgine.

Cyril. hom. 6. contra Nestor.

vera illa lux sedentibus in tenebris & in vmbra mortis effulsit: quæ denique tanquam mons sublimis, vt ad conceptionem æterni Verbi pertingeret, meritorum verticæ supra omnes Angelorum choros vsque ad solium Deitatis euexit. Greg. lib. 1. Reg. cap. 1.

Quæ omnia tametsi Excellentiæ V. & stemmate Matris Dei nomine insignito clarissimæ, ac Mariano ex ipsis cunis obsequio inclytæ non minùs perspecta sint, quàm cætera quæ ad alendam hoc afflicto rerum statu pietatem pertinent: placuit tamen ipsam eligere, cui hunc laborem, in hac postrema ad Cæsarem, Regemque Poloniæ, aliosque Germaniæ ac Sarmatiæ Principes legatione, otij fallendi gratia susceptum offerrem ac dedicarem. Partim quidem vt ipsius patrocinio munitus liber prodeat, ac teratur alacriùs: partim vt qualiscunque tandem laboris ac zeli fructum colligam vberiorem, id vnicè optans, vt non solùm Excellentia V. sed omnes prorsus Lectores hunc Thezaurum sacrum boni consulant, vtpotè vel ex diuinis sacræ Scripturæ diuitiis cõstructum, vel Patrum priscorum gazis locupletatum, & aduersus hæreticorum calumnias succincta Apologia vallatum: eumque desideriis seu immoderato frigore, seu lëto tepore debilitatis frequẽter subiiciãt, ac mystica quadam pinguedine ita erga Deum, ac Matrem eius, cæterosque cœlites inflamment, vt tota quæ ab ipsis fundetur oratio, instar incensi in conspectu Domini dirigatur. Ita namque Excellentia V. Diuinæ Maiestati facta coniunctior, non modò prosperam ac diu-

turnam vitam viuet, sed afflictissimo tot calamitatibus Belgio, peneque emortuo, spiritum nouum est afflatura, quaque est animi fortitudine, consilio, prudentia, pietate, pristinas vires etiam addet, vt sic postliminio tandem feliciora sęcula sperantur refluxura.

Nam quid non speretur ab eo viro qui Serenissimo Alberto Austriaco S. R. E. Cardinali, ac Belgicæ Proregi diuinitùs concesso, tam ob generis splendorem, quàm rarissimas animi dotes est coniunctissimus? Quid non ab eo quem lætis iuxta ac tristibus domi forisque casibus exercitatum, sibi semper constat constitisse simillimum? Quid non ab eo; qui ex clarissima Mendoziorum familia ortus, nihil æquè desideret, quàm vt non stirpe vel hæreditate, sed virtute potius, ac rebus præclarè fortiterque gestis nobilitetur? Summa promittit stemma vestrû, quod Maiores tui à Mauris Barbarisque intemeratæ Virginis infestissimis hostibus, qui nomen vocesque suauissimas ab Angelo è cœlis allatas frænis phalerisque equinis in contumeliam affixerant, obtinuerût, ac gladio forti ademerunt. Imò si te tuosque mores omni virtute cumulatos spectem, confido fore, vt assiduis hisce cum hoste certaminibus ac præliis, idem illud Deiparæ matris elogium, quod nefanda hæresis longè iam infra frænos equorum phalerásque voluntate deiecit, delectus modo magister equitum tantorum Deipara exercitum comitante, recuperes, & auitis maiorum tuorum

insignibus, nouum stellæ interradiet ornamentum. Scimus namque necesse esse, ibi esse victoriam, vbi Filia ac mater Domini exercituum, terribilis vt acies castrorum deesse nolit. Quæ vti exercitum Domini Sabaoth, atque Excell.V. in medijs hostium telis, vt hactenùs tegat, eamq; incolumen quàm diutissimè huic Belgio nostro, cæterisque prouincijs, in quibus odorem suarum virtutum latè diffudit, ac ingens desiderium sui reliquit, tueatur, etiam atq; etiam rogo. Bruxellæ è domo Societatis IESV, M.D. XCVIII. Kalendis Ianuarij.

Excell. V.

Addictiss. in Christo Iesu

THOMAS SAILLIVS.

INCLITI PRINCIPIS FRANCISCI DE MENDOZA INSIGNIA.

DVM quondam horribili irrueret grauis agmine Maurus:
Hâ, ait, pra vno nostra lauanda Tago.
Audijt hæc Mendoziades longo ordine Auorum
Inclytus; & superæ deuocat arcis opem.
Mitis Aue Virgo, tuus en vocat hostis: eunti
Diua faue, Ensis hebes; cos eris. Vna faue.
Annuit hæc. Tum Relligio grauis omnibus anteit:
Se adglomerant lateri zelus, & agmen init.
Maurus, Aue, ridens phaleris id figit equorum.
Mentis inops sensit ludibria æquus equus
Tympana, tela, tubæque, & quidquid prælia norunt.
Tum coit: at Zelus per media arma ruit.
Vincit Aue. properat cœlo victoria: laurus
Multa virens infit: Sit tibi Laurus, Aue
Stratorum hinc latè phaleras detraxit equorum:
Istud Aue, in torquem ac symbola Victor habe.
Mendozam Rex Hesperiæ, ac gens omnis Ibera
Excipit aucta tubis tibia reddit Aue.
Maius habe hoc tibi, quàm quoduis de Colchide vellus,
Rex ait. Huic cedas Gryps, Aquila, Vrse, Lea.
Ergo Heros Mendoza quibus Natalibus iste
Irradiet Clypei fulgidus vmbo, vides.
Torquatis hic Ausonij te celsius effert:
Vt sis Hesperijs lumen, & Ausonijs.

Deo IESV ac Deiparæ Virgini gloria.

QVID nubilum, sudumq; per summum, per &
Decliue cœli ſtat iubar?
Tuæne vitæ lubricum refert ſtatum
Mendoſa ſolis æmule?
Certè quidem. Namque à iuuentæ limine
Ad vſque canentem comam
Afflictionum paſſus es nimbos graues
Liuoris impotentia,
Phœbi inſtar obtendens facem quâ militi,
Quâ conſulenti Curiæ
Imcomparatâ diſciplina, moribus
Fidelitate, induſtriâ.
Quæ tanta virtus inuidenda liuidis,
Cùm te ſupremo identidem
Dignè ſtitiſſet amplitudinis gradu,
Sponte obſequuta nubibus
Iniurioſis, mox ad imum propulit
Ridente nequicquam inuido.
Nam Phœbus, occidat licet, ſurgit tamen,
Rumpensque nubilum chaos
Priſcos amœnâ luce vultus purpurat
Summoque ſubſidit polo.
Tanta nigrantem nubis euincunt globum
Virtute Titanis comæ.
Sic occupatum liuidis nimbis tuum
Per quicquid obſtitit, caput
Non infrequenter extuliſti; ab infirmâ
Surgens ruina clarior
Valentiorque, quàm ſuo caſu valens
Antæus impar Herculi.
Quæ cauſa? Virtus vſque victrix: arduos
Virtus per obices ruens:
Virtus negatâ quæ petit cœlum viâ,

Vt palma non volens premi
Hæc illa virtus innocens,nec vllius
Probri obſoleta ſordibus,
Quâ Celtiberos inter omnes emicas
Intaminata gloria
Equeſtrium Dux auſpicatus ordinum
Vt Belgium ſtratum leues.
Eia fidelis officina conſilij
Digniq́ue forma Principis
Mendoza,cuius prima certa Prorex Belgij
Albertus ora conſulit,
Perge irreflexus continente ſpiritu
Ad ſumma,quà ſecat viam
Tua vſque Victrix nubili virtus probri:
Res eſt gerenda viribus.
Nam quanta Belgas fluctuum nox obruat,
Quàm cæca tempeſtas diem
Cœlumq́ue nimbis bellicoſis implicet,
Et cernis,& tangis manu
Euge ergo prome feruidus tuum iubar
Differre nubes efficax:
Caliginesq́ue Martiales Belgici
Cœli reterge Adoreâ.
Sic liuor ater te peroſus,coccino
Lugubre mutabit ſagum.
Aut atriore fœdus ægrimonia
Claudetur æterno ſpecu.
Tu,ter quaterq́ue ſole puro clarior
Sedes Beatorum coles.

PRÆFATIO AD CHRISTIANVM ET PIVM LECTOREM.

HABES Christiane Lector, iampridem à multis desideratum Litaniarum Thesaurum sacrum cum succincta earum Apologia, ac variarum deprauationum, quas in ijs corrigendis admisêre Sectarij, confutationem. Restat vt ijs piè frequenterq; ad Dei Opt. Max. ac matris eius sanctissimæ gloriam, cæterorumque cælitum exaltationem, necnon animi tui consolationem vtaris. Quod vt citius assequaris, non parum iuuerit, si tria hæc perpenderis capita: quorum primum de ijs tractat, quæ ad Sanctorum venerationem iuuant ac mouent: Secundum de modo quo sunt honorandi: Tertium de his quæ ad venerationem congruam sunt necessaria.

QVoad primum, ante omnia leges vitam Sanctorum, quod fieri debet in silentio, magna cum attentione & custodia sensuum: considerando eam sedulò, cum puritatis affectu, pietate & religione Christiana. *De his quæ iuuant ad SS. venerationem.*

2. Considerabis illos esse coheredes Christi: & cæli Principes, iamque in æternæ illius gloriæ splendore collocatos, summa fœlicitate frui.

3. Beatas illas & fœlices animas honoratas esse, & honorari ab Angelis sanctis, & in primis à SS. Trinitate.

4. Sanctos maxima nobis & innumerabilia beneficia à Deo impetrare posse, sicut adhuc multis alijs impetrârunt, atque ita magis agnosces fragilitatem tuam

& egestatem animæ indigentis gratia Dei.

5. Pones tibi ob oculos horam periculosissimam mortis, in qua circundatus eris impuris spiritibus, paratis vt te rapiant, & præcipitent in interitum sempiternum. O quantum iuuerit tunc habere vnum aut alterum Angelum, vel aliquos Sanctos tibi assistentes, qui te adiuuent, furiasque istas tartareas in fugam vertentes, te æternæ beatitudini, in qua illi nunc gloriosè triumphãt, adscribendum à Deo impetrent?

De modo quo Sancti debeãt honorari.

QVoad secundum Caput, primò eligas tibi Sanctos ex singulis choris, hoc est, aliquos Angelos, Patriarchas, Prophetas: aliquos ex Apostolis, aliquos ex Martyribus, & sic de alijs iuxta deuotionem & amorem tuum erga illos.

2. Istos Sanctos quos elegeris, singulis diebus honorabis, recitando aliquas illorum laudes, vt sunt Hymni, Psalmi, aut aliæ id genus Orationes: vel in honorem illorum euitabis certos quosdam defectus, quos in te agnoueris, ac virtutes aliquas, quibus ipsi dum vixerunt, pollebant, inferes in mores tuos, eas opere exercendo, faciendo etiam interdum aliquos deuotionis actus, vt sunt genuflexio, tunsio pectoris, refrenatio linguæ, fuga dissolutionis, carnis castigatio, & his similis mortificationes voluntariæ. Nam (vt ait Dionysius. Areopagita) impossibilium superflua spe ille suspensus, qui Sanctorum flagitat preces, & naturæ ipsorum consentanea, sacras operationes abigit. *Pulcherrimè autem Diuus Chrysostomus modum honorandi Sanctos præscribit his verbis,* Qui Sanctorum merita religiosa charitate miratur, quique iustorum glorias frequenti laude colloquitur, eorum mores sanctos atque iusti-

Li. Eccl. Hier. cap. 7.

tiam

tiam imitatur: quoniam quam delectat Sancti alicuiusmeritum,delectare debet par circa cultum Dei obſequium. Quare aut imitari debet ſi laudat,aut laudare non debet, ſi imitari detrectat: vt qui alium laudat,laudabilem ſe reddat:& qui Sanctorum merita admiratur, mirabilis ipſe vitæ ſanctitate reddatur.Nam ſi propterea iuſtos fideleſque diligimus,quòd in ipſis iuſtitiam fidemque ſuſpicimus, poſſumus nos quoque eſſe quod ſunt,ſi faciamus ipſi quod faciunt. Neque enim difficile nobis eſt, quod ab ipſis geritur imitari,cùm ſine præcedēti exemplo, ab antiquis talia geſta conſpicimus: vt non ipſi aliorum æmuli redderentur, ſed æmulandæ virtutis ſeipſos nobis præberent exemplum: vt dum nos ex ipſis & ex nobis alij proficiũt, ſic Chriſtus in ſuis ſemper ſeruis in Eccleſia ſancta laudetur. *Serm. de mar. to. 3.* *Notá.*

Aſſiduè autem interdiu recordaberis Sanctos tibi eſſe præſentes, maximè verò eos, quorum feſtum eo die celebratur. Quare reuerentiam illis exhibendo, te eorum tutelæ commendabis, memor dicti illius S. Ambroſij. Te tantum apud domeſticos Dei interceſſionis promereri, quantum venerationis impenderis. *Ambroſ. Ser. 93.*

3. *Præter iam dictam electionem Sanctorum iuxta affectionem animi tui erga illos, poteris aut omnes ſimul quotidiè honorare aut aliquos Verbi gratia, Die Dominico, Sanctiſſimam Dei genitricem Mariam.*

Feria 2. Sanctos Angelos cum SS. Patriarchis & Prophetis.

Feria 3. SS. Apoſtolos cum SS. Euangeliſtis Diſcipulis Domini & Innocentibus.

Feria 4. Sanctos Martyres.

Feria 5. Sanctos Confessores, Pontifices, cum SS. Doctoribus.

Feria 6. Sanctos Religiosos, cum SS. Sacerdotibus, Leuitis & Confessoribus Laicis.

Sabbatho, Sanctas virgines, cum SS. Viduis & Mulieribus, faciendo opus aliquod particulare, vt dictum est, in honorem illarum, ex ijs præcipuè quæ Ordinis eo die occurrentis propria sunt. Die Dominico exempli causa, decebit in honorẽ B. Virginis aliquid facere, quòd aut nutriat, aut conseruet, vel augeat humilitatem & candorem animi, &c.

4. Vt omnia ordinatè fiant, & cum maiore feruore, conferet plurimum, non solùm diem præscribere tibi, quo Sanctos venereris, sed certam quoque horam ad id quotidiè constituere.

De requisitis ad Sanctorum cultum.

QVoad tertium caput, Primò requiritur, vt habeas cõtritionem & dolorem de peccatis tuis, quæ te longè à Diuina Maiestate separant, distinguunt à sanctitate & gloria Beatorum.

2. Vt procures tui confusionem, conferens Sanctorum vitam cum tua: quãtum nimirum hæc flagitiosa sit, & differãt ab illorum pia conuersatione: ponderando, ita ex vna parte virtutes eorum & mores sanctos, & ex alia multitudinem tuorum peccatorum.

3. Vt excites te ad amorem Dei, considerando eum esse authorem & principium cœlestis illius & æternæ fœlicitatis, atque ita Sanctorum summam beatitudinem admirando, amabis illos ex intimo corde.

4. Vt ponas tibi ob oculos Sanctorum labores & ærumnas, quas in hoc mundo pro Christo Domino assiduè pertulerunt: & illorum beatitudinem & gloriam nullum vnquàm habituram finem: contra verò quàm

breui fœlicitas impiorum (si modò fœlicitas, quæ illos rapit ad æternos cruciatus, appellanda est) finiatur, pœna eam subsequente intolerabili, & in omnem duratura æternitatem.

5. *Vt agas Deo gratias, hoc est, vt Sanctos gratias Deo reddentes de gloria sempiterna ab eo sibi concessa adiuues. Qua in re sine dubio rem gratam illis feceris, quandoquidem ipsi quodcunque creatum ad benedicendum Deo, & gratias illi referendas pro tantis beneficijs, adhortantur & inuitant. Si enim tres illi pueri liberati ex fornace Babylonica Deo in suis creaturis benedicebant, quantò magis ipsi Beati erepti ab incendio æternæ damnationis?*

6. *Vt habeas spem acquirendi gloriam illam, in qua Sancti sunt collocati. Nam & idem Deus est, & misericors, & qualis tunc fuit: & nos & ipsi homines, sed requiritur vt illorum vitam imitemur.*

7. *Vt excites animum tuum ad exercitationem virtutum, vt dictum est suprà, eorum præcipuè Sanctorum, quos illo die colis, extirpando defectus, eos præsertim, in quo sæpè grauiter incidis: quibus te piè commendando rogabis, vt te in vincendis & eradicandis vitijs tuis, acquirendisque eorum virtutibus adiuuent: quò eos possis habere comites tuæ peregrinationis, tibique aßistant præsentes & Aduocati in hora mortis tuæ.* Inuoca. SS. probatur script.

Adhæc autem præsidia non eò solùm tempore, sed toto vitæ curriculo tibi confugiendum esse, vetusto disces exemplo Iacob, pia mente Angelum inuocantis, qui se è cunctis malis eripuerat. Hunc virum sanctum, cæterosq; Patriarchas, Abraham & Isaac, ad sibi opitulandum Moyses prouocat; cumque profusis lachrymis Tobias preces funderet, præstò fuit alius Angelus, qui eas offerret altißimo: vt & viginti quatuor, Gen. 48. Deut. 9. Tob. 12. Apoc. 5. Inuoca. ss. prob. ex

Seniores fecêre, qui habentes phialas aureas, plenas odoramentorum, ceciderunt coram Domino, Hos & sanctos Angelos, Prophetas & Martyres, vt pro se apud Deum supplicent diuus rogat Basilius, quò per illorum mediationem propitius sibi sit Deus, & remißionem peccatorum gratis largiatur.

Hinc antiquißimus ille Litaniarum introductus vsus, de quibus idem Basilius. Cùm eas (*inquit*) dicimus, non humanis verbis, sed oraculis Spiritus Deum placamus. *Hac de causa S. Sergius Pontifex quatuor festis Annunciationis, Purificationis, Natiuitatis & Assumptionis, B. Virgini Litanias aßignauit. Accedunt & Orthodoxorum Patrum Concilia: quibus præscribitur, vt ante Ascensionem Domini, ipsis Calend. Nouemb. ac Idib. Decemb. Litaniæ cum triduano celebrentur ieiunio. Quod & Iustinianus Imperator non solùm exemplo, dum vt Reipub. Imperioque fæliciter præsit. Diuam inuocat Virginem, sed lege quoque lata egregiè comprobat.*

patrib. Epi. ad Iul. Ap. & Epist. 63. An. 689. Sibebert. in chronic. Prob. ex con. In com. Aurei cap. 20. Gerundensi Tolet. 5. ca. Bracar. 11. cap. 9. Leg. 1. c. de officio præfecti.

PRIMA

PRIMA LIBRI PARS CONTINENS EXERCITIA DIVINA SINGVLIS hebdomadæ diebus assignata.

MODVS ORANDI SINGVLAS Sanctissimæ Trinitatis personas.

Quamuis Sanctissimæ atque indiuiduæ Trinitatis opera à dextra sint indiuisa, & communia tribus Diuinis personis: ad animi tamen affectus sigillatim erga illas excitandos, iuxta tres animæ potentias; ac tria nostrarum actionum genera, ea spectando potissimùm, quæ à sanctis Doctoribus vnicuique personæ attribuuntur: hoc est, Patri potestas, Filio sapientia, Sanctoque Spiritui bonitas, sequens exercitium subijciendum duximus. Qua etiam ratione possent homines Religioni exerceri, Patri obedientiam offerentes, paupertatem Filio; Spiritui sancto castitatem, auxilium ad eadem vota seruanda petendo. Postremò ad singulas Diuinas personas addentur Litaniæ ac Orationes ex varijs sacræ scripturæ locis excerptæ.

Dicta ergo primo loco Oratione Dominica, aut alia quapiam Oratione aut Psalmo, gratias agam Patri æterno de cunctis quidem in genus humanum beneficijs, præsertim tamen de creatione. Item de amore, quo sic dilexit mundum, vt Filium suum vnigenitum daret.

2. *Offeram omnia vitæ ac passionis dilectissimi eius*

Filij merita, & in illorum vnionem meipsum totũ, præcipuè autem memoriam & opera mea.

3. Petam quæ & mihi, & proximis meis necessaria sunt, præcipuè tamen vt memoriam meam sanctis pijsq; cogitationibus imbuat: vtque fortitudinem ac vires ad bona opera strenuò propaganda, itemq; ad dæmonis tentationes propulsandas præbeat. Omnia denique per Christi merita petam, dicens: Per Dominum, &c.

Offic. Eccles.

Athanas. in Symb.

LITANIAE AD SANCTISSIMAM TRINITATEM.

Præsertim autem ad Patrem.

† In nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti. Amen. Ant. *Tres sunt qui testimonium dant in cælo, Pater, Verbum & Spiritus Sanctus, & hi tres vnũ sunt.* 1. Ioan. 5.

Kyrie eleyson, Christe eleyson, &c. vt suprà. Sancta Trinitas vnus Deus, Miserere nobis.

Creatrix & gubernatrix omnium sancta & indiuidua Trinitas

Gen. 17. Vera & vna Deitas

cap. 1. c. 24. Vna & summa Deitas

Et Mat. 22. Sancta & vna Vnitas

Gen. 33. Vna Diuinitas Patris & Filij & Spiritus sancti

Luc. 6. Qui vnus es in substãtia, Trinus in personis

Exod. 34.

Deut. 32. Qui semper idem es, viuis & intelligis

Spes nostra, Salus nostra, Honor noster, ô beata Trinitas.

Miserere nobis.

Libe-

Liberator, Saluator, viuificator noster ô beata Trinitas
Sancte Deus fortis, S. & immortalis — *Psal.7.8.*
Deus omnipotens
Deus qui cœlum & terram creasti
Deus Abraham & Deus Isaac, ac patrũ nostrorum. — *Isa.10.* *1.Pet.5.*
Deus Israël fortissime
Deus altissime — *2.Mat.1.*
Deus Dominator — *Acto.17.*
Deus misericors & clemens
Deus fidelis, & absque vlla iniquitate — *2.Cor.1.*
Deus scrutans corda & renes — *Rom.15.*
Deus Iudex, iustus fortis — *Timoth.1.*
Deus Iacob susceptor noster
Deus noster refugium & virtus
Deus qui facis mirabilia solus
Qui notam fecisti in populis virtutem tuam. — *Rom.15.*
Qui redemisti in brachio tuo populum tuum.
Deus Exercituum fortis — *Symb.*
Deus auctor omnis gratiæ — *Athan.*
Deus benedictus per omnia
Deus in quo viuimus, mouemur & sumus.
Deus qui consolatur nos in omni tribulatione nostra.
Deus patientiæ, solatij & spei
Deus Rex seculorum immortalis & inuisibilis. — *Ephes.3.*
Deus & Pater Domini nostri IESV CHRISTI. — *Ioan.4.* *Mar.14.*
Pater misericordiarum

Miserere nobis.

Ioan.3.cap. & 10. Pater qui cum Filio & Spiritu Sancto vnius es diuinitatis, coæqualis gloriæ, coæternæ maiestatis.

Ioan.6. Pater increate, immense, & æterne

Ioan.17. Qui à nullo es factus, nec creatus, nec

Ephes.1. genitus.

Heb.12. Pater ex quo omnis paternitas in cœlis & in terra nominatur.

Pater qui quæris in spiritu te adorantes

Pater cui omnia sunt possibilia

Pater Christi qui vsque modo operaris

Pater qui es, & manes in filio

Pater viuẽs, qui filium diligis & ipsum misisti.

Pater iuste & sancte

Pater gloriæ

Pater spirituum

Miserere nobis.

Kyrie eleyson, &c. Pater noster, &c.

Vers. Benedicamus Patrem & Filium cum sancto Spiritu.

Luc.11. Resp. Laudemus & superexaltemus eũ

Sap.12. in secula.

Psal.142. Vers. Benedicat nos Deus noster, be-

Ezech.36. nedicat nos Deus.

Resp. Et metuant eũ omnes fines terræ.

ORATIO AD S. TRINITATEM.

Omnipotens sempiterne Deus, qui dedisti famulis tuis, in confessione veræ fidei æternæ Trinitatis gloriã agnoscere, & in potentia Maiestatis adorare vnitatẽ: quæsumus vt eiusdẽ fidei firmitate ab omnibus semper muniamur aduersis. Per Dominũ nostrũ, &c.

ORATIO AD PATREM.

PAter noster cœlestis, da nobis Spiritum tuum bonum & suauem, qui deducat nos in terram rectam, aufer cor lapideum de carne nostra, & da nobis cor carneum, & fac vt in præceptis tuis ambulemus, & iudicia tua custodiamus, ac operemur. Trahe nos ad filium tuum, quem misisti Iesum Christum, pro nobis crucifixum, Dominum nostrum. O Domine messis, mitte operarios in messem tuam, & concede propitius, vt in tuo diuino seruitio incipiamus, & perseueremus vsque in finem. In nomine eiusdem dilectissimi filij tui Domini nostri Iesu Christi: Qui tecum, &c. *Finem facias benedictionem petendo, illis verbis.* Benedictione perpetua benedicat nos pater æternus.

Luc. 15. *Sapient. 12.* *Psal. 142.* *Ezech. 36.*

ALIA ORATIO AD PATREM, Filium, & Spiritum Sanctum.

PAter cœlestis qui creasti me cùm non essem, qui redemisti me cùm perditus essem, qui regis & gubernas me ab infantia mea, & ad vltimum beatitudinis æternæ finem tam multis auxiliis, tanta cum beneficētia deducis, quam ego charitatem huic charitati tuæ rependam? Tribue ipse mihi tu pater piissime eam, quam ego possem tibi dignè retribuere. Dirige precor cor meum in dilectione tui. Da mihi charitatem rectam, vt amem in te quod debeo, congaudeam ex præcordiis meis tibi, de interno bono infinitæ tuæ perfectionis essentialis, de Maiestate, de sapientia, de bonitate, de beatitudine tua superfelicissima, æterna, indepen-

denti, prima, & à qua esse, & perfectio omnium creaturarum procedit, conseruatur & consummatur. Congaudeam de æterno bono & gloria nominis tui. Concupiscat anima mea incessanter in se, & in omnibus rebus augeri hunc ipsum honorem tuum, & beneplacitum. Occupa Deus totum cor meum, quod tam multis modis totum tuum est, vt te solum,& quæ tecum viuunt diligam, vt terrena omnia,honores, diuitias,delicias tāquam stercora reputem, vt prosperis & aduersis casibus sim superior. Tribue Deus meus vt in omnibus beneplacitum tuum intendam & quæram, nec rem, nec personam vllam nisi propter ipsum amem,& non solùm statum vitę meæ; sed singulos etiam actus,ad ipsum dirigam, ad alia omnia cogitanda & operanda languens & ineptus.

Amem & te Domine Iesu Christe, qua intentione debeo, non tantùm propter me, quia protector meus, salus mea, iustitia,sapientia, virtus, beatitudo, & bonum omne meum tu es: sed potius diligam te propter te, quia benefactor es, quia prior dilexisti me, qui summè bonus, & summè amari dignus es.

Amem & te Spiritus alme quomodo debeo. Auge in me lumen discretionis, ad inueniendam & implendam volũtatem tuam, vt te secùndùm te diligam, & non aliter quàm vt tibi placet: ne proprium quidem bonum vitæ, aut patriæ velim, vt vnus tecum Spiritus fiam, vt in te totus per omnimodam voluntatis conformationem transformer, à

me prorsus egrediens, & in te toto corde transiens, qui es summa & perfecta bonitas, & solùm amabilis in sempiterna secula seculorum, Amen.

Alia oratio ad inflammandum animum in Deum.

OMnipotens sempiterne Deus, conditor cœli & terræ, vniuersorum Dominus & conseruator, moderatorq; infallibilis, quem nulla latet cogitatio, qui me ad imaginem & similitudinem tuam creasti, & in præsens tempus in esse tam nobili conseruas, per vnigenitum Filium tuum laboriosissimè ex mera charitate liberasti, ad nominis tui benedicti agnitionem, & ad tam sanctam Religionem Christianam & dignitatem peruenire fecisti: à multis animæ & corporis malis, periculis atque tribulationibus, ab innumeris quoque peccatis, & peccatorum voraginibus, & à damnatione perpetua sæpissimè liberasti, ad æternam deniq; beatitudinē elegisti, prout me confidere de tua misericordia fecisti. Pro his & innumeris aliis bonis: quæ operatus es in me, & in omni creatura, tibi sit honor & gloria, & gratiarum actio, cordiale seruitium, castus timor, & sincera dilectio in omnia sæcula.

OPTIME Domine, fac me tandem esse gratum, & pessimis ingratitudinibus, & peccatis meis infinitis tibi (non mihi) perfectè cognitis, clementer ignosce. Vince malitiam meam tua clementia. Dona mihi

humilem, & discretam recognitionem, veram pœnitentiam & emendationem. Fac vt in posterum non ampliùs te offendam, sed amicitiam tuam perdulcissimam, & gratiam tuam pretiosissimam affectuosissimè diligam, studiosissimè requiram, statim inueniam cum perseuerantia, per tuam infinitam dignationem & misericordiam. Fortifica me in corpore, & in anima, ad seruiendum tibi. Fac me debitè vti creaturis, & sobriè tantummodò pro nominis tui gloria.

PIISSIME Iesu, tibi & sancto Spiritui gratiarum actiones refero æqualiter, sicut æterno patri, qui voluisti de eodem spiritu concipi, nasci de purissima Virgine Maria, & homo fieri; Quid tantæ charitati & misericordiæ rependam? Quid mortali vitæ, & perpetuæ pœnitentiæ quam nobis exhibuisti? Et quòd te totum nobis impendisti scilicet te ipsum tam gratiosum, & virtuosum, & gloriosissimum exhibendo in familiari conuersatione cum hominibus, maximè pauperibus, atque simplicibus, in exemplari vita omnis perfectionis, in dulcissima prędicatione regni Dei, & gloriosissimorum miraculorum ostensione. Quid obsecro benignissime Iesu, & verissime amator reddam pro persecutionibus, insidiis, tristitiis, sanguineo sudore, derelictione, captione, iniuriis totius noctis, nudatione, flagellatione, coronatione, crucifixione, tormentis crucis, crudeli morte, & tanta charitate, atque dulcissima affectione, nec non pro tam

ſuaui corporis & ſanguinis tui refectione? Gratias ago, quantas valeo, optime Domine, & rogo fac me participem omnium meritorum, & bonorum tuorum, fac me gratum exiſtere & te redamare, vicemque reddere. Rogo inſuper, vt circa hoc Reuerendiſſimum Euchariſtiæ ſacramentum indignitati meæ, vilitati, irreuerentiis, & negligentiis clementer ignoſcas. Et piiſſime Ieſu, tu qui es æterna patri ſapientia, doce me ſapientiam (vt tu ſolus mihi ſapias, & alia omnia deſipiant) prudentiam, recta cõſilia, diſcretionem in conſcientia mea, & ſancto ſeruitio tuo. Fac me ſtrenuum, adiuua me contra puſillanimitatem, errores, phantaſias, ſcrupuloſitates: aperi mihi intellectum in ſacra ſcriptura, non pro curioſitate, ſed pro vera ſapientia & charitate tua cõquirendis. Fac me intelligere beneplacitum tuum, & gaudiosè adimplere. Fac me reuerenter ſtare in oculis tuis ſicut oportet. Libera me à cura, & ſollicitudine ſuperflua terrenorum, vt valeam tibi magis placere, & ad te ſecuriùs & citiùs peruenire. Conforma me tibi in moribus, dona modeſtiam, humilitatem, obedientiam, patientiam, ſobrietatem, caſtitatem, & quæcunque ſunt ad ſtatum meum neceſſaria.

O benigniſſime Domine Spiritus ſancte, viuifica me, vt odio habeam quæ odis, & diligam quæ diligis. Fac me fortiter in virtutibus proficere. Confirma me in ſancta fide Catholica debitè intellecta, in certa ſpe, vt innitar ſuper te, & rogo, fac me benè de

te ſentire, & dona mihi tui fiduciam. Dona mihi ſemper te colere pura mente & ſecura conſcientia, te caſtè reuereri & diligere, ardenti affectu ad te anhelare, à te nũquam ſeparari. Occide omnes carnales, ſeculares, creaturalesque affectiones in me. Fac me filium gratiæ & gloriæ tuæ, pro tua liberalitate, & maxima dignatione. Te vnice Domine Deus, Trinum in perſonis confiteor, Patrem, & Filium, & Spiritum ſanctum, & vnum in eſſentia. Et tibi Domino Deo meo, ex cuius bonitate, & in cuius poteſtate omnia ſubſiſtunt, quem nihil latet, qui præſens es, & cor meum nunc & ſemper intueris, me totum commendo, & te ſecundùm quod in te ipſo es, ſimpliciter veneror & adoro, ſubdendo me iugiter optabiliſſimo beneplacito tuo.

LITANIAE AD DEVM DOMINVM NOSTRVM, & Verbum Patris.

Bern. ſerm. 5. in cant. *HOC tibi electuarium habes, ô anima mea, reconditum in vaſculo vocabuli huius quod eſt* IESV. *Salutiferum certè, quod nulli vnquam peſti tuæ inueniatur inefficax, ſemper tibi in ſinu ſit, ſemper in manu quò tui omnes in* IESVM *& ſenſus dirigantur & actus.*

† In nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti Amen. *Ant.* Omnis qui inuocauerit nomen Domini, ſaluus erit. *Ioel ca. 2. Roman. 10.*

KYrie eleyſon, Chriſte eleyſon, Kyrie eleyſon. Ieſu audi nos. Ieſu exaudi nos.

Pater de cœlis Deus.
Fili Redemptor mundi Deus.
Spiritus Sancte Deus.
Sancta Trinitas vnus Deus.
Verbum quod erat in principio. *Ioan.1.*
Iesu admirabilis Consiliarie.
Iesu ad quem omnia respiciunt.
Afflictorum consolatio.
Adiutor fortis. *Psalm. 70.*
Amator humanæ salutis. *Isa.16.*
Agnus Dominator. *Psal. 109.*
Ante Luciferum genite.
Bellator fortis.
Caput iustorum.
Contemplatio Patriarcharum.
Confortatio Confessorum.
Corona Virginum.
Castitas Viduarum.
Cui data est omnis potestas. *Isa.22.*
Clauis domus Dauid. *Sapien.7.*
Candor lucis æternæ. *Isa.20.*
Dator Spiritus.
Desiderium animæ.
Decus cœleste, & Dei nostri,
Defensor Ecclesiæ militantis, *Cap.6.*
Declarator sanctissimæ Trinitatis,
Delectatio mentium, *1.Tim.6.*
Domine Dominatium, & Rex Regum, *Ioan.13.*
Domine & Magister, *Abac.3.*
Doctor iustitiæ, *&*
Deus meus & saluator, *Iob.19.*
Deus fortis, *Isa.c.9.*
Deus omnipotens, *Apoc.1.*
Dux noster, *Dan.9.*

Miserere nobis.

Aeter-

	Aeternitas viuentium,	Miserere nobis.
Ierem. 14.	Expectatio Israël & gentium,	
& Genes.	Electe ex millibus,	
49.	Fili Altissimi, & Mariæ virginis.	
Cant. 5.	Fili Dauid,	
Luc. 1. *&*	Fili Dei viui.	
2. *cap.*	Flos campi.	
Prouer. 30.	Fructus vitæ perpetuæ.	
&	Fortitudo pauperum.	
Matt. 16.	Fons vitæ.	
Cant. 2.	Gloria Domini.	
Isa. 25.	Gloria Mariæ virginis matris.	
Isa. 5.	Hilaritas mœrentium.	
	Honor curiæ triumphantis.	
	Illuminatio Prophetarum.	
	Iuste iudex.	
	Lapis probate & pretiose.	
Isa. ca. 28.	Lapis angularis,	
	Lætitia fidelium,	
	Liberatio tentationum,	
Luc. 24.	Lignum vitale, ac viride,	
Cant. 1.	Lilium conuallium,	
Isa. 49.	Lympiditas omnium angelorum.	
	Lux mundi,	
	Lumen cœli,	
	Manna suauissimum,	
	Merces omnium sanctorum.	
	Mel in ore.	
	Melos in aure.	
	Mediator Dei & hominum.	
1. *Timot.* 2.	Iesu qui solus habes immortalitatem, & lucem habitas inaccessibilem.	
1. *Timot.* 6.	Iesu Nazarene, Rex Iudæorum,	
Ioan. 19.	Nectar cœlitum.	

Norma Apostolorum.	
Odor agri pleni.	*Gen. 27.*
Oleum effusum.	*Cant.1.*
Ostium paradysi.	
Oriens ex alto.	
Pastor bone omnium pastorum.	*Luc.1.*
Pauor inferni,	*Ioan.10.*
Propheta magne,	
Princeps pacis.	*Isai.9.*
Perfecta fœlicitas.	
Plena iucunditas,	
Refugium peccatorum,	
Rex gloriæ,	
Rex gentium,	*Psalm.23.*
Rex mansuete,	*Zach.9.*
Resurrectio mortuorum,	
Redemptor animarum,	
Redemptor viuens,	
Redemptor sancte.	*Iob.19.*
Refectio pœnitentium	*Isa.45.*
Robur cordium	
Sacerdos sanctissime	*Cap.49.*
Salus gentium	
Sapientia patris	
Sanitas languentium	*Ierem.14.*
Saluator in tribulatione.	
Scutum bonæ voluntatis.	
Sempiternum gaudium.	
Speculum omnium beatorum.	*Psalm.4.*
Speciosa forma præ filiis hominum.	*Sapien.7.*
Speciosior sole.	
Splendor gloriæ.	*Hebr.1.*
Iesu suauis, mitis, & multæ misericordiæ.	*Psalm.85.*

Miserere nobis.

et Matt.11.	Sol iustitiæ	Miserere nobis.
Malach.4.	Sol oriens ex alto	
	Solatium hierarchiæ cœlestis	
	Testimonium fidele	
	Triumphator mortis	
Prouer.18.	Turris fortitudinis	
	Vitæ & mortis domine	
	Victoria martyrum	
	Virtutum augmentatio	
	Vitiorum exterminatio	
	Via, veritas, & vita	
Ioan.14.	Viatorum directio	
& c.15.	Via errantium, & vita viuorum	
	Vera vitis	
	Vera satietas	
	Veritas loquentium	
	Vbertas gentium	
1.Ioan.5.	Iesu vere Deus, & vita æterna.	
	Ab omni malo & peccato	Libera nos Iesu,
	Ab execranda iurandi consuetudine	
	Ab omni periurio & blasphemia	
	A duro & ingrato corde	
	A potestate diaboli	
	Per sanctam circumcisionem tuam	
	Per sanguinem pretiosum qué pro nobis infans fundere cœpisti.	
	Per lachrymas sacratissimas quibus infantiles genas rorasti.	
	Per cœlestem nominis Iesu impositionem.	
	Per gloriosam in cruce nominis Iesu Hebraicè, Græcè & Latinè inscriptionem.	
	Peccatores	

Vt dulcem melliflui nominis Iesu memoriam, in tabulis cordis nostri digito tuo inscribere digneris.
Vt nomen hoc sanctissimum, & viuentes in opere, & morientes in ore habere mereamur.
Vt benignissime Iesu sis nobis Iesus.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, parce nobis Iesu.
Agnus Dei,&c. Exaudi nos Iesu.
Agnus Dei,&c. Miserere nobis Iesu

Te rogamus audi nos.

Interponi potest deuotionis ergò Psalmus sequens.

ORATIO.

DEVS qui glorioso, ac mirabili nomine dilectum vnicum tuum Redemptorem nostrum Iesum appellari voluisti: concede propitius, vt qui eiusdē benedicti Saluatoris nomen celebriter veneramur in terris, eius fœlici consortio perenniter perfruamur in cœlis, Amen.

LITANIAE ET ORATIONES de Spiritu Sancto.

PRimò pro beneficijs omnibus in te collatis gratias age, præcipuè hoc nomine, quòd te ad sacri Baptismatis gratiam perduxerit, & ex Christianis te nasci parentibus ac ab iisdem in fide Catholica educari voluerit: quodque à pristino tuo viuendi genere ad frequentem Sacramentorum vsum traduxerit.

2. *In vnione meritorum & Sanguinis Domini nostri IESV Christi totum te illi offeres, præsertim verò voluntatem & cogitationes.*

3. *Beneficia tibi tuisque proximis necessaria petes: præcipuè vt voluntatem tuam tantò charitatis igne inflammet, vt nulla eum tentationis, vel tribulationis procella extinguat: vt tua voluntas diuinæ ipsius voluntati semper sit conformis: tuas item cogitationes castas & puras efficiat, tibique bonitatem ac sanctitatem, & septem illa sua dona largire dignetur, quò anima tua, suum templum effici mereatur, eaque omnia per IESV Christi pretiosum sanguinem pete, ac Litanias adiunctas deuotè, vt decet, perlege.*

LITANIAE DE SANCTO SPIRITV.

✝ In nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti. *Antiph.* Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per inhabitantem Spiritum eius in nobis. *Roman. 5.*

Tergat ergò sordes praui operis, qui DEO præparat domum mentis. Greg. Hom. 30.

Kyrie eleyson, &c.

Ioan. 15. Spiritus Sancte à Patre Filioq; procedens,

2. Reg. 23. Spiritus Domini Dei Israël

Dominator hominum

Sapient. 7. Replens orbem terrarum,

& 1. Habens omnem virtutem,

1. Cor. 12. Omnia bona operans, & omnia prospiciens,

Sapien. 7. Ornans cœlos, stabilis & securus,

Miserere nobis.

Spiri-

Spiritus veritatis omnia suggerens & distribuens. *Iob.6.*
Spiritus Sapientiæ,& intellectus, *Io.16.*
Spiritus consilij,fortitudinis, scientiæ & pietatis. *14.Heb.2.*
Spiritus timoris Domini & prudentiæ, *Isa.11.*
Spiritus quo inspiráte loquuti sunt sancti Dei homines, *Exod.28.*
Quæ ventura sunt, annuntians, *2.Petr.1.*
Donum & promissio Patris,
Spiritus sancte paraclite arguens mundum, *Ioan.16.*
Spiritus in quo dæmonia eiiciuntur,
Spiritus ex quo renascimur, *Actor.2.*
Spiritus per quem charitas Dei diffusa est in cordibus nostris. *Ioan.16.* *Matth.12.*
Spiritus adoptionis filiorum Dei, *Ioan.1.*
Spiritus gratiæ & misericordiæ,
Spiritus adiuuans infirmitatem nostrã, & reddens testimonium spiritui nostro,quòd simus filij Dei. *Rom.5.* *Cap.4.* *Zach.12.*
Spiritus benigne, suauis,super mel dulcis. *Roman.8.*
Spiritus pignus hæreditatis nostræ,deducens nos in terram rectam, *Psal.142.*
Spiritus principalis, viuificans & confortans, *Sapien.7.* *Eccl.24.*
Spiritus salutis,iudicij & gaudij, *Ephes.1.*
Spiritus fidei,pacis,ardoris,
Spiritus humilitatis,charitatis & castitatis,
Spiritus benignitatis,bonitatis,longanimitatis ac mansuetudinis.
Spiritus lenitatis, veritatis; vnitatis ac

Miserere nobis.

consolationis.
Spiritus compunctionis, promissionis, renouationis ac sanctificationis.
Spiritus vitæ, patientiæ, continentiæ ac modestiæ.
Spiritus omnium gratiarum,
Propitius esto, Parce nobis Domine.
A spiritu erroris.
A spiritu immundo.
A spiritu blasphemiæ.
Ab omni obstinatione & desperatione.
Ab omni præsumptione, & veritatis contradictione.
Ab omni malitia & praua consuetudine.
Ab inuidia fraternæ charitatis,
A finali impœnitentia.
Per æternam à Patre & Filio processionem tuam,
Per inuisibilem vnctionem tuam,
Per omnem gratiarum plenitudinem, qua virginem Mariam semper possedisti,
Per superefflluentem sanctitatis abyssum, qua in conceptione verbi Matrem Dei inundare fecisti,
Per sanctam in baptismo Christi apparitionem tuam,
Per salutarem super Apostolos aduentum tuum,
Per ineffabilem bonitatem tuam, qua Ecclesiam gubernas, conciliis præsides, martyres corroboras, doctores

Libera nos spiritus Dei viui,

illuminas,religiones inſtituis.
Peccatores,
Vt in ſpiritu ambulemus, & deſideria carnis non perficiamus.
Vt te nunquam contriſtemus,
Vt omnes eccleſiaſticos ordines in ſancta religione, & vero ſpiritu conſeruare digneris,
Vt cuncto populo Chriſtiano cor vnum, & animam vnam donare digneris,
Vt virtutum omnium complementum nobis donare digneris,
Vt nos exaudire digneris,
Spiritus Deus.

Te rogamus audi nos.

Verſ. Emitte ſpiritum tuum, & creabuntur,
Reſp. Et renouabis faciem terræ.

ORATIO.

DEVS qui corda fidelium Sancti Spiritus illuſtratione docuiſti, da nobis in eodem Spiritu recta ſapere, & de eius ſemper conſolatione gaudere, Per Dominum noſtrum, &c.

ALIA ORATIO EX MEDIT. D. Auguſt. cap. 9.

OMNIPOTENS paraclite ſpiritus clemẽtiſſime, mœrentium conſolator, cordis noſtri penetralibus potenti virtute illabere, & tenebroſa peccatoris noſtri latibula, coruſci luminis fulgore lætifica, tuique ro-

ris intima aſperſione fœcunda: ſaucia interioris hominis arcana amoris tui iaculo, & torpentis medullas iecoris flammis ſalutaribus ſuccende. Pota nos torrente voluptatis tuæ, vt nihil iam mundanorum deguſtare lubeat, aut venenatæ dulcedinis. Veni benigniſſime dolentis animæ conſolator, protegens in oportunitatibus, in tribulatione adiutor, veni mundator ſcelerum, curator vulnerum, fortitudo fragilium, humilium doctor, ſuperborum deſtructor, orphanorum pius pater, viduarum dulcis iudex, ſpes pauperum, refocillator deficientium, nauigantium ſydus, naufragantium portus, veni omnium viuentium ſingulare decus, morientiũ vnica ſalus. Veni ſanctiſſime ſpiritus, & miſerere noſtri.

Oratio ex Scriptura S.

Io.12. et 14 SPiritus Sancte Deus, ex patre filioque procedens, animarum noſtrarum paraclite
Sapient.12. ſuauiſſime, Numine tuo omnia fouens & vi-
Geneſ.1. uificans. Adiuua infirmitatem noſtram, nam
Ioan.7. quid oremus ſicut oportet, neſcimus: ideo tu
Rom.n.8. poſtulare nos fac gemitib⁹ inenarrabilibus.
Epheſ.1. O pignus hæreditatis noſtræ, deduc nos in
Pſal.142. terram rectam, & indue virtute ex alto, indu
Luc.24. cens nos in omnem veritatem. Veni Auſter
Ioan.14. perfla hortum tuum, & fluant aromata eius,
Cant.4. orna tuis cœleſtibus donis animas noſtras, à
Iob.26. quibus obſtetricante manu tua educatur tor-
Galat.4. tuoſus coluber. Tu corda noſtra poſſide, &
Ioan.14. mane nobiſcum in æternum.

HYMNVS AD S. SPIRITVM.

VEni Sancte Spiritus, & emitte cælitus lucis tuæ radium.

Veni pater pauperum, veni dator munerum, veni lumen cordium.

Consolator optime, dulcis hospes animæ, dulce refrigerium.

In labore requies, in æstu temperies, in fletu solatium.

O lux beatissima, reple cordis intima tuorum fidelium.

Sine tuo numine, nihil est in homine, nihil est innoxium.

Laua quod est sordidū, riga quod est aridum, sana quod est saucium.

Flecte quod est rigidum, foue quod est frigidum, rege quod est deuium.

Da tuis fidelibus, in te confidentibus, sacrum septenarium.

Da virtutis meritum, da salutis exitum, da perenne gaudium.

AMEN.

Vers. Spiritus Domini repleuit orbem terrarum.

Resp. Et hoc quod continet omnia, sciētiam habet vocis.

ORATIO.

ACtiones nostras quæsumus Domine aspirando præueni, & adiuuando prosequere, vt cuncta nostra oratio & operatio à te semper incipiat, & per te cœpta finiatur.

ALIVS HYMNVS AD Spiritum Sanctum.

VEni Creator Spiritus
Mentes tuorum visita,
Imple superna gratia
Quæ tu creasti pectora.
Qui paraclitus diceris,
Donum Dei Altissimi,
Fons viuus, ignis, charitas,
Et Spiritalis vnctio.
Tu septiformis munere,
Dextræ Dei tu digitus,
Tu ritè promissum Patris
Sermone ditans guttura.
Accende lumen sensibus,
Infunde amorem cordibus,
Infirma nostri corporis
Virtute firmans perpetim.
Hostem repellas longiùs,
Pacemque dones protinùs,
Ductore sic te præuio
Vitemus omne noxium.
Per te sciamus da Patrem,
Noscamus atque Filium,
Te vtriusque Spiritum
Credamus omni tempore.
Gloria Patri Domino,
Natoque qui à mortuis
Surrexit, ac Paraclito
In sæculorum sæcula.
AMEN.

V. Repleti sunt omnes Spiritu Sancto.
R. Et cœperunt loqui.

ORATIO.

VRe igne sancti spiritus renes nostros, & cor nostrũ Domine, vt tibi casto corpore seruiamus, & mundo corde placeamus.

COROLLA SIVE ROSARIVM Sanctissimæ Trinitatis.

DVm graue adeò, & periculosum cõtra Turcas bellum geritur, meritißimè Corolla ista sæpiùs recitetur, & Antiturcica *nominetur. Cùm enim, vt alibi dixit Tertullianus, Diabolus Dei Opt. Max. Simia sit, pia Christianorum veterũ Rosaria & Corollas imitari, vel deprauare potiùs Turcæ ipsi iam olim cœperunt. Sua tam frequẽti Dei vnius professione nos quasi (quod absit) in SS. Trinitate Deos tres veneraremur, impietatis damnare student, eamque ad rem Coronam quandam, quam* Tespe *vocant, excogitarunt: cuius tres partes sint, & partis cuiuslibet Decades tres, tresq́; insuper globuli, seu quæ hisce significantur precatiunculæ, ita vt omniũ summa sit,* I C. *In prima parte ter & tricies dicũt.* Subhan Allah, *In secũda toties,* El hemdu n' illah. *In tertia totidem vicibus* Allah hecuer. *Et quidem suis in Meschitis, præeunte illo, quem* Imam *nominant, quotidiè quinquies ista commemorant: quidam domi multò etiam sæpiùs. Contra Canum igitur istorum impios, blasphemosq́; latratus* Deum vnum & Trinum, *quàm sæpißimè religiosißimeque profiteatur, laudet ac benedicat verus piusque Christianus.*

Potest pro cuiusque arbitrio & deuotione sæpiùs aut rariùs Doxlogia hæc vsurpari, & quidẽ vel continenter Decades aliquot recitando, vel interruptè vnã tantùm Decadem vel alterã, vel Decadis vnius vnã vel alterã Doxologiam breuißimarum, & quasi iaculatarum, vt S.

Augustinus epistola 121.cap.10.nominat, orationum instar. Corollam tamen orare si volumus, intelligendum fieri hoc posse dupliciter, primò propriè scilicet orando, secundò quasi metaphoricè.

PRIOR MODVS.

IN *modo isto priore duo seruanda. Vnum pertinet ad modum simpliciter, & piè corollam istam orandi, & quatuor hisce regulis continetur.*

1. *Efformanda statim initio Sancta crux, & dicendum,* † In nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, Amen. *Et hoc materiata crucicula indicatur.*

2. *Dicendum Sacræ Litaniæ initium.*
   - 1. *Pater de cœlis Deus*
   - 2. *Fili Redemptor mundi Deus*
   - 3. *Spiritus Sancte Deus*
   - 4. *Sancta Trinitas vnus Deus.*

   Miserere nobis.

3. *Dicenda oratio Dominica cum Angelica salutatione, quoties ad consequentium globulorum maiorem aliquem ventum fuerit.*

4. *Ad omnes verò globulos minores dicendum, Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto, Sicut erat in principio & nunc & semper, & in secula seculorum, Amen.*

Alterum spectat ad modum maiore cum fructu & affectu eandem recitandi.

Et his sex veluti capitibus explicatur.
- 1. *Quid*
- 2. *Qua de causa*
- 3. *A quo*
- 4. *Cum quo*
- 5. *Quibus verbis*
- 6. *Quibus circumstantijs.*

Tēp. lo. &c.

1. *Doxologia ista (præter generalia plurima quæ concurrunt) tria potißimùm agere poßumus. 1. Deum laudare, omnesque SS. Trinitatis personas. 2. ijsdem gratias agere. 3. ab ijs aliquid petere. Cogita igitur primùm antequàm corollam incipias, quid horum velis: an omnia simul, an duo, an quod sæpè vtilius, vnum tantùm. Si tamen omnia velis, potes vel simul, vel in vna Decade hoc, in alia aliud.*

2. *Propone tibi causam vel communem vel singularem ob quam Deum sic laudare velis, vel si plures vis potes eodem modo illas simul intueri, vel in diuersis decadibus. V. G. volo gratias agere, aut Deum laudare ob Iesu Christi sacrosanctam natiuitatem, paßionem, resurrectionem, ascensionem, descensum Spiritus Sancti, ob conuersionem meam, vel huius aut illius, ob benefitium aliquod diuinitùs priuatim aut publicè acceptum, &c. Similiter expende quid petere velis, an virtutem aliquam & gratiam, an liberationem à tentatione aliqua, an in studijs tuis opem & auxiliũ diuinum. In omnibus enim petis, vt sit Deo gloria.*

3. *Pone tibi ante mentis oculos Sanctißimam Trinitatem è summo diuinitatis suæ throno te aspectantem, attendentem ad laudationes tuas. Vel vnum saltem personam Diuinam tibi obijce, V. G. filium incarnatum, paßsum, crucifixum, Spiritum Sanctum descendentem super Apostolos, &c.*

4. *Puta te iam versari cum sanctis Angelis, vel potiùs eos tecum iam Deum glorificare: adesse tecum eadem summa humilitate Beatißimam illam Domini ancillam, Dei matrem, cœlorum Reginam Gloriosißimam, cuius salutationem recitas, adesse sanctos omnes Patriarchas, Prophetas, Apostolos, Martyres, Confessores, Virgines, aliosque beatos omnes: sed maximè eos quos patronos habes, aut quorum festus dies, aut memoria agitur.*

Imò & inferiores creaturas, Solem, Lunam, ventos, tempestates, arbores, flores. Hæc enim etiam Deum benedicunt, & quantum in se est laudant.

5. *Potes etiam cùm lubebit, maximo cum fructu singula doxologiæ huius verba expendere, & quasi ruminare. V.G. Gloria, non mihi, vilißimo peccatori, sed* Patri, *qui Creator omnipotens: &* Filio, *Redemptori meo, qui pro me natus, crucifixus,* Nunc, *in hac vita, hoc anno, hac hora, hoc momento, in hoc negotio, lectione.* Et Semper, *post hanc vitam, annum, diem, horam, non tantùm te iam laudem, sed semper.* Et in sæcula sæculorum. Amen, *ita fiat. Vide D. Augustinum in Psal.* 144.

6. *Adiuuabit etiam multùm consideratio, Primò temporis, V.G. Festi SS. Trinitatis, Natiuitatis, Circumcisionis, Secundò, loci (verbi gratia) in Templo, Schola, Musæo, campo. Tertiò, circumstantiarum aliarum (verbi causa) gestus, quoad pietatis sensum afficeris, vt est Genuum flexio, &c.*

POSTERIOR MODVS.

EST *is, vt dictum est, Metaphoricus, ea scilicet ratione, qua Patrum nonnulli dixerunt, eum semper orare, qui semper benè agit. Lucæ* 18. & 21. 1. *Thess.* 5. *Ecclesi.* 18. *August. Epist.* 121. *cap.* 9. *Basilius in Iulittam.*

Si ergo tuæ omnes actiones, totaque vita tua semper ad Dei Opt. Max. gloriam referatur, Doxologia optima fuerit.

O Christiane, *bono animo* Gloriam *redde* Deo, *Eccl.* 35.

Canta in vijs Domini, quia magna est Gloria *Domini.*

Psal.37. Glorifica *& porta* Deum *in corpore tuo.1.Corint.6.Siue manducas,siue bibis,siue aliud quid facis.*

Omnia *in* Dei Gloriam facito.*1.Cor.6.*

Orationes aſſignatæ diei Dominicæ & reliquis diebus, habentur in ſecunda libri parte.

Primæ Litaniæ B. Virgini Laureti dici ſolitæ die Dominica, quæ cum alijs reliquis diebus hebdomadæ aſſignatis habētur infrà in eadem ſecunda libri parte.

Meditatio de beneficijs glorificationis, quæ cum alijs meditationibus omnium dierum hebdomadæ habetur ibidem.

SEPTEM

SEPTEM PSALMI POENITENTIALES.

CVM LITANIIS ROMANIS ad Deum, & ad omnes Sanctos.

Tob.3. † In nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti. Amen.

Antiphona. *Ne reminiſcaris Domine delicta noſtra, vel parentum noſtrorum, &c.*

Pſalmus 6.

DOmine ne in furore tuo arguas me: neque in ira tua corripias me.

Miſerere mei Domine, quoniam infirmus ſum, ſana me Domine, quoniam conturbata ſunt omnia oſſa mea.

Et anima mea turbata eſt valdè: ſed tu Domine vſquequò?

Conuertere Domine & eripe animam meam: ſaluũ me fac propter miſericordiam tuam.

Quoniam non eſt in morte, qui memor ſit tui: in inferno autem quis confitebitur tibi?

Laboraui in gemitu meo, lauabo per ſingulas noctes lectum meum: lachrymis meis ſtratum meum rigabo.

Turbatus eſt à furore oculus meus: inueteraui inter omnes inimicos meos.

Discedite à me omnes qui operamini iniquitatem: quoniam exaudiuit Dominus vocem fletus mei.

Exaudiuit Dominus deprecationẽ meam: Dominus orationem meam suscepit.

Erubescant, & conturbentur vehementer omnes inimici mei: conuertantur & erubescant valdè velociter.

Gloria patri & filio, &c.

Sicut erat in principio, &c.

Psalmus 31.

BEati quorum remissæ sunt iniquitates: & quorum tecta sunt peccata.

Beatus vir cui non imputauit Dominus peccatum: nec est in spiritu eius dolus.

Quoniam tacui, inueterauerunt ossa mea: dum clamarem tota die.

Quoniam die ac nocte grauata est super me manus tua: conuersus sum in ærumna mea, dum configitur spina.

Delictum meum cognitum tibi feci: & iniustitiam meam non abscondi.

Dixi, confitebor aduersum me iniustitiam meam Domino: & tu remisisti impietatem peccati mei.

Pro hac orabit ad te omnis sanctus, in tempore oportuno.

Veruntamen in diluuio aquarum multarum: ad eum non approximabunt.

Tu es refugium meum à tribulatione, quæ circumdedit me: exultatio mea, erue me à circundantibus me.

Intellectum tibi dabo, & instruam te in via hac, qua gradieris, firmabo super te oculos meos.

Nolite fieri sicut equus & mulus: quibus non est intellectus.

In chamo & fræno maxillas eorum constringe: qui non approximant ad te.

Multa flagella peccatoris: sperantẽ autem in domino, misericordia circundabit.

Lætamini in Domino & exultate iusti: & gloriamini omnes recti corde.

Gloria patri, &c.

Psalmus 37.

DOmine ne in furore tuo arguas me: neque in ira tua corripias me,

Quoniã sagittæ tuæ infixæ sunt mihi: & confirmasti super me manum tuam.

Non est sanitas in carne mea à facie iræ tuæ: non est pax ossibus meis à facie peccatorum meorum.

Quoniam iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum: & sicut onus graue grauatæ sunt super me.

Putruerunt & corruptæ sunt cicatrices meæ: à facie insipientiæ meæ.

Miser factus sum & curuatus sum vsque in finem: tota die contristatus ingrediebar.

Quoniam lumbi mei impleti sunt illusionibus: & non est sanitas in carne mea.

Afflictus sum, & humiliatus sum nimis: rugiebam à gemitu cordis mei.

Domine ante te omne desiderium meum:

& gemitus meus à te non eſt abſconditus.

Cor meum cõturbatum eſt, dereliquit me virtus mea: & lumen oculorum meorum, & ipſum non eſt mecum.

Amici mei & proximi mei: aduerſum me appropinquauerunt & ſteterunt.

Et qui iuxta me erant de longè ſteterunt: & vim faciebant qui quærebant animam meam.

Et qui inquirebant mala mihi locuti ſunt vanitates:& dolos tota die meditabantur.

Ego autem tanquàm ſurdus non audiebam:& ſicut mutus non aperiens os ſuum.

Et factus ſum ſicut homo non audiens: & non habens in ore ſuo redargutiones.

Quoniam in te Domine ſperaui: tu exaudies me Domine Deus meus.

Quia dixi,ne quando ſupergaudeant mihi inimici mei: & dum commouentur pedes mei,ſuper me magna locuti ſunt.

Quoniam ego in flagella paratus ſum, & dolor meus in conſpectu meo ſemper.

Quoniam iniquitatem meam annunciabo:& cogitabo pro peccato meo.

Inimici autem mei viuunt, & confirmati ſunt ſuper me: & multiplicati ſunt qui oderunt me iniquè.

Qui retribuunt mala pro bonis, detrahebant mihi, quoniam ſequebar bonitatem.

Ne derelinquas me Domine Deus meus: ne diſceſſeris à me.

Intende in adiutorium meum: Domine Deus ſalutis meæ.

Gloria Patri, &c.

Sicut erat in principio,&c.

Psalmus 50.

MIserere mei Deus: secundùm magnam misericordiam tuam.

Et secũdùm multitudinem miserationum tuarum:dele iniquitatem meam.

Ampliùs laua me ab iniquitate mea: & à peccato meo munda me.

Quoniam iniquitatem meam ego cognosco: & peccatum meum contra me est semper.

Tibi soli peccaui,& malum coram te feci: vt iustificeris in sermonibus tuis, & vincas cùm iudicaris.

Ecce enim in iniquitatibus cõceptus sum: & in peccatis concepit me mater mea.

Ecce enim veritatem dilexisti: incerta & occulta sapientiæ tuæ manifestasti mihi.

Asperges me Domine hyssopo, & mundabor: lauabis me, & super niuem dealbabor.

Auditui meo dabis gaudium & lætitiam: exultabunt ossa humiliata.

Auerte faciem tuam à peccatis meis: & omnes iniquitates meas dele.

Cor mundum crea in me Deus: & spiritũ rectum innoua in visceribus meis.

Ne proijcias me à facie tua: & Spiritũ sanctum tuum ne auferas à me.

Redde mihi lætitiam salutaris tui: & spiritu principali confirma me.

Doce-

Docebo iniquos vias tuas: & impij ad te conuertentur.

Libera me de ſanguinibus Deus, Deus ſalutis meæ: & exultabit lingua mea iuſtitiam tuam.

Domine labia mea aperies, & os meũ annunciabit laudem tuam.

Quoniam ſi voluiſſes ſacrificium, dediſſem vtique holocauſtis non delectaberis.

Sacrificium Deo ſpiritus contribulatus: cor contritum & humiliatum Deus non deſpicies.

Benignè fac Domine in bona volũtate tua Sion: vt ædificentur muri Hieruſalem.

Tunc acceptabis ſacrificium iuſtitiæ, oblationes, & holocauſta: tunc imponent ſuper altare tuum vitulos.

Gloria patri & filio, &c.

Sicut erat in principio, &c.

Pſalmus 101.

DOmine exaudi orationem meam: & clamor meus ad te veniat.

Non auertas faciem tuam à me: in quacunque die tribulor, inclina ad me aurem tuam.

In quacunque die inuocauero te: velociter exaudi me.

Quia defecerunt ſicut fumus dies mei: & oſſa mea ſicut cremium aruerunt.

Percuſſus ſum vt fœnũ, & aruit cor meũ: quia oblitus ſum comedere panem meum.

A voce gemitus mei adhęſit os meum carni meæ.

Similis fact' sum pellicano solitudinis: & factus sum sicut nycticorax in domicilio.

Vigilaui, & factus sum sicut passer solitarius in tecto.

Tota die exprobabant mihi inimici mei: & qui laudabant me, aduersum me iurabant.

Quia cinerem tanquàm panem manducabam: & potum meum cum fletu miscebam.

A facie iræ indignationis tuæ: quia eleuās allisisti me.

Dies mei sicut vmbra declinauerūt: & ego sicut fœnum arui.

Tu autem Domine in æternum permanes: & memoriale tuum in generatione, & generationem.

Tu exurgens Domine misereberis Sion: quia tempus miserendi eius, quia venit tempus.

Quoniam placuerunt seruis tuis lapides eius: & terræ eius miserebuntur.

Et timebunt gentes nomen tuum Domine: & omnes reges terræ gloriam tuam.

Quia ædificabit Dominus Sion: & videbitur in gloria sua.

Respexit in orationem humilium: & non spreuit preces eorum.

Scribantur hæc in generatione altera: & populus qui creabitur, laudabit Dominum.

Quia prospexit de excelso sancto suo: Dominus de cœlo in terram aspexit.

Vt audiret gemitus compeditorum: vt sol-

Vt annuncient in Sion nomen Domini: & laudem eius in Hierusalem.

In conueniendo populos in vnum: & reges vt seruiant Domino.

Respondit ei in via virtutis suæ: paucitatem dierum meorum nuncia mihi.

Ne reuoces me in dimidio dierum meorum: in generatione & generationem anni tui.

Initio tu Domine terram fundasti: & opera manuum tuarum sunt cœli.

Ipsi peribunt, tu autem permanes: & omnes sicut vestimentum veterascent.

Et sicut opertorium mutabis eos, & mutabuntur: tu autem idem ipse es, & anni tui nõ deficient.

Filij seruorum tuorum habitabunt: & semen eorum in seculum dirigetur.

Gloria, &c.

Psalmus 129.

DE profundis clamaui ad te Domine: Domine exaudi vocem meam.

Fiant aures tuæ intendentes: in vocem deprecationis meæ.

Si iniquitates obseruaueris Domine: Domine quis sustinebit?

Quia apud te propitiatio est: & propter legem tuam sustinui te Domine.

Sustinuit anima mea in verbo eius: sperauit anima mea in Domino.

A custodia matutina vsque ad noctem, speret Israel in Domino.

Quia apud Dominũ misericordia : & copiosa apud eum redemptio.

Et ipse redimet Israel, ex omnibus iniquitatibus eius.

Gloria patri, &c.

Psalmus 142.

DOmine exaudi orationem meam, auribus percipe obsecrationem meam: in veritate tua, exaudi me in tua iustitia.

Et non intres in iudicium cum seruo tuo: quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens.

Quia persecutus est inimicus animã meã, humiliauit in terra vitam meam.

Collocauit me in obscuris sicut mortuos seculi: & anxiatus est super me spiritus meus: in me turbatum est cor meum.

Memor fui dierum antiquorum, meditatus sum in omnibus operibus tuis: & in factis manuum tuarum meditabar.

Expandi manus meas ad te: anima mea sicut terra sine aqua tibi.

Velociter exaudi me Domine: defecit spiritus meus.

Non auertas faciem tuam à me: & similis ero descendentibus in lacum.

Auditam fac mihi manè misericordiam tuam, quia in te speraui.

Notam fac mihi viam in qua ambulem: quia ad te leuaui animam meam.

Eripe me de inimicis meis Domine, ad te confugi: doce me facere voluntatem tuam, quia Deus meus es tu.

Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam: propter nomen tuum, Domine, viuificabis me in æquitate tua.

Educes de tribulatione animam meam: & in misericordia tua disperdes omnes inimicos meos.

Et perdes omnes qui tribulant animam meam, quoniam ego seruus tuus sum.

Gloria patri, &c.

Sicut erat in principio & nunc & semper, & in secula seculorum, Amen.

Antiph. Ne reminiscaris Domine delicta nostra, vel parentum nostrorum, neque vindictam sumas de peccatis nostris.

LITANIAE.

Kyrie eleyson, Christe eleyson, Kyrie eleyson, Christe audi nos.

Christe exaudi nos.

Pater de cœlis Deus, miserere nobis.

Fili redemptor mundi Deus, miserere nobis.

Spiritus sancte Deus, miserere nobis.

Sancta Trinitas vnus Deus, miserere nobis.

Sancta Maria, ora pro nobis.

Sancta Dei genitrix, ora.

Sancta virgo virginum, ora.

Sancte Michael, ora.

Sancte Gabriel, ora.

Sancte Raphael, ora.

Omnes sancti Angeli & Archangeli, orate.

Omnes sancti beatorum spirituum ordines, orate.

Sancte Ioannes Baptista, ora pro nobis.
Omnes sancti Patriarchæ & Prophetæ, orate.
Sancte Petre ora.
Sancte Paule ora.
Sancte Andrea ora.
Sancte Iacobe ora.
Sancte Ioannes ora.
Sancte Thoma ora.
Sancte Iacobe ora.
Sancte Philippe ora.
Sancte Bartholomæe ora.
Sancte Matthæe ora.
Sancte Simon. ora.
Sancte Thadæe ora.
Sancte Mathia ora.
Sancte Barnaba ora.
Sancte Luca ora.
Sancte Marce ora.
Omnes sancti Apostoli & Euãgelistæ orate.
Omnes sancti discipuli Domini orate.
Omnes sancti innocentes orate.
Sancte Stephane ora.
Sancte Laurenti ora.
Sancte Vincenti ora.
Sancti Fabiane & Sebastiane orate.
Sancti Ioannes & Paule orate.
Sancti Cosma & Damiane orate.
Sancti Geruasi & Prothasi orate.
Omnes sancti martyres orate pro nobis.
Sancte Syluester ora.
Sancte Gregori ora.
Sancte Ambrosi ora.
Sancte Augustine ora.

Sancte Hieronyme ora.
Sancte Martine ora.
Sancte Nicolae ora.
Omnes sancti Pontifices, & Confessores, orate.
Omnes sancti Doctores orate
Sancte Benedicte, ora.
Sancte Antoni ora.
Sancte Bernarde ora.
Sancte Dominice ora.
Sancte Francisce ora.
Omnes sancti Sacerdotes & Leuitæ, orate.
Omnes sancti Monachi & Eremitæ, orate.
Sancta Maria Magdalena ora.
Sancta Agatha ora.
Sancta Lucia ora.
Sancta Agnes ora.
Sancta Cecilia ora.
Sancta Catharina ora.
Sancta Anastasia ora.
Omnes sanctæ virgines & viduæ orate
Omnes sancti & sanctæ Dei, intercedite pro nobis.
Propitius esto, parce nobis Domine.
Propitius esto, exaudi nos Domine.
Ab omni malo, Libera nos Domine.
Ab omni peccato, libera.
Ab ira tua, Libera nos Domine.
A subitanea & improuisa morte, libera.
Ab insidiis diaboli libera.
Ab ira, & odio, & omni mala voluntate, libera.
A spiritu fornicationis, libera.
A fulgure & tempestate, libera.

A mor-

A morte perpetua, libera.
Per mysterium sanctæ incarnationis tuæ, libera.
Per aduentum tuum, libera.
Per natiuitatem tuam, libera.
Per baptismum, & sanctum ieiunium tuum, libera nos Domine.
Per crucem & passionem tuam, libera.
Per mortem & sepulturam tuam, libera.
Per sanctam resurrectionem tuam, libera.
Per admirabilem ascensionem tuam, libera.
Per aduentum Spiritus sancti Paracliti, libera.
In die iudicij, libera nos Domine.
Peccatores, Te rogamus audi nos.
Vt nobis parcas, te rogamus.
Vt nobis indulgeas, te rogamus.
Vt ad veram pœnitentiam nos perducere digneris, te rogamus audi nos.
Vt Ecclesiam tuam sanctam regere & conseruare digneris, te rogamus audi nos.
Vt Dominum Apostolicum, & omnes Ecclesiasticos ordines in sancta religione conseruare digneris, te rogamus audi nos.
Vt inimicos sanctæ Ecclesiæ humiliare digneris, te rogamus audi nos.
Vt Regibus & Principibus Christianis pacem & veram concordiam donare digneris, te rogamus.
Vt cuncto populo Christiano pacem & vnitatem largiri digneris, te rogamus audi nos.
Vt nosmetipsos in tuo sancto seruitio con-

fortare, & conſeruare digneris, te rogamus, audi nos.

Vt mentes noſtras ad cœleſtia deſideria erigas, te rogamus, audi nos.

Vt omnibus benefactoribus noſtris ſempiterna bona retribuas, te rogamus, audi nos.

Vt animas noſtras, fratrum, propinquorum, & benefactorum noſtrorum, ab æterna damnatione eripias, te rogamus audi nos.

Vt fructus terræ dare & conſeruare digneris, te rogamus, audi nos.

Vt omnibus fidelibus defunctis requiem æternam donare digneris, te rogamus, audi nos.

Vt nos exaudire digneris, te rogamus.

Fili Dei, te rogamus, audi nos.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, parce nobis Domine.

Agnus Dei qui tollis peccata mundi, exaudi nos Domine.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, miſerere nobis.

Chriſte audi nos. Chriſte exaudi nos. Kyrie eleyſon, Chriſte eleyſon. Kyrie eleyſon. Pater noſter, ſecretò. Verſ. Et ne nos inducas in tentationem. Reſp. Sed libera nos à malo.

Pſalmus 69.

DEus in adiutorium meum intende: Domine ad adiuuandum me feſtina.

Confundantur, & reuereantur: qui quærunt animam meam.

Auer-

Auertantur retrorſum, & erubeſcant: qui volunt mihi mala.

Auertantur ſtatim erubeſcentes: qui dicũt mihi, euge, euge.

Exultent & lætentur in te omnes qui quærunt te: & dicant ſemper, magnificetur Dominus, qui diligunt ſalutare tuum.

Ego verò egenus & pauper ſum: Deus adiuua me.

Adiutor meus, & liberator meus es tu: Domine ne moreris.

Gloria patri, &c.

Verſ. Saluos fac ſeruos tuos. Reſpon. Deus meus, ſperantes in te. V. Eſto nobis Domine turris fortitudinis. R. A facie inimici. V. Nihil proficiat inimicus in nobis. R. Et fili⁹ iniquitatis non apponat nocere nobis. V. Domine, non ſecundùm peccata noſtra facias nobis. R. Neque ſecundùm iniquitates noſtras retribuas nobis. V. Oremus pro Pōtifice noſtro N. R. Dominus conſeruet eum, & viuificet eum, & beatum faciat eum in terra, & non tradat eum in animam inimicorum eius. V. Oremus pro benefactoribus noſtris. R. Retribuere dignare Domine omnibus nobis bona facientibus propter nomen tuum vitam æternam. V. Oremus pro fidelibus defunctis. R. Requiem æternam dona eis Domine, & lux perpetua luceat eis. V. Requieſcant in pace. R. Amen, V. Pro fratribus noſtris abſentibus. R. Saluos fac ſeruos tuos, Deus meus, ſperantes in te. V. Mitte eis Domine auxilium de ſancto. R. Et de Syon tuere eos. V. Domine exaudi orationem meam.

R. Et clamor meus ad te veniat.

Oremus.

DEVS, cui proprium est misereri semper, & parcere: suscipe deprecationem nostram: vt nos, & omnes famulos tuos, quos delictorum catena constringit, miseratio tuæ pietatis clementer absoluat.

EXAVDI, quæsumus Domine, supplicum preces, & confitentium tibi parce peccatis: vt pariter nobis indulgentiam tribuas benignus, & pacem.

INEFFABILEM nobis Domine misericordiam tuam clemẽter ostende: vt simul nos & à peccatis omnibus exuas, & à pœnis quas pro his meremur, eripias.

DEVS, qui culpa offenderis, pœnitentia placaris: preces populi tui supplicantis propitius respice: & flagella tuæ iracundiæ, quæ pro peccatis nostris meremur, auerte.

OMNIPOTENS sempiterne Deus, miserere famulo tuo Pontifici nostro N. & dirige eum secundùm tuam clementiam in viam salutis æternę: vt te donante tibi placita cupiat, & tota virtute perficiat.

DEVS, à quo sancta desideria, recta consilia, & iusta sunt opera: da seruis tuis illam, quam mundus dare non potest pacem: vt & corda nostra mandatis tuis dedita, & hostium sublata formidine, tempora sint tua protectione tranquilla.

VRE igne sancti Spiritus renes nostros, & cor nostrum, Domine: vt tibi casto

corpore seruiamus, & mundo corde placeamus.

FIDELIVM Deus omnium conditor, & redemptor, animabus famulorum, famularumque tuarum, remissionem cunctorum tribue peccatorum, vt indulgentiam, quam semper optauerunt, piis supplicationibus consequantur.

ACTIONES nostras, quæsumus Domine, aspirando præueni, & adiuuando prosequere: vt cuncta nostra oratio & operatio à te semper incipiat, & per te cœpta finiatur.

OMNIPOTENS sempiterne Deus, qui viuorum dominaris simul, & mortuorum, omniumq; misereris, quos tuos fide & opere futuros esse prænoscis, te supplices exoramus: vt pro quibus effundere preces decreuimus, quosq; vel presens seculum adhuc in carne retinet, vel futurum iam exutos corpore suscepit, intercedentibus omnibus sanctis tuis, pietatis tuæ clementia, omnium delictorum suorum veniam consequantur. Per dominum nostrum Iesum Christum Filium tuum: qui tecum viuit & regnat in vnitate Spiritus sancti Deus: per onia sæcula sæculorum.

Resp. Amen.

Vers. Domine exaudi orationem meam.

Resp. Et clamor meus ad te veniat. Vers. Exaudiat nos omnipotens & misericors Dominus. Resp. Amen. Vers. Et fidelium animæ per misericordiam DEI requiescant in pace. Resp. Amen.

Litaniæ pro infirmis & afflictis quas habes infra in secunda parte libri.

Litaniæ pro defunctis, quæ sunt ibidem.

Orationes, cum Litaniis B. Virginis, & meditatione huius feriæ secundæ habentur ibidem.

FERIA TERTIA.

MEDITATIO DE SANCTIS Angelis, & Prophetis.

HOC die si placet recordaberis Sanctorum Angelorum, omniumque spirituum cælestium, quorum tibi magnam cohortem, & multitudinem cogitabis esse præsentem.

Ac ad iuuandam faciliùs memoriam, vimque imaginatiuam in consideratione substantiarum planè spiritualium, vti poteris nouem iconibus (quibus nouem Angelorum Ordines pro captu humano adumbrantur aliquantulum) iuxta exemplar vetustißimum, quod in Templo Collegij Cæsarij Societatis IESV *Viennæ Austriæ visitur, expreßis. Cætera facies, quæ in præcedenti Meditatione notantur, pag.* 124.

Primò considera, vt beati illi Spiritus curam gerant vniuersalem omnium rerum sublunarium, earum præsertim, quæ nobis necessariæ sunt ac vtiles, & vt ab ipsis moueantur orbes cælestes. Quare omnia quæ à natura acquirimus bona in hac vita, administratione Angelorum acquirimus.

2. *Considera Deum præter naturalia, multa etiam dona cælestia, Angelorum ministerio nobis elargiri, sicut paßim in sacris literis, & alibi videre licet.*

3. *Considera, singulis hominibus vnum aliquem*

eorum custodem, & animæ rectorem adiunctum esse: sine quorum custodia proculdubio essemus nequißimi. Ipsi enim inspirant & suggerunt nobis omnia bona, auferētes à nobis prauitatem nostram, & à dæmonibus nos defendentes. Vnde rectè ait Climachus: Nisi Angeli appropient nobis, inutilis & infructuosus est omnis labor noster. Neque enim habet vim confidentiæ oratio nostra, neque munditiæ pennas, vt ingredi ad Deum poßit, nisi hanc è proximo assumant Angeli, qui nobis præsunt, eamque offerunt Domino.

4. Cōsidera illos nostra bona opera ante Dei tribunal offerre, intercedere ac orare pro nobis, procurantes conuersionem nostram, in eaque mirificè lætantes, de animarum nostrarum salute. Sibi mutuo gratulādo propter magnum amorem quo nos prosequuntur.

5. Considera supplere eos apud Deum vicem nostram, dum ea quæ nos facere debebamus, ipsi pro nobis faciunt.

Quare nascentem Dominum pro nobis susceperunt, ac se illi associarunt: aßistentes etiam sanctißimo sacramento pro nobis.

Poteris etiam hoc loco considerare ipsorum perfectionem, quòd nimirum sint puri, immortales ac intelligentes, creati in gratia Dei, quem nunquam offenderunt, pleni sapientia, & potentißimi.

Colloquium fiat ad eosdem, præsertim ad Angelum custodem, ac ad Sanctos Prophetas, petendo ab eis, vt præter cætera à Deo tibi impetrent promptitudinem, alacritatem, & feruorem in rebus spiritualibus, necnon vehementem amorem in salutem proximi tui: auferendo abs te negligentiam, teporem, & alia vitia contraria.

In fine, Pater, & Aue, & Hymnum sequentem.

HYMNVS.

Avete mentes lucidæ,
Nostræ salutis vindices
Cœlestis ore nuncij,
Regis superni milites.
Intra Tonantis Regiam
Choros agentes psallite
Lyris, molaunis, organis,
Tribunal ante Iudicis.
Vos in Dracones Tartari
Bellum cietis perpetim,
Et nos ab Orci faucibus
Manu potenti tollitis.
Aue Propheta nobilis,
Vatumque longè maxime,
Olim Dei qui Filium
Iordanis vnda laueris.
Adeste cœtus inclyti,
Adeste tot periculis,
Et nos volatu perpeti,
Inferte cæli sedibus.
Summo parenti cælitum,
Magnæque proli virginis
Sancto simul Paraclito
Sit summa laus & gloria.

AMEN.

ALIVS HYMNVS AD ANgelum Custodem.

ANgelus nobis datus est patronus,
Dux vitæ nostræ, medicus salutis,
Tutor, & recti monitor, Magister
Semper & æqui.

Noster est custos, socius, minister,
Præses, adiutor, columenque tutum,
Et decus magnum, Volucer parentis,
Nuncius alti.

Erigit lapsos, releuat dolentes,
Sanat ægrotos, recreat iacentes,
Dirigit cæcas, timidasq; firmat
Robore mentes.

Corripit lapsus hominum benignè,
Eripit magnis animos periclis,
Hostis immitis, validè sagittas
Telaque frangens.

Gloriam Patri tribuamus omnes,
Filij nomen celebrent, & hymni,
Spiritus sancti resonent perennes
Carmina laudes.

Vers. *Angeli eorum semper vident, Alleluia.*
Resp. *Faciem patris mei qui in cælis est, Alleluia.*

ORATIO AD ANGELVM Custodem.

OMNIPOTENS sempiterne Deus, qui me licèt indignum ad imaginem tuam creasti, & Angelum tuum sanctum ad mei custodiam deputasti, da mihi seruo tuo, il-

lius ducatu & custodia, malorum omnium tam animæ quàm corporis pericula fœliciter pertransire, & post huius vitæ curriculũ ad gaudia sempiterna facias peruenire, Per Dominum nostrum, &c.

Angele Dei, qui custos es mei, me tibi commissum pietate superna.

Hodie illumina, custodi, rege, & guberna, Amen.

LITANIAE DE ANGELIS SANCTIS.

† In nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, Amen.

Antiph. loco. *A sanctis Angelis auxilium quærendum est, & occultis suspirijs, & frequentia lachrymarum, vt illi supereminenti Maiestati preces nostras offerant: & gratias referant, quia administratorij Spiritus sunt propter nos, vt hæreditatem capiant salutis. Bernardus.*

Kyrie eleyson. Christe eleyson. Kyrie eleyson.

Pater de cœlis Deus omnium conditor spirituum,

Fili Redemptor mundi Deus, in quem desiderant Angelorum ordines prospicere.

Spiritus sancte Deus, fœlicitas supernarum mentium.

Sancta Trinitas vnus Deus, gloria sanctorum Angelorum.

Miserere nobis.

Sancta Maria Angelorum puritas,
S.Maria Archangelorum lætitia,
S.Maria virtutum fortitudo,
S.Maria Thronorum maiestas,
S.Maria Dominationum Regina,
S.Maria Potestatum gloria,
S.Maria Principatuum Dominatrix,
S.Maria Cherubin scientia,
S.Maria Seraphin feruor,

Miserere nobis.

Dan. c.10. S. MICHAEL Princeps Angelorum pacis,
Iud. in canо. Præliator fortissime,
Apoc.10. Victor Draconis antiqui,
Qui populo Dei semper defensor fuisti,
Qui Luciferum cum cõplicibus rebellibus de cœlo deturbasti.
Qui accusatorem fratrum nostrorum in profundum inferni deiecisti.
Animarum susceptor,
Inductor in paradysum exultationis,
Solatium fidelium,
Protector te colentium,
Dan.8. S.GABRIEL qui Danieli diuinam visionem patefecisti.
Luc. 1. Qui Ioannis Baptistæ ortum & ministerium prænunciasti.
Ibid. Qui incarnationis verbi Domini nuncius extitisti.
Custos B.Virginis Mariæ,
Comes infantiæ Saluatoris,
Minister Christi fidelis.
Tob.12. S.RAPHAEL angele salutis,
S. Raphael vnus ex septem angelis qui

Ora pro nobis.

assistunt ante Dominum.
Ananiæ magni fili. *Tob.5.*
Tobiæ ductor & reductor fidelissime.
Dæmonis effugator sapientissime, *Cap.8.*
Oblator orationum ante Dominum,
Cæcitatis expulsor efficacissime,
Adiutor in tribulationibus,
Consolator in angustiis,
Tobiæ senioris illuminator optime,
Gaudium faciens deuotè tibi seruientibus,

Ora pro nobis.

SANCTI Angeli electos Dei conseruantes, Orate pro nobis.
Dignissimi munera cœlestia deferentes, Orate.
Præclarissimi, regna terræ custodientes, Orate pro nobis.
Nobilissimi, Principatus protegentes,
Prudentissimi, Dominos & Reges peculiari cura regentes,
Fortissimi, Dæmonis potentiam comprimentes,
Fidelissimi, Dei ministri homines custodientes,
Dulcissimi, hominum malitias temperantes,
Benignissimi, in conuersione peccatorum lætantes,
Piissimi, bona omnium mortaliũ Deo præsentantes,
Humanissimi, Prophetas erudientes,
Nuncij præstantissimi, Apostolis occurrentes.

Orate pro nobis.

Potentiſſimi, Eccleſiam Dei defendentes,
Sancti omnes Angeli ante Thronum Dei ſeruientes. Purgate nos.
Per nobiliſſima naturæ veſtræ diuina munera, Illuminate nos.
Per virtutem veſtram, nobis ineffabilem, Perficite nos.
Per voluntatum veſtrarum ardentiſſimam charitatem, Defendite nos.
Per gloriam & beatitudinem veſtram, Dirigite nos.

Chriſte beatitudo Angelorum,
Chriſte decus cœleſtium ſpirituum,
Chriſte ſplendor ſupernorum exercituum,
Geneſ. 3. Per Cherubin lignum vitæ cuſtodientes,
Cap. 16. Per Angelum humiliantem Agar ſub manu dominæ ſuæ,
Cap. 22. Per Angelum benedictionem tuam Abrahæ denunciantem,
Cap. 18. Per Angelum immolationẽ Iſaac prohibentem,
Cap. 28. Per Angelos ortum Iſaac prædicantes,
Per Angelos aſcendentes & deſcendentes ſuper ſcalam Iacob,
Cap. 19. Per Angelos Loth è medio peccatorũ educentes,
Act. 7. Per Angelos diuinam legem Moyſi tradentes,
Iſa. 6. Per ſanctos Angelos iugiter Deo Sanctus Sanctus, Sanctus concinnentes,
Luc. 2. Per Angelorum multitudinem ſimul laudantium te, & dicentium, Gloria

Te rogamus audi nos.

in excelsis Deo,

Per Angelos Natiuitatem tuam pastoribus nunciantes, *Ma.th.4.*

Per Angelos tibi in deserto ministrãtes, *Luc.22.*

Per Angelum te in Agonia confortantem,

Per Angelos iuxta sepulchrum tuum in albis sedentes, *Ioan.20.*

Per Angelos te in cœlum ascendente, tuis Discipulis apparentes, *Act.1.*

Per Angelum Lazari animam in sinu Abrahæ deportantem, *Luc.16.*

Per Angelos hostium exercitus frequenter dissipantes,

Per Angelos, SS. Martyres in tormentis consolantes,

Archangele Michael veniens in adiutorium populo Dei,

Archangele Gabriel protegens nos,

Archangele Raphael liberans nos,

Te rogamus audi nos.

Kyrie eleyson, &c. Pater noster.

Vers. Et ne nos inducas in tentationem,

Resp. Sed libera nos à malo. Amen.

PSALMVS AD ANGELOS Sanctos è varijs Psalmis.

LAudate Dominũ de cœlis; laudate eum in excelsis.

Laudate eum omnes Angeli eius, Laudate eum omnes virtutes eius.

Benedicite Domino omnes Angeli, potentes virtute, faciẽtes verbum illius, ad audien-

diendam vocem sermonum eius.

Benedicite Domino omnes virtutes eius, ministri eius, qui facitis voluntatem eius.

Benedic anima mea Domino, & noli obliuisci omnes retributiones eius.

Qui redimit de interitu vitam tuam, qui coronat te in misericordia, & miserationibus.

Quoniam Angelis suis mandauit de te, vt custodiant te in omnibus vijs tuis.

In manibus portabunt te, ne fortè offendas ad lapidem pedem tuum.

Super aspidem, & basiliscum ambulabis, & conculcabis leonem & Draconem.

Immittet Angelus Domini in circuitu timentium eum, & eripiet eos.

Gloria Patri & Filio, &c.

Vers. In conspectu Angelorum psallam tibi Deus meus.

Respon. Adorabo ad templum sanctum tuum, & confitebor nomini tuo Domine.

ORATIO.

Deus qui miro ordine Angelorum ministeria, hominumq́ue dispensas, concede propitius: vt quibus tibi ministrantibus in cœlo semper assistitur, ab his in terra vita nostra muniatur. Per Dominum nostrum Iesum Christum Filium, &c.

ORATIO AD S. MICHAELEM Archangelum.

DEus qui beato Michaëli Principi aſtanti,& ſummo cœleſtium copiarum præſlianti, ſub auxilio ſalutiferæ crucis ab æterno præuiſæ, glorioſum de ſuperbiſsimo Dæmoniarcha triumphum dediſti: te quæſumus, vt nobis armantibus frontem noſtram ſigno ſalutari, nomenque prædicti Michaëlis triumphatoris inuocantibus, fortitudinem ac victoriam contra viſibiles,& inuiſibiles hoſtes concedas, vt nos liberi ab eorum impedimento, ſecundùm tua diuina mandata, vitam noſtram deducere valeamus.

ORATIO AD S. GABRIELEM Archangelum.

DEus humanæ ſalutis amator, qui beatum Gabrielem principem adſtantem, & tuæ fortitudinis miniſtrum legaſti, ad annunciandum glorioſæ virgini immaculatæ ſacramentum incarnationis filij tui Domini noſtri IESV CHRISTI: humiliter petimus, vt confugientibus nobis ad præſidium tanti paranymphi, eius interceſſione fortitudinem aduerſus viſibiles & inuiſibiles hoſtes concedere digneris.

ORATIO AD S. RAPHAELEM Archangelum.

DEus qui ex tua ineffabili bonitate beatum Raphaelem fidelibus tuis viatoribus Ductorem, maleque habentibus medicum ab initio cõstituisti, te suppliciter rogamus, vt nobis implorãtibus opem dicti principis adstantis, patefacias semitam salutis, & ægritudinum tam animæ quàm corporis salutem medelam concedas. Amen.

CONSIDERATIONES ALIquot de Angelis.

Considera diligenter Anima deuota, quid de de Angelorum erga homines officijs scripsit S. Augustin. lib. Soliloq. cap. 27. vbi sic loquitur.

Dilexisti me vnice amor meus, antequàm diligerem te: & ad imaginem tuam creasti me: omnibus creaturis tuis præposuisti me: quam dignitatem tum quidem seruo, cùm nouerim te, propter quem fecisti me. Insuper facis Angelos tuos Spiritus propter me, quibus mandasti vt custodiant me in omnibus vijs meis, ne fortè offendam ad lapidem pedem meum. Hi enim sunt custodes super muros ciuitatis tuæ nouæ Hierusalem, & montes in circuitu eius vigilantes & custodientes vigilias noctis super gregem tuum, ne quando rapiat vt leo animas nostras, dum non esset qui eriperet, ille antiquus serpens, aduersarius noster Diabolus, qui quasi leo rugiens semper circuмit, quærens quem deuoret. Hi sunt

ciues beatæ Ciuitatis supernæ Hierusalem, quæ sursum est mater nostra, in ministerium missi, propter eos qui hæreditatem capiunt salutis, vt eos liberent ab inimicis suis, & custodiant in omnibus vijs suis: confortent quoque & moueant, & orationes filiorum tuorum offerant in conspectu gloriæ maiestatis tuæ. Diligunt nempè conciues suos, per quos suæ ruinæ scissuras instaurari expectant. Ideoque magna cura & vigilanti studio adsunt nobis omnibus horis & locis, succurrentes & prouidentes necessitatibus nostris, & solliciti discurrentes inter nos & te Domine, gemitus nostros atque suspiria referentes ad te, vt impetrent nobis facilem tuæ benignitatis propitiationem, & referant ad nos desideratam tuæ gratiæ benedictionem. Ambulant enim nobiscum in omnibus vijs nostris, intrant & exeunt nobiscum, attentè considerantes, quàm piè, quamque honestè in medio prauæ nationis conuersemur: quantoque studio & desiderio quæramus regnum tuum & iustitiam eius: quantoque timore & tremore seruiamus & exultemus tibi in lætitia cordis nostri. Adiuuant laborantes, protegunt quiescentes, hortantur pugnantes, coronant vincentes, congaudent gaudentibus, de te, inquam gaudentibus: grandis est eis cura de nobis. Magnus est affectus dilectionis eorum erga nos: & hoc totum propter honorem tuæ inæstimabilis charitatis, qua dilexisti nos. Diligunt enim quos tu diligis: custodiunt quos tu custodis: & deserunt quos tu deseris: nec diligunt operantes iniquitatem: & perdent omnes qui loquuntur mendacium. Quoties benè agimus, gaudent Angeli, & tristantur dæmones. Quoties verò à bono deuiamus, Diabolum lætificamus, & Angelos tuos suo gaudio defraudamus: gaudium est enim eis super vno peccatore pœnitentiam agente: sed Diabolo super vno iusto pœnitentiam deserente. Da igitur, da Pater, eis semper gaudere de nobis, vt & tu semper per eos

lauderis in nobis, & nos cum eis in vnum ouile tuum adducamur, vt confiteamur simul nomini sancto tuo, Creator hominum & Angelorum. Hæc ipse commemorans coram te confiteor, laudans te, quoniam beneficia tua magna sunt hæc, quibus nos honorificasti, dans nobis Angelos tuos Spiritus in ministerium nostrum. Dederas enim quidquid cæli ambitu continetur, & quasi parua reputas hæc, quæ sub cælo sunt, nisi adderes etiam ea, quæ sunt super cælos.

CONSIDERATIO PRIMA de Seraphinis.

PVtemus Seraphim Spiritus totos Diuino igne ſuccenſos, ſuccendere vniuerſa, vt ſinguli ciues Hieruſalem ſingulæ ſint lucernæ ardentes & lucentes: ardentes charitate, lucentes cognitione. Hæc operatur in illis qui condidit illos, vnus atque idem ſupremus ſpiritus, ſed aliter. Ardent Seraphim, ſed igne Dei, vel potiùs igne Deo: quod præcipuum eſt in eis amans, ſed non quantum Deus, nec quomodo. Cernere eſt in his quomodo amet, qui vnde amet non habet, ſed eſt: & qui nihil horum quæ fecerit ódit, quos ſaluandos fecit quomodo foueat: quomodo prouehat, quomodo amplexetur, quomodo delicta electæ iuuentutis, & paleas ignorantiarum eius ignis ille conſumens ipſam ſibi purgatiſſimam, & ſuo amore digniſſimam reddat.

CONSIDERATIO SECVNDA de Cherubinis.

PVtemus Cherubin ex ipso sapiētiæ fonte ore altissimi haurientes & refundentes fluenta scientiæ vniuersis ciuibus suis, & vide ne hic sit, quem Propheta loquebatur, fluminis impetus lætificans ciuitatem Dei. *Psal. 45.* Cernere est in ijs Deum scientiarum Dominum esse, qui solus solam nesciat ignorantiam, qui totus sit lux, & tenebræ in eo non sint vllæ: totus sit oculus, & qui minimè aliquando fallitur, quia minimè clauditur, qui extra se non quærat lumen, cui admoueatur vt videat, ipse qui videt, ipse vnde videt. Lucent ergo & scientia, eminent Cherubin, sed participio veritatis: ac per hoc non sicut veritas, nec quantum.

CONSIDERATIO TERTIA de Thronis.

PVtemus Thronos, alto etiam ab his euolasse recessu, qui ex eo quòd sedent, throni dicuntur: & ex eo sedent, quòd sedet in ijs Deus. Neque enim sedere in eis qui non sederent posset. Quæris quid illam sentiam sessionem? summam tranquillitatem, placidissimam serenitatem, pacem quæ exuperat omnem intellectum. Talis est qui sedet in Thronis Dominus Sabaoth, iudicans omnia cum tranquillitate, placidissimus, serenissimus, pacatissimus, & tales sibi

conſtituit Thronos ſimillimos ſibi. In his cernere eſt quàm non ſuſpectus omnis in nocentiæ iudex ſedeat in his, qui circumue nire nolit, circumueniri non poſſit, quippe qui ſit amans & videns. Nec vacat ſeſſio, tranquillitatis inſigne eſt. De vultu tali iudicium meum prodeat opto, cui inſit amor, error abſit, abſit & perturbatio. Throni ergo ſedent, ſed inſidentis beneficio iudicant & ipſi cum tranquillitate, ſed non ad menſu ram modumve pacis pacantis, pacis quæ exuperat omnem ſenſum.

CONSIDERATIO QVARTA de Dominationibus.

PVTEMVS Dominationes adeò cunctis ſupereminere ſequentibus ordinibus, vt reſpectu horum, cæteri videantur omnes adminiſtratorij ſpiritus, & ad iſtos tanquàm ad Dominos referri regimina Principatuum, tutamina Poteſtatum, operationes Virtutum, reuelationes Archangelorum, curam & prouidentiam Angelorum. In ijs cernere eſt quantæ ſit Dominus maieſtatis, cuius nutu imperium conſtat, & imperio vniuerſitas, atque æternitas termini ſunt. Dominantur ergo Dominationes, ſed ſub Domino dominantur, ſed ſeruiunt pariter. Quid hoc ad ſummum, ſempiternum, ſingulareque dominium?

CONSIDERATIO QVINTA de Principatibus.

PVTEMVS Principatus his quoque prælatos, quorum moderamine & ſapientia omnis in terris principatus conſtituitur, regitur, limatur, transfertur, mutilatur, mutatur. In his cernere eſt principium, ex quo omnia, & quomodo à cardine oſtium, ſic ab ipſo regi vniuerſitatem. Præſunt ergo principatus & regunt, ſed reguntur & ipſi: ita vt regere iam non norint, ſi regi deſierint.

CONSIDERATIO SEXTA de Poteſtatibus.

PVTEMVS Poteſtates ſuperiores Virtutibus, quarum virtute poteſtas tenebrarum comprimitur, & coërcetur malignitas aëris huius, ne quantum vult, noceat, ne malignari niſi vt proſit, poſſit. Cernere eſt in ijs quàm poteſtatiuè idem princeps quos regit, protegit: contrarias poteſtates arcens, & propulſans. Præcellit ergo in poteſtatibus fortitudo, ſed cui debent quòd fortes ſunt: & aliter eſt fortis & plus. Nec tam fortis quàm ipſa fortitudo eſt.

CONSIDERATIO SEPTIMA de Virtutibus.

PVtemus ſuper Archangelos Virtutes eſſe, quorum nutu vel opere ſigna & prodigia in elementis, ſiue ex elementis facta apparent, ad commonitionem mortalium. Cernere eſt in his vnam vbique æquabiliter præſto eſſe virtutem, perque omnia, viuificam, efficacem, inuiſibilem, immobilemque, omnia tamen mouentem vtiliter, tenentem fortiter. Quæ cùm in minùs vſitata effecta apud mortalem eruperit, miracula ſiue prodigia vocant. Virtutes ergo pro ſuo miniſterio, & potentatu ſatagùnt excitare corda torpentia hominum, innouatióne ſignorum. Virtus verò in eis manens ipſa facit opera, faciũt & illæ, ſed in comparatione eius non faciunt.

CONSIDERATIO OCTAVA DE Archangelis. D. Bernardi. ibid. & hom. 2. ſuper Miſſus, &c.

PVtemus hos Angelis præeſſe, qui conſcij diuinorum myſteriorum, non niſi ob præcipuas, & maximas cauſas mittuntur: è quibus magnus ille Archangelus Gabriel miſſus legitur ad Mariam, ob cauſſam vtique, qua maior eſſe non potuit. Cuius nomen meritò interpretatur fortitudo Dei, quia non alio aliquo fortè excellentiore ſe (vt aſſolet) ſpiritu, ſed ab ipſo Deo mit-

ti perhibetur. Vel ideo dictum est à Deo, ne cui vel beatorum ſpirituum, ſuum Deus antequàm virgini, reuelaſſe putetur conſilium, excepto duntaxat Archangelo Gabriele, qui vtique tantæ inter ſuos inueniri potuit excellentiæ, vt tali & nomine dignus haberetur & nuncio. Nec diſcordat nomen à nuncio. Dei quippe virtutem CHRISTVM, quem melius nunciare decebat, quàm hunc, quem ſimile nomen honorat? Nam quid eſt aliud fortitudo quàm virtus? Non autem dedecens, aut incongruum videatur, Dominum & nuncium communi cenſeri vocabulo, cùm ſimilis in vtroque appellationis, non ſit tamen vtriuſque ſimilis cauſa, Chriſtus Dei virtus & dicitur & eſt, quæ forti armato, qui ſuum atrium in pace cuſtodire ſolebat, fortior ſuperueniens, ipſum ſuo brachio debellauit, & ſic ei vaſa captiuitatis potenter eripuit. Angelus verò, vel quòd eiuſcemodi meruerit prærogatiuam officij, quo eiuſdem nunciaret aduentum Virtutis: vel quia Virginem natura pauidam, ſimplicem, verecundam, de miraculi nouitate ne expaueſceret, confortare deberet.

CONSIDERATIO NONA DE Angelis. D. Bernar. in varijs locis.

PVtemus Angelos dici qui ſinguli ſingulis hominibus dati creduntur miſſi in miniſterium, propter eos qui hęreditatē capiunt ſalutis, de quibus ſaluator: Angeli *Lib. 5. de Conſid.*

Hebr.1. eorum ſemper vident faciem patris. Cerne-
Matt.18. re in ijs eſt veritatem atque experientiam
Pſal.90. vocis illius: Angelis ſuis mandauit de te: &
alibi: Quoniam ipſi cura eſt de vobis, qui ta-
lium nos & tantorum non deſinit iucunda-
re viſitationibus, inſtruere reuelationibus,
ſuggeſtionibus commonere, ſedulitate ſo-
a, ſer.12.in Pſal.90. latiari *a*. Quantam tibi debent hæc verba
inferre reuerentiam, afferre deuotionem,
conferre fiduciam: reuerentiam pro præ-
ſentia, deuotionem pro beneuolentia, fidu-
ciam pro cuſtodia. Cautè ambula, vt videli-
cet cui adſunt Angeli in omnibus vijs tuis.
In quouis diuerſorio, in quouis angulo, An-
gelo tuo reuerentiam habe. Tu ne audeas
illo præſente, quod, vidente me non aude-
res? An præſentem eſſe dubitas, quem non
vides? Quid ſi audires? quid ſi tangeres? quid
ſi olfaceres? Vide quia non ſolo viſu rerum
præſentia comprobatur. Non omnia viſui
ſubiacent, nec corporalia quidem: quantò
magis ſpiritualia procul ſunt ab omni ſenſu
corporeo, & ſpiritualiter potiùs inueſtigan-
b. Serm.de S.Michael. da? *b*. Laborandum nobis potiùs eſt, vt di-
gnos exhibeamus eorum frequentia, & eo
modo conuerſemur in conſpectu Angelo-
rum, ne forte ſanctos offendamus obrutos:
& neceſſe non habeamus, & nos ipſos plan-
gere, ac dicere cum Propheta, Amici mei &
proximi mei aduerſum me appropinquaue-
runt & ſteterunt, & vim faciebant qui quæ-
rebant animam meam: elongatis nimirum
eis, quorum præſentia protegere nos, &
propulſare poterat inimicum. In his autem
maxi-

maximè exerceri debemus, quibus eos nouimus oblectari, vt est sobrietas, castitas, paupertas voluntaria, crebri in cœlum gemitus, & orationes cum lachrymis, & cordis intentione. Attamen super omnia hæc vnitatem & pacem à nobis exigunt Angeli pacis *c*. Et cùm eos adstare credamus psallentibus in medio iuuencularum tympanistriarum, offerreque DEO preces, & vota hominum, dolendum valdè est, aliquos graui in sacris vigilijs deprimi somno, nec cœli ciues revereri, sed in præsentia principum tamquàm mortuos apparere, & verendum ne ob hanc desidiam longè recedant. Si enim se à nobis elongauerint, impetus malignorum quis sustinebit? *d*. Memores simus, exultasse Angelos, quando conuersi sumus ad pœnitentiam, proficiamus & festinemus complere de nobis eorum lætitiam. Væ tibi quicunque es, qui deliberas redire ad lutum, reuerti ad vomitum. Putásne placatos habebis in iudicio, quos tanto & tam sperato priuare vis gaudio? Exultauerunt inquam, cùm nos ad pœnitentiam venimus, tamquàm super his, quos ab inferi porta cernerent euocari. Quid nunc erit, si ab ipsa paradysi ianua reuerti viderint, & abire retrorsum eos, qui iam pedem alterum in paradyso posuerunt *e*? Quoties ergo grauissima cernitur vrgere tẽtatio, & tribulatio vehemens imminere, inuoca custodem tuum, inclama eum, & dic, Domine salua nos: perimus. Non dormit, neque dormitat, & si ad tempus quandoque dissimu-

c. Serm. 7. in cant. Psal. 67. & 137.

d. Serm. 2. de Natiuit. Diui.

e. Serm. 12. in Psal. 90

let, ne fortè periculosiùs ab illius te manibus ipse præcipites, si te eis ignorauerit sustentatum.

EX STATVTIS SYNODI DIOcesanæ Atrebatensis anni 1584. De Sanctorum Angelorum veneratione & officijs.

Vsque adeò multum subsidij, & fauoris, ab Angelica natura sucipit humana, vt notam ingratitudinis incurrere videri poßit, nisi, quam vicem potest, rependere studeat. Si quidem saluti nostræ inuigilant, ac tuitioni, contra malignorum spirituum incursus: & singuli singulos habemus Angelos animæ nostræ custodes, imò omnes Angeli in ministerium sunt mißi, propter eos qui hæreditatem capiunt salutis. Hinc est quod gratitudinis ergo monemus omnes, & singulos nobis subditos, vt deuotione quadam speciali venerentur Angelos, & eorum festa, pijs operationibus, orationibus, & alijs exercitijs religionis colant, videlicet prima Martij, qua festum celebratur Angelorum custodum animarum nostrarum, & eiusdem Martij decima octaua, qua Gabrielis, nostræ redemptionis Paranymphi memoria colitur, & octaua Maij, qua Apparitio S. Michaelis solemnisatur, & S. Michaelis dedicatio, quæ celebratur Septembris penultima. Atque eum ipsum S. Michaelis diem mensis Septembris ita obseruent, vt ab omni opere seruili, tanquàm in summo festo Natalis omnium Sanctorum, abstineant: vt sic sibi beneuolentiam ipsius Sancti Michaelis, & reliquorum omnium Spirituum Sanctorum concilient, & sub eorum tutela salutem suam meliùs operari poßint, & valeant ad honorem Maiestatis Diuinæ, cui perpetuò adstare creduntur.

Orationes & Litanias beatæ Virginis, cum meditatione huius feriæ tertiæ habes infrà in secunda libri parte.

FERIA IIII.

DE SANCTIS APOSTOLIS & Innocentibus.

MEDITATIO.

Hoc die recordaberis Sanctos Apostolos te circũstare, tanquàm Stellas duodecim, quibus te inclinando facies, vt suprà.

PRimò considera, quando Deus humanam carnem assumpsit, Apostolos tantùm eos fuisse, qui eum singulari reuerentiæ significatione exceperunt loco totius generis humani, præcipuè verò electorum, ac magno cum amore eidem se associàrunt: deinde verò Christo seruisse valdè humiliter propter te, & alios homines: tertiò eidem fuisse à secretis in sacrosanctis reconditisque mysterijs, ac alijs rebus ad salutem nostram pertinentibus.

2. *Considera ipsos esse Patres Christianæ Religionis, & columnas, quibus salus animarum nostrarum sustinetur.*

Ipsi namque Maiores nostros à cultu Dæmonum, Furiarumque omnium Infernalium, & ab infinitis superstitionibus, quibus tenebantur implicitì, liberarunt, ostendentes eis verum Deum, & viam salutis æternæ.

3. *Considera, sicut Deus olim Hebræis propter Abraham, Dauid & alios Patriarchas seruos suos & electos sæpè pepercit, ita nobis iam parcere ac frequẽter delicta nostra condonare, propter feruentem amorem San-*

Et vos beati Infantuli,
Auete ô integelluli,
Cœlestes oræ flosculi,
Vitæ perennis ſtellulæ.
Summo parenti Cœlitum,
Magnæque proli virginis
Sancto ſimul paraclito
Sit ſumma laus & gloria.

AMEN.

Verſ. In omnem terram exiuit ſonus eorum.
Reſp. Et in fines orbis terræ verba eorum.

ORATIO AD SS. Apoſtolos.

DEVS qui nos per beatos Apoſtolos tuos ad agnitionem nominis tui venire tribuiſti, da nobis eorum gloriam ſempiternam, & proficiendo celebrare, & celebrando proficere.

ORATIO AD SS. Innocentes.

DEVS cuius prçconium innocentes Martyres, non loquendo, ſed moriendo confeſſi ſunt omnia in nobis vitiorũ mala mortifica, vt fidem tuam, quam lingua noſtra loquitur, etiam moribus & vita fateatur.

AMEN.

Similes olim editæ pro Germania authoritate Ill. D. Othonis, S.R.E. Cardin. & Episc. Augustan. Anno Domini 39. & 68.

LITANIAE AD SANCTOS EOS qui Gentes legem Christi docuerũt, pro regnis & prouinciis, vel schismate vel hæresi laborantibus, & ad proprios Sanctos ac Sanctas Belgij, quorum reliquiæ ibidem quiescunt.

† In nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, Amen.

Antiph. *Pater sancte, serua eos in nomine tuo, quos dedisti mihi: vt sint vnum, sicut & nos. Ioan. cap. 17.*

Kyrie eleyson, &c.

S. Petre pastor ouium, & princeps Apostolorum, Catholicæ & Romanæ Ecclesię post Christum caput ac decus: & S. Paule gentium in fide, & veritatis Doctor, Qui Antiochiam, Pontum, Capadociam, Galatiam, Bithiniam, Asiam, Græciam, Cyprũ, Italiam, Romam, &c. lumine fidei illustrastis, Orate pro nobis.

S. Andrea crucis amator, Achaiæ & Scytharum apostole,

S. Iacobe Hispanorum apostole, & inter Apostolos protomartyr.

S. Ioannes dilecte Christi discipule, Euangelista, Propheta, & Asiaticorum apostole.

S. Iacobe frater Domini, & prime Hierosolymorum Episcope.

S. Philippe, Phrygiæ & Scytharum apostole,

S. Thoma Germanorum, Medorum, & Persarum apostole,

Ora pro nobis.

S. Bar-

S.Bartholomæe Indorum apoſtole,
S.Matthæe Euangeliſt.& Aethiopum apoſtole,
S.Symon in Aegypto, Cirene & Aphrica apoſt.
S.Iuda Thad. in Perſide & Meſopotam. Apoſt.
S.Mathia Aethiopum apoſtole, nunc apud Treuiros corpore requieſcens.
S.Marce Euangel. & Alexandriæ apoſt.
S.Luca Medice nobilis & Euangeliſta.

Ora pro nobis.

Omnes ſancti Apoſtoli & Euangeliſtæ, Chriſtianæ fidei atque vnitatis maximi propugnatores. orate pro.
Septuaginta duo diſcipuli Domini, & primi poſt Apoſtolos presbyteri, orate pro.

S.Dionyſi qui primus Galliæ fidem orthodoxam annunciaſti,
S.Materne, Euchari, Valeri primi Germaniæ ac Belgij Apoſtoli, ac Treuirenſes Epiſcopi, *Anno* 101
S. Remigi qui opus Euangelij à S.Dionyſio cœptum in Gallia perfeciſti. *Anno* 499.
S.Silueſter, qui baptizato Conſtantino toti Imperio fidem annunciaſti, *ann.* 314.
SS. Damiane, Fugate & Auguſtine Anglorum apoſtoli. *ann.*150. & *an.* 590
S.Paladi Scotorum apoſtole,
S.S. Egberte & Patrici Hyberniæ apoſtoli,
S.Leander Epiſcope, & fidei in Hiſpania reſtaurator, *ann.*203.
S.Martine qui Sueuiam ab Arrianiſmo reuocaſti, *ann.*423.

Ora pro nobis.

ann. S. Vigberte Traiecti
590. S. VVillibrorde, Frisiæ
alij S. VVilliberte Hollandiæ
600. S. VVilliberte Axeliæ
ann. S. VVillibalde, Hulstij
540. S. VVinibolde BiervI.
ann. S. Lobuine,
528. S. Evvalde,
ann. S. Svverenfride Gelriæ
609. S. Marcelline VVestphal.
an. 609 S. Adalberte.

} Apostoli,

ann. SS. Emertine & Arnolphe, Brabantiæ,
686. Flandriæ & Hannoniæ apost.
ann. S. Rumolde Mechliniæ apostole.
770. S. Bonifaci, qui in Germania fidem re-
Colit. Cal. staurasti,
Iulij. S. Heridage Danorum apostole,
ann. 716. S. Angari Datiæ, Suetiæ, Gottiæ, Gro-
ann. 710. landiæ & Boëmiæ apostole,
alij 760. S. Adelberte Pannoniæ, Russiæ, Lituaniæ, Moscouiæ, Prussiæ, Poloniæ apostole,
ann. 816. S. Bruno Ruthenorum apostole,
anno 980. S. Otho Pomeraniæ apostole,
ann. 1025. S. Amelberga cum filiabus Pharailde, Reinelde, *Corpus quiescit Gandaui*, & Gu-
ann. 1123. dula, *Bruxellæ patrona.*
Coluntur in S. Bertilia cum filiabus Vvaldetrude, Al
Ianuar. die degonde, *Mareoli. Mont. Hannoniæ, Mal-*
7. 4. 3. Ian. *bodij.*
& 9. April- S. Arnulphe, *Cisonij.*
lis 28. Ian. S. Berlendis, *Merbecæ iuxta Niniuen.*
die 3. Febr. S. Vedaste, *Atrebati*
colitur. S. Amande, *in monasterio eiusdem.*

} Ora pro nobis.

S.Chrysoli, *Cominij.*
S.Lamberte, *Leodij.* — *Die 6.*
S.Syluine, *Audomaropoli.* — *Die 7.*
S.Salui, cum socio Superio, *iuxta Valencenas.* — *Die 17.*
S.Eleutheri, *Tornaci.* — *Die 20.*
S.Aldetrudis cum sorore Magdelberta, *Malbodij. Leodij.* — *Die 25. & 7. Septembr.*
S.Vindeciane Atrebat. Episcop. *In monte S. Elisij.* — *Mart. 11.*
S.Aldelsende, *Marchianis.* — *Die 16.*
S.Gertrudis, *Niuellæ.* — *Die 17.*
S.Amanti, *Gandaui.* — *Die 19.*
S.Drogo, *Valencenis.* — *April. 9.*
S.Erkembodo, *Audomaropoli.* — *Die 12.*
S.Floriberte, *Gandaui in S. Petro.* — *Die 25.*
S.VValburgi, *Furnis in Flandria.* — *May 1.*
S.Alberte, *Crispinij.* — *Die 2.*
S.VValberte, Comes Arkensis.
S.Mauronte, *Duaci.* — *Die 4.*
S.Rictrudis cum filiabus Clotsende, Eusebia, *Marchianis.* — *Die 12.*
S.Seruati, Tongrensium Episcope, *Traiecti.* — *Die 13.*
S.Dympna, *in Ghele.*
S.Adriane, *Montibus S.Gerardi.* — *Die 27.*
S.Landeline, *Lobijs.* — *Iunij 15.*
S.Cyrice, *in monasterio S. Amandi.* — *Die 16.*
S.Itisberga soror Caroli magni, *iuxta Aeriam.* — *Die 20.*
S.Hidulphe, Dux Lobiensis, *Binchij.* — *Die 23.*
S.Oduine, *Hougardiæ.* — *Die 25.*
S.Regina cum filiabus, Rafrende & Aua, *Dononij iuxta Valencenas.* — *Iulij 1.*

Ora pro nobis.

Die 10.	S.Etto, *Letijs.*	Ora pro nobis.
Die 24	S.Levvina, *Bergis.*	
*August.*1.	S.Bauo, *Gandaui in S.Petro.*	
	S.Ionathe, *Martianis.*	
Die 5.	S.Abel, *Binchij.*	
Die 11.	S.Gaugerice Cameracens. Episcop. *Coloniæ.*	
Die 22.	S.Maure, *in Abbatia Florinensi.*	
*Septemb.*5.	S.Bertine, *Audomaropoli.*	
Die 7.	S.Madelberta, *Leodij.*	
Die 10.	S.Orgere, *Ruremondæ.*	
Die 11.	S.Vinciana, *Gandaui.*	
Die 12. *Ann.* 1112.	S.Guido & Vvanedulphe, *qui iuxta Bruxellam in Anderlaco floruistis.*	
Die 27.	S.Hiltrudis, *Letijs.*	
*Octobr.*1.	S.Piate Tornacens. Apost. *Siclinij corpus quiescit.*	
Die 3.	S.Gerarde, *Bronij iuxta Namurcum.*	
Die 8.	S.Valeria, *in Hunol court.*	
Die 9.	S.Gissene, *in Hannonia.*	
Die 10.	S.Olla, *iuxta Cameracum.*	
Die 11.	S.Venanti, *iuxta Aeriam.*	
Die 14.	S.Gummare, *Lyræ in Brabantia.*	
Die 16.	S.Donatiane, *Burgensium Patrone.*	
	S.Gosuine, *Aquicincti.*	
	S.Gurdinelle, *Duaci.*	
Die 19.	S.Amate, *Duaci.*	
	S.Vvillebrorde, *Grauelinganorum Patrone, Luxemburgi.*	
Die 22.	S.Oelberte, *iuxta Antuerpiam.*	
Die 33.	S.Oda, *prope Huvvum.*	
*Nouemb.*2.	S.Vulgane, *Lendij.*	
Die 3.	S.Huberte, *Andanij.*	
Die 6.	S.Vvlnoce, *Bergis.*	

S.Maxellendis, *partim Cameraci, partim Cameracesij.* Die 13.
S.Trudo, *in oppido eiusdem.* Die 23.
S.Sari, *Cameraci.*
S.Maxime, *Ypris.* Die 27.
S.Radbode, *Dauentriæ.* Die 29.
S.Eligi, *partim Brugis, partim Nouiomij.*
S.Autberte, *Cameraci.* Decemb.1.
S.Euerarde, *Dux Foroiulienfis, Cameraci.* Die 13.

Ora pro nobis.

Omnes ſancti Martyres, Confeſſores, Virgines, atque Viduæ, quorum reliquiæ in Belgio quieſcunt & coluntur, Intercedite pro nobis. Die 16.

Propitius eſto, Parce nobis Domine.

A contemptu, ac neglectu rerum ſacrarum, Libera nos Domine.

A profanatione Templorum, & omni ſacrilegio. libera.

Ab omni rebellione, libera.

A tyrannide & ferocia hæreticorum & infidelium, libera.

Ieſu Chriſte Fili Dei viui. libera.

Vt Pontificem noſtrum N. & Epiſcopos omnes ad pacificandam, & reformandam Eccleſiam excites atque dirigas. Te rogamus audi nos.

Vt Imperatorem N. & Regem noſtrum N. omnesq; Principes verè Catholicos, & fidei propugnatores efficias, te rogamus.

Vt clerum noſtrum, ac omnes viros eccleſiaſticos à ſcandalis, omniq́ue vitæ licentia ac turpitudine liberes. te rogamus.

Vt omnes populos ad ſtudium pacis, ac vnitatis reuoces, te rogamus.

ALIAE LITANIAE AD PROPRIOS SANCTOS AC SANctas Galliæ, vel quorum reliquiæ in ea quiescunt.

Apoſtoli Galliarum.

S.Trophime, Arelate. 29. Nouembr.
S.Creſcens Viennenſ.
S.Irenee, Lugd. cum ſociis. 28. Iunij.
S.Vrſine, Bituricenſ. 6. Nouembr.
S.Serg. Paule, Narbon. 22. Mart.
S.Saturnine, Tholoſ. 29. Nou.
S.Auſtremoni, Auernis, 1. Nouemb.
S.Martialis, cum ſoc. Lemouic. Pictton. Burdeg. 30. Iun.
S.Fronto, cum ſoc. Petragoriis.
S.Eutropi, Santonib. 30. April.
S.Gatiane, Turonec. 18. Decembr.
S.Iuliane, Cenomenſ. 27. Ian.
S.Dionyſi, cum ſoc. Pariſ. 9. Octob.
S.Sauiniane, Potent. 31. Decemb. Senon.
S.Luciane cum ſoc. Bellouac. 8. Ian.
S.Andochi cum ſoc. Auguſtodun. 24. Septembr.
S.Benigne Lingonen. 1. Nouembr.
S.Lazare Epiſc. Maſſilienſ. 17. Decembr.
S.Maximine Epiſc. Agnenſ. 8. Iunij.
S.Felix presbyt.
S.Fortunate
S.Achillæe
Diaconi Valentiæ 23. April.

Ora pro nobis.

S. Marcelline cum ſociis Ebredunenſ. 20.April.

S. MARTYRES.

S.Criſpine & Criſpiniane,Sueſſione 25. Octob.
S.Valeri & Ruffine,Sueſſione. 14.Iun.
S. Agoarde & Agliberte in vico Giſtolio Parienſ.territ.24.Iun.
S.Alexander Lugduni cum 34.ſociis.24. April.
S.Alexander cum ſociis,Nouioduni, 6. Iun.
S.Victor cum ſocijs Maſſiliæ,21.Iul.
S.Amaranthe Albigenſ.7.Nouembr.
S.Antholiane Aruernis,6.Febr.
S.Apollinaris & Timothee, Bliemis 23. Auguſt.
S.Aquiline cũ ſoc. Nouioduni.17.Maij.
S.Photine cum ſociis,Lugd.2.Iun.
S.Baudeli,Nemauſij,10.Maij.
S.Canti,Cantiane,Cantianilla,Germani martyres,Stempis, 31.Maij.
S.Capraſine martyr,Agemij,20.Octob.
S.Cacaume,Carnoti,28.Maij.
S.Iuſte, Iucundine cum ſociis, Trecis, 21.Iul.
S.Deſideri Lugonen.cũ ſociis.23.Maij.
S.Deſideri Vienn.Epiſ.& mart.11.Febr.
S.Donatiane & Piogatiane, Nannetis. 24.Maij.
S.Eleazare & Minerues cum filiis Lugd. 23.Auguſt.
S.Eleuſippe & Speuſippe,&c.Lingonis,

Ora pro nobis.

17.Ianuar.
S.Exuperi,Viennæ, 19.Nouemb.
S.Felix cum ſociis,Valentiæ.23.April.
S.Ferreole, in territ.Vienn.18.Sept.
S.Firmine epiſcope & mart. Ambian. 25.Septembr.
S.Flocelle puer Auguſtod.17.Sept.
S.Florenti Epiſco.& Mart.Vien. 3.Iun.
S.Fuſciane & Victorice,Ambian.11.Decembr.
S.Geneſi martyr,Arelate. 25.Aug.
S.Gentiane,Ambian.1. Decemb.
S.Gordiane & Valeriane, Nouiodu.17. Sept.
S.Hadrian.& Hermes Maſſiliæ.1. Mart.
S.Iulianni mart.Bellouaci.8.Ian.
Iuliane mart.Lugdun.13.Febr.
Iuliane martyr Brinate.28.Auguſt.
Iuſtine martyr in territ. Pariſienſ. 1. Auguſt.
Iuſte mart.Threcis.21.Iul.
Longine Maſſil.21.Iul.
Lucane,Pariſ.30.Octob.
Macrine Nouiodun.17.Sept.
Marcelle Cabiloe, 4.Sept.
Mature & Photine Lugd.2. Iun.
Mauriti cum ſociis.22.Sept.
Maure & ſocij martyres, Rhemis.22. Auguſt.
Maxime Leuita & mart. Ambian. 20. Octobr.
S.Alitey,Aquis 13.Nouembr.
Nemori Diacon.cum ſociis Græcis.7. Septembr.

Ora pro nobis.

Nicasi Episc. Rhemens. & martyr cum soc. 14. Decembr.
Paterne, mart. Senonens. 22. Nouembr.
Patrocli, mart. Preces, 21. Ian.
Paule, mart. Nouiodun 17. Maij.
Platon presbyt. & mart. Tornaci, iacet Carnoti 1. Octob.
Procule, Augustodun.
Ruffine & Valeri mart. Suessione 14. Iun.
Sabiniane mart. Preces, 29. Ian.
Salui, epis. Engolismens. & Superiores mart. 26. Iunij.
Sidoni mart. Senonens. 11. Iul.
s. Simphoriane Puer Augustodun. 22. August.
s. Quintine Augustæ Veromandorum, 31. Octob.
Valerine Mart. Cabilon. 15. Sept.
Venerande mart. Trecen. 14. Nouem.
Victor & Vincenti car. Ebroduni, 22. Ian.
Victor cum soc. mart. Massiliæ 21. Iul.
Victorine Episc. Pictauiens. cum mart. 2. Nouembr.
Vincenti Leuit. & mart. Agenui, 9. Iun.

Ora pro nobis.

S. EPISCOPI.

S. Lupe Senonens. 1. Septembr.
s. Lupe Trecens. 29. Iul.
s. Lupe Lugd. 25. Septemb.
s. Adelphe Episc. Metens. 29. August.

S.Ado, Vien.16.Decemb.
S.Atheri, Vien.14.Iunij.
S.Aetheri Antiſſiodoren.27.Iulij.
S.Agerice Virodunen.1.Decemb.
S.Agricola Cabilonen.17.Mart.
S.Albine Andegauenſ.1.Mart.
S.Albine Lugdunenſ.15.Sept.
S.Amande Burdegalen.18.Iun.
S.Amator Antiſiodorenſ.1.Maij.
S.Amator Auguſtodunenſ. 26. Nouembr.
S.Amate Senonenſ.13.Septembr.
S.Anachari Altiſiodorenſ. 5. Septembris.
S.Amiane Aurelianenſ.17.Nouemb.
S.Ausberte Rhotomagenſ.9. Febr.
S.Antioche Lugdunenſ.15.Octobr.
S.Apollinaris Valentiæ. 5.Octobr.
S.Apre Tullen.15.Septembr.
S.Aquiline Ebroicen.19.Octobr.
S Arnulphe Meten.18.Iul.
S.Arnulphe Sueſſionen.15.Auguſt.
S.Audoëme Rhotomagen.24. Auguſt.
S.Auite Viennenſ.5.Febr.
S.Aureliane Arelatenſ.16.Iunij.
S.Auſtregiſile Bituricenſ. 20.Maij.
S.Aulberte Cameracenſ. 13.Decemb.
S.Baſiane Laudunen.19.Ian.
S.Bonauentura, Albanen. Lugd. 14.Iul
S.Bricti Turonenſ.13.Nouembr.
S.Cæſari Arelatenſ.27. Auguſt.
S.Caſſiane Auguſtodun. 5.Auguſt.
S.Cenſuri Altiſiodoren 10.Iunij.
S.Clarenti Viennenſ.26.April.

Ora pro nobis.

s.Clare Episc.Nannetens.12.Octob.
s.Cleodulphe Metens.8.Iun.
s.Delphine Burdegalensis, 24.Decembris.
Desideri Lugdunens. Episcop. & Martyr.
s.Dionysi Viennens.8.Maij.
s.Domitiane Catalaunens.9.Aug.
s.Domnole Cenomanens.16.Maij.
s.Domne Viennen.3.Nouembr.
s.Maglori Episcop. Armarinus, Paris. 24.Octob.
s.Donatiane Catalaunens.Episcop. 7. August.
s.Donatiane Bliennens.14.Octob.
s.Eleuteri Antisiodorens. 16.Aug.
s.Eligi Nouiomens.1. Decemb.
s.Elpidi Lugdunen.2. Septemb.
s.Euchere Aurelianens.20.Febr.
s.Eucheri Lugdun.16.Nouemb.
s.Euodi Rhotomagens.8.Octob.
s.Euorti Aurelianens.7.Sept.
s.Emphroni Augustod. 3.August.
s.Emphroni Turonen. 4.August.
s.Eustochi Turonen. 19.Sept.
s. Exuperi Tolosane. 28.Sept.
s.Faro Melden.28.Octob.
s.Felix & Lupicine Lugd. Episc.3.Febr.
s.Felix Metens.21.Febr.
s.Flauiane Augustod.23.August.
s.Fidole Trecensis.16.Maij.
s.Firmine Episc.Metens.18.August.
s.Floscule Aurelian.2.Febr.
s.Fraterne Altisiodorens. 29.Sept.

Ora pro nobis.

s. Geor-

s.Georgi Viennenſ.2.Nouemb.
s.Gerarde Tullen.23.April.
s.Germane Pariſien. 28.Maij.
s.Germane Altiſiodorenſ.31.Iul.
s.Gildarde Epiſc.Rhotomagen. 8.Iun.
s.Godesfride Ambian.8.Nouemb.
s.Gregori Lingonenſ.4.Ian.
s.Gregori Turonenſ.17.Nou.
s.Gregori Altiſiodorenſ.19.Dec.
s.Guilel Bituricen.10.Ian.
s.Guilel.Briocenſ.29.Iul.
s.Gundulphe Bituricenſ.17.Iun.
s.Helladi Antiſiodoren.8.Maij.
s.Heracli Senonenſ.8.Iun.
s.Hilari Pictauienſ.13.Ian.
s.Hilari Arelatenſ. 5.Maij.
Honorate Arelatenſ. 16.Ian.
Honorate Ambian.16.Maij.
Hugo Gratianopol.1.April.
Hugo Rhotomagenſ.9.April.
Ioannes Auguſtod.29.Octob.
Iuſte Lugdunenſ.2.Sept.
Lamberte & Lugdun.14.April.
Leo Senonenſ.22.April.
Leobine Carnotenſ. 15.Sept.
Leodegarie Auguſtod.3.Octobr.
Liborie Cenomanenſ.23.Iul.
s.Licine Andegauen.13.Febr.
Ludouice Tholoſan.
Malachias Epiſcop. Cornutenſ. iacet Clareual.3.Nou.
Mamerte ep.Viennenſ.11.Maij.
Manſuete,ep.Tullenſ.3.Sept.
Marcelle,ep.Pariſienſ.3.Nouem.

Ora pro nobis.

S. Martine Turonenſ. 11. Nouembr.
Martine Viennenſ. 1. Iul.
Maurilli Andegauenſ. 13. Sept.
Maurice, Epiſcop. Virodunenſ. 8. Nouembr.
Medarde, ep. Nouiomenſ. 8. Iun.
Melani, epiſ. Rhedonen. 6. Ian.
Melani, ep. Rhotomagenſ. 22. Octob.
Memmi Cathalaunenſ. 5. Auguſt.
Monitor epiſ. Aurelia. 10. Nou.
Nicaſi ep. Rhotomagen. 11. Octobr.
Niceti ep. Lugdun. 2. April.
Niceti ep. Viennenſ. 5. Maij.
Optate Epiſc. Antiſiodorenſ. 31. Aug.
S. Pantagate, ep. Viennen. 17. April.
S. Paſcali ep. Viennen. 22. Febr.
Paſtor & Aurelianenſ. 30. Mart.
Paterne, ep. Abricenſis, 16. Apr.
Patiens, ep. Metenſis, 8. Ian.
Patiens, ep. Lugdunenſ. 11. Sept.
Paule ep. Trecen. 1. Febr.
Paule ep. Virodunenſ. 8. Febr.
Paule ep. Narbonen. 22. Mart.
Peregrine ep. Antiſiodorenſ. 16. Maij.
Perpetue ep. Turonen. 8. April.
Firmine ep. Meldenſ. 3. Nouembr.
Prætextate ep. Rhotomagen. 24. Febr.
Pragmati ep. Auguſtod 22. Nouemb.
Principi ep. Sueſſionen. 25. Sept.
S. Proſper ep. Aurelianen. 29. Iulij.
Remigi ep. Rhemen. 1. Octob.
Reueriane, ep. Auguſtod. 1. Iun.
Rigoberte epiſ. Rhemenſ. 4. Ian.
Romane ep. Rhotomagen. 23. Octob.

Ora pro nobis.

Romane,epiſ. Antiſſiodorenſ.
Ruffe,epiſ. Meten.7. Nouemb.
Romane epiſ. Auenionen. 12. Nouemb.
Ruſtice epiſ. Narbonenſ. 26. Octob.
Sacerdos epiſ. in territ. Petragoricen. 4. Maij.
Sacerdos epiſ. Lugdun. 12. Sept.
Renate, ep. Andegauenſ. 12. Nouemb.
Salini, ep. Ambianenſ. 11. Ianuar.
Salini, ep, Albigen. 10. Sept.
Sanſon Epiſ. in Brit. Armoric. 28. Iul.
Sanctine, ep. Meldenſis 22. Sept.
Siluester ep. Cabilonen. 20. Nou.
2. Siluine, ep. Toloſan. 17. Febr.
S. Similiane, ep. Nannetenſ. 16. Iun.
S. Smplici, ep. Auguſtodun. 24. Iun.
S. Sindulphi, ep. Viennen. 10. Dec.
S. Solemni, ep. Carnoten. 25. Sept.
S. Stephane, ep. Lugdun. 13. Feb.
S. culpici Pie, ep. Bituricenſ. 17. Ianu.
S. Sulpici Seuere ep. Bituricen. 23. Ian.
S. Svagri, ep. Auguſtod. 27. Aug.
S. Taurine, ep. Ebroicenſ. 11. Aug.
S. Theodoſi, ep. Antiſſiodorenſ. 17. Iul.
S. Thoma Aquina, Eccleſiæ Doctor, Tholoſæ. 7. Mart.
S. Troiane, Epiſ. Santonenſ. 3. Nou.
S. Turiane, Epiſ. in Brit. minori, 17. Iul.
S. Turibi, ep. Cenoman.
S. Vecane, ep. in territ. Aurelian. 18. Oct.
S. Verane, ep. Lugdun. 11. Nouemb.
S. Vere, ep. Vien. 1. Aug.
S. Victori, ep. Cenoman. 1. Sept.
S. Victrice, ep. Rhotogomagen. 7. Aug.

Ora pro nobis.

S. Vigor, ep. Baiocen. 1. Nou.
S. Viuentiole, ep. Lugdun. 12. Iul.
S. Viuiane, ep. Santonen. 28. Aug.
S. Volusiane, ep. Turonen. 18. Ian.
S. Vrbane, ep. Lingon. 2. Apr.
S. Vsircine, ep. Senonens. 24. Iul.
S. Vrsine, ep. Bituricen. 9. Nouemb.
S. Vrse, ep. Antissiodoren. 30. Iul.
S. Vulfranne, ep. Senonens. 20. Mart.
S. Xiste, Epis. Rhemen. 1. Sept.
S. Zacharia, ep. Viennens. 26. Maij.

Ora pro nobis.

S. ABBATES.

S. Philiberte, Trenortij in Burgund. 20. August.
S. Norberte, Abb. Præmonstratens. 29. April.
S. Bernarde, Abbas Clareual. 20. Aug.
S. Bernarde, Abb. Præmonstrat. Episc. Magdeburgen. 6. Iu.
S. Francisce de Paula obijt Turoni. 2. April.
S. Aegidi, in Prouin. Narbonen. 1. Sept.
S. Bruno Cartusien. fundator, 6. Octob.
S. Gulielme, prime Eremitarum Mótis Virginis 25. Iun.
S. Adiute, Abbas Aurelianen. 19. Decéb.
S. Attala, Abbas Lexouiens. 10. Mart.
S. Cypriane, Abbas Petragoricés. 9. Decemb.
S. Domitiane in territ. Lugd. 1. Iul.
S. Droctouee, Discip. S. Germani Paris. 10. Mart.

Ora pro nobis.

S. Epar-

s.Eparcli, Abbas Engolifmen.1.Iul.
s.Eugende, Abb.in territ.Lugd.1.Ian.
s.Euftafi, Abb.Lexouien.29.Mart.
s.Firmine Abb.Ambian.11.Mart.
s.Geremate Bellouacen.24.Sept.
s.Hugo Cluniacen.29.April.
s.Hugo Carthufian. Epifc.Lincobrien. 17.Nouemb.
s.Leutfride Abb.Ebroicen.21.Iun.
s.Lupicine, in territ.Lugdun.21.Mart.
s.Maiole Cluniacen.Abb.11.Maij.
s.Martine, Abb. mon. Vertani. 24.Octob.
s.Martine, Abb. Sanctonen. 7. Decemb.
s.Maure Abb.in territ.Andegauenf. 15. Ianuar.
s.Odilo Abb.Cluniacen.1.Ian.
s.Odo Abb.Cluniacen.18.Nouem.
s.Patrici Abb.Niuernis, 24.Aug.
s.Romane Abb. in territ. Lugdunenf. 28.Febr.
s.Romane Abb.in pago Antiffiodoren. 22.Maij.
s.Pontiane Abb. in territ. Aruernien. 24.Nou.
s.Romanice Abb. Lexouien. 8. Decemb.
s.Siuiarde Abb.apud Cenomannos. 1. Mart.
s.Stephane, Abb. Cifterciens. 17. April.
s.Theodore Abb.Viennæ.29.Octob.
s.Venantie Abb.Turonis.13.Octob.

Ora pro nobis.

S.Vvalerice Abb. Ambian. 1.April.
S.Ludouice Rex, 25..Aug.
S.Mederice Presb.Paris.29.Aug.
S.Gontramne Rex Franc. Cabilone 28. Mart.
S.Roche Conf. in monte Pessulano, 16. August.
S,Serenide,obijt in territ.Cænomanen. quiescit Andib.
Aemiliane Confess. Rhedonen. 11. Octobr.
S.Anthoni Paduane.13.Iunij.
Auentine Trecis, 4.Febr.
Clodoalde Presbyt.Paris.7.Sept.
Auguste Presb.Bitur.7.oct.
Auite,Presb.Aurelian.17.Iun.
Aureli Paris.
Georgi Diac.Paris. 20.Octob.
Austricliniane Lemouic. Presbyt. 30. Iunij.
Baldomere,Lugdunens. Confess.27.Februa.
Basole Confess. Piliemen. 26.Nouemb.
S Beate,Confess.Vindocini,9.Maij.
Benedicte, Confess. Pictauiens. 23. Octob.
Clare Turonen. Presb.8.Nouemb.
Curcodome Diacone Antissiodor. 4. Maij.
Domiti Ambian.Presb.23.Octob.
Elzeari Comes,Paris.27.Sept.
Fiacri,in territ.Melden.30.Aug.
Florenti Presb.Pictauien.22.Sept.
Furse Conf.Peronæ.16.Ian.

Ora pro nobis.

Dominic.

Georgi Diacon. & Aureli. Paris. 20. Octob.
Georgi Helane Presbyt. Rhemen. 7. Octob.
Ioannes Presb. Rhemen. 28. Ianuar.
Ioannes Presb. Turonice, 27. Iunij.
Iuo Presb. Armorice, 19. Maij.
S. Læte, Presb. Aurelian. 5. Nou.
S. Leo, Confess. Trecassin. 25. Maij.
S. Leobarde recluse Turonis, 18. Ian.
S. Leonarde Confess. Lemouicus. 6. Nouemb.
S. Liphardé, Presb. Aurelialen, 3. Iun.
S. Marciane, Presbyt. Antissiodoren. 20. April.
S. Mariane, Confess. Bituricen. 19. Aug.
S. Maturine, Confess. in Pago Vastinens. 1. Nouemb.
S. Maxenti, Presb. Pictauien. 26. Iun.
S. Maximine, Confess. Aurelianen. 19. Decemb.
S. Peregrine, Presb. Lugdun. 28. Iul.
S. Sabine, Conf. Pictauien. 11. Iul.
S. Sequane, Presb. Lingonen. 19. Sept.
S. Seuerine, Monach. Lutetiæ, 27. Nouemb.
S. Seuere, Presb. Vien. 8. Aug.
S. Siluane, Confess. Bituricen. 22. Sept.
S. Sindulphe, Confess. Rhemen. 20. Oct.
S. Theodorice, Presb. Rhenien. I. Iul.
S. Vincenti, apud Ambones.
S. Anna in insula prope Lugdunum.
S. Maria Magdalena Massil. 22. Iul.
S. Martha. Taraci, 29. Iul.

Ora pro nobis.

s.Marcella.Pediſſequa.
s.Genouefua Virg.Pariſ.3.Ian.
s.ſcholaſtica ſoror s.Benedicti, iacet Cenomanis, 10.Febr.
s.Aurea Virgo Pariſ.4.Octob.
s.Auſtreberta virgo Rhotomagen. 10. Febr.
s.Bathildes regina, 26. Ian.Pariſ.
s.Benedicta virgo Senonen.29.Iun.
s.Benedicta virgo & Mart.Lugdun. 8. Octob.
s.Blandina & Biblides Martyres Lugd. 2.Iun.
s.Bona & Doda Virgines Rhemen. 24. April.
s.Cilinia mater.S.Remigij Rhemen.21. Octob.
s.Columba virg.& Mart.Senon. 31.Decemb.
s.Conſortia virgo apud Cluniacum, 22.Iun.
s.Clotildes regina Pariſ.3.Iun.
s.Eutropia virgo & Martyr Rhemis, 14. Decemb.
s. Exuperantia virgo Virg. Trecis, 26. April.
s. Fides virgo & Mart. Agenni, 6. Octobr.
s.Flauiana virg. & Mart. Antiſſiod. 5. Octob.
s.Georgia virgo, Aruernis 12.Febr.
s.Helena Virgo Antiſſiodor.22.Maij.
s.Iulia virgo & Martyr Trecis 21. Iul.
s.Leonilla Mart.Lingonis, 17. Ian.

Ora pro nobis.

s.Macra,in territ.Rhemen.6.Ian.
s.Monegundes Turonen.2.Iulij.
s.Delphina virgo & coniux.5.Eleazrij.
s.Phara virgo Melden.7.Decemb.
s.Pientia virgo & Mart.in Pago Vilcaſſimo.11.Octob.
s.Radegundes,Regina,Pictauis,13.Auguſt.
s.Raineldes virgo & Mart. Sanctis. 17. Iul.
Regina virgo & Mart. Auguſtod. 7. Septemb.
Sibina virgo Trecen.29. Aug.
Salaberga Abbatiſſa Lauduni,22.Sept.
Valeria virgo & Mart.Lemouicis.9.Decemb.
s.Oildis virgo Trecis.
s.Maſtidia virgo Trecis.
s.Maura virgo Trecis.
s.Tancha virgo & Mart.Trecis.
s.Syria virgo Trecis.

Ora pro nobis.

Omnes Sancti Apoſtoli, Martyres, Epiſcopi, Abbates, Confeſſores, Sanctæ Virgines, atquè Viduæ Galliæ, vel quorum reliquiæ in ea requieſcunt & coluntur, Intercedite pro nobis.

PROPITIVS ESTO, vt ſuprà.

ORATIO.

PRopitiare quæſumus Domine nobis famulis tuis per omnium ſanctorum,

sanctarumque Galliæ merita gloriosa, vt eorum pia intercessione, ab omnibus semper muniamur aduersis per Christum Dominum nostrum.

AMEN.

SANCTI VICTORIS VTICENsis Episcopi, pro Africa à Vandalis afflicta ad Sanctos.

ORATIO.

Ad præsentem Ecclesiæ statum accommodatissima.

ADeste Angeli Dei mei, qui nunquàm deestis, constituti in ministerio vestro, propter eos qui hæreditatem capessuri sunt æternæ salutis, & videte tot prouincias dudum tantarum ecclesiarum cuneis fultas, nunc ab omnibus desolatas, tantis ordinibus sacerdotum ornatas, modò sedentes viduas & abiectas.

Considerate & videte quia Sion ciuitas Dei nostri facta est vilis; facta quasi polluta menstruis inter inimicos suos. Manum suam misit hostis ad omnia desiderabilia eius, quia vidit gentes inuadere, & ingredi atria sua, de quibus præceperas, ne introirent ecclesiam tuam. Viæ eius lugent, eò quòd nemo veniat in die festo. Egressus est à facie eius omnis decor, & delitiæ, didicerunt asperas hæresum, & difficiles peccati vias ambula-

bulare. Virgines & iuuenes eius in aulis educati monasteriorum, abierunt in captiuitatem mortis, dum lapides sancti eius dispergun tur, in capitibus omnium platearum. Dicite Deo nostro susceptori, & habentes fiduciam supplicandi, quoniam tribulatur, & venter illius turbatus est à fletu eius, quia sedit inter gentes, & requiem non inuenit, nec est qui consoletur eam. Quæsiuit qui simul contristaretur, & non fuit: consolantem, & non inuenit: dum mâducaret in esca sua fel, & in siti sua potaretur aceto: sponsi & Domini sui passiones imitando, qui idcirco passus est pro ea, vt sequatur vestigia eius.

Deprecamini Patriarchæ, de quorum stirpe nata est, quæ nunc laborat in terris, ecclesia. Orate Sancti Prophetæ, cognoscentes afflictam quam anteà vaticinante præconio cecinistis. Estote Apostoli suffragatores eius, quam vt congregaretis, vniuersum orbem, ascendẽte in vobis Domino, vt equi velocissimi, cursitastis. Præcipuè tu Beate Petre, quare siles pro ouibus, & agnis, à communi Domino, magna tibi cautela, & sollicitudine commendatis?

Tu Sancte Paule gentium magister, qui ab Hierusalem vsque ad Illyricum prædicasti Euangelium Dei? Agnosce quid hæretici faciunt, & filij tui gemunt afflicti. Vniuersi ingemiscite sancti simul pro nobis Apostoli, & cæteri sancti Dei.

Sed scimus quia indignum est vobis pro nobis orare: quia ista quæ venerunt nobis, non ad probationem, quomodo sanctis, sed

malis meritis supplicia debebantur: sed & pro malis orate iam filijs, quia & Christus orauit etiam pro inimicis Iudæis, sufficiant castigationes quæ iustè illatæ sunt nobis, & iam iamque delinquentibus venia postuletur. Dicatur Angelo percutienti: sufficit, iam cohibe manum. Quis ignoret hæc nobis probrorum nostrorum scelera procurasse, aberrantibus à mandatis Dei, & in lege eius nolentibus ambulare? sed prostrati rogamus, vt non spernatis vestros miseros peccatores, per eum qui vos ad Apostolicum culmen, & cœlestis gloriæ prouexit, Dominum nostrum Iesum Christum qui est benedictus in secula.

Psalmus 45.

Hic Psal. indictus fuit à SS. D.Clem. S. pro vnione. Principum Christ. Ann.1597.

DEVS noster, refugium, & virtus: adiutor in tribulationibus, quæ inuenerunt nos nimis.

Propterea non timebimus dum turbabitur terra, & trásferentur mótes in cor maris.

Sonuerunt, & turbatæ sunt aquæ eorum, conturbati sunt montes in fortitudine eius.

Fluminis impetus lætificat Ciuitaté Dei: sanctificauit tabernaculum suum altissimus.

Deus in medio eius non commouebitur, adiuuabit eam Deus manè diluculo.

Conturbatæ sunt gentes, & inclinata sunt regna: dedit vocem suam, & mota est terra. Dominus virtutum nobiscum: susceptor noster Deus Iacob.

Venite, & videte opera Domini, quæ po-

fuit prodigia ſuper terram : auferẽs bella vſque ad finem terræ.

Arcum conteret, & confringet arma, & ſcuta comburet igni.

Vacate, & videte quoniam ego ſum Deus: exaltabor in gentibus,& exaltabor in terra.

Dominus virtutum nobiſcum : ſuſceptor noſter Deus Iacob.

Gloria patri,&c.

Verſ.Domine clamaui ad te,exaudi me.

Reſp. Intende voci meæ cùm clamauero ad te.

Verſ. Effundo in conſpectu tuo orationem meam.

Reſp. Et tribulationem meam ante te pronuncio.

Verſ. Rogate quæ ad pacem ſunt Hieruſalem.

Reſp.Et abundantia diligentibus te.

Verſ.Fiat pax in virtute tua.

Reſp. Et abundantia in turribus tuis.

Verſ.Suſcipiant montes pacem populo.

Reſp. Et coles iuſtitiam.

Verſ. Exurgat Deus, & diſſipentur inimici eius.

Reſp.Et fugiant qui oderũt eum,à facie eius.

Verſ.Deus ne elongeris à me.

Reſp. Deus meus in auxilium meum reſpice.

V.Adiutor meus,& liberator meus es tu.

R. Domine ne moreris. V. Domine exaudi,&c.

R.Et clamor meus,&c.

V.Dominus vobiſcum.

R.Et cum ſpiritu tuo.

DEus, qui conteris bella, & impugnatores in te sperantium, potentiæ tuæ defensionis expugnas, auxiliare famulis tuis, implorantibus misericordiam tuam, vt omnium inimicorum suorum feritate depressa, incessabili te gratiarum actione laudemus.

ORATIO FRANCISCI Xauerij pro conuersione Infidelium.

ÆTerne rerum omnium effector Deus, meméto abs te animas infidelium procreatas, esseque ad imaginem & similitudinem tuam conditas. Ecce, Domine in opprobrium tuum, his ipsis infernus impletur. Memento Iesum filium tuum pro illorum salute, atrocissimam subijsse necem. Noli, quæso Domine, vltra permittere, vt Filius tuus ab infidelibus contemnatur: sed precibus sanctorum virorum, & Ecclesiæ sanctissimæ, Filij tui sponsæ placatus, recordare misericordiæ tuæ: & oblitus idololatriæ & infidelitatis eorum, effice vt ipsi quoque agnoscant aliquãdo, quem misisti Dominum Iesum Christum, qui est salus, vita, & resurrectio nostra, per quem saluati ac liberati sumus, cui sit gloria per infinita sæcula sæculorum. Amen.

Orationes & Litaniæ cum meditatione huius feriæ quartę sunt infrà in secunda libri parte.

FERIA V.

DE SANCTIS MARTYRIbus, Meditatio.

Quæ applicari poteſt SS. Militibus, qui numero maximo pro Chriſto Ieſu, mortem crudeliſſimam obierunt.

HOc die recordaberis magnum exercitũ Martyrum tibi adſtare: reliqua facies vt ſuprà.

Primò conſidera ſanctos Martyres propter amorem Chriſti diriſſimè trucidatos fuiſſe, & quidem ab hominibus crudeliſſimis, qui nihil humani, niſi corpus & nomen referentes, in reliquis rebus Diabolis ipſis erant quàm ſimillimi: tales fuerunt Imperatores Nero, Diocletianus, Maxentius, & alia humanæ naturæ monſtra atque portenta.

Secundò conſidera eos non vno in loco, aut in vna ciuitate tantùm: ſed in varijs, imò ferè in omnibus locis paſſos eſſe, quales potiſſimùm erant, qui per præcipuas Italiæ ciuitates crudeliſſimè rapiebantur, in ſingulis earum aliqua perpeſſi tormenta: ſed nec mors illis poſt vnã vel alteram torturam ſubitò accelerabatur, ſed longis varijsq́; afflicti cruciatibus & quaſi oppreſſi lenta nece extincti ſunt.

Tertiò conſidera acerbitatem tormentorum, & infinita genera inſtrumentorum, quibus S. Martyres diriſſimè cruciabantur, cuiuſmodi erant, rotæ, laminæ candentes, pali, cruces, equulei, vngulæ, ſcorpiones, plumbatæ, culei, plumbum liquatum, & alia quamplurima, tamen crudelia, vt penè ipſimet Deo aſpectu horrenda viſa fuerint.

Quartò considera, Sanctos non solùm tormētis afflictos fuisse, sed & varijs propositis rerū caducarum præmiis allectos, vt quorum inuictos animos infringere tyrannica crudelitas non posset, voluptatum saltem illecebræ emollirent: sed strenui Christi Athletæ contemptis omnibus delitijs, honoribus, diuitijs, & quidquid in mundo est delectabile, immobiles in confeßione fidei perstitêre.

Quintò, considera, quemadmodum Apostoli fuerint duces & capita veræ Religionis, & primi Idololatriæ destructores: ita Sanctos Martyres rem ab illis inceptam persequutos fuisse, absoluisseque sanguine suo, diruentes templa diaboli: & contra dilatantes, augentesque fidem Catholicam.

Vnde & propriam præ cæteris in cælis gloriam, quæ aureola vocatur, sunt consequuti.

Colloquium fiat ad eosdem, petendo humiliter, vt præter cætera tibi à Deo impetrent fortitudinem spiritualem contra laqueos Diaboli: & patientiam tollerandi quæcunque aduersa. In fine Pater & Aue, vel Hymnum sequentem.

AD SANCTOS MARTYRES Hymnus.

AVe Cohors fortißima.
Testes auete strenui.
Quos mortis horror imminens
Non flexit à sententia.

Vos pertulistis fortiter,
Acerbiora funera,
Quàm parricidis debita
Parata vel latronibus.

Non palluistis forcipes,
Ferrum, faces, nouaculam,
Tormenta mille, lugubri
Quæ prodiêre Tartaro,
Nunc bella post acerrima,
Cælo triumphum ducitis,
Lætique tot victorijs
Palma decori viuitis.
Ne nos cadentes, viribus
Nec debiles relinquite,
Ne fortè nos vis impia
Sternat nigranti turbine.
Summo parenti cælitum
Magnæque proli virginis,
Sancto simul paraclito
Sit summa laus & gloria.

V. Prætiosa in conspectu Domini
R. Mors Sanctorum eius.

ORATIO.

PRæsta quæsumus omnipotens Deus, vt qui gloriosos martyres fortes in sua confessione cognouimus, pios apud te in nostra intercessione sentiamus. Per Christũ Dominum nostrum.

AMEN.

LITANIAE AD SANCTOS, ac Sanctas: qui in bellis auxilio fuêre Christianis, & ad SS. Milites, Imperatores, Reges, Duces, Comites selectiores.

NOTATIO.

Vbicunque apparebit Notula huic similis,,, signum est, Sanctum vel Sanctam ex eorum numero esse, qui Christianis olim in bello auxilio fuêre, vt patebit ex declaratione subiuncta.

† In nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti. Amen.

Antiph. *Accipite armaturam Dei, vt poßitis resistere in die malo, & in omnibus perfecti stare. State ergo succincti lumbos vestros in veritate, & induti loricam iustitiæ, &c. In omnibus sumentes scutum fidei, in quo poßitis omnia tela nequißimi ignea extinguere, & galeam salutis assumite, & gladium Spiritus (quod est verbum Dei) per omnem orationem, & obsecrationem, orantes omni tempore in Spiritu, & in ipso vigilantes in omni instantia & obsecratione pro omnibus Sanctis. Ephes. 6.*

Kyrie eleyson, Christe eleyson, &c.

,, Sancta Maria auxilium periclitantium. Ora.

,, Sancta Maria turris Dauid, ora pro nobis.
,, Sancta Maria bellatrix egregia, ora.
,, S. Maria acies castrorum ordinata, ora pro nobis.
,, S. Michael Princeps exercituum Dei, ac Imperij Romani, ora.
,, Omnes sancti beatorum spirituum ordines, orate.
,, S. Abraham,
,, S. Moyses,
,, S. Iosue,
,, S. Isaia,
,, S. Hieremia,
,, S. Elizee,
,, S. Ioannes Baptista,
,, S. Petre,
,, S. Paule,
,, S. Andrea,
,, S. Iacobe,
,, S. Ioannes,
,, S. Philippe,
,, S. Marce.
Ora pro nobis.

Sancti tres Reges, qui Christum in cunis adorastis, orate pro nobis.

S. Carole,
S. Henrice,
S. Sigismunde,
S. Otho,
S. Hermenigilde,
S. Eadmonde,
S. Richarde,
S. Osvvalde,
S. Eduarde,
Ora pro nobis.

S.Edilberte, ora.
S.Stephane, ora.
S.Emerice, ora.
S.Olane, ora.
S.Rannee ora.
S.Ludouice, ora.
Omnes ſancti Imperatores & Reges, orate pro nobis.
S.Longine, ora pro nobis.
S.Corneli, ora.
S.Sebaſtiane, ora.
S.Agathi, ora.
S.Marcelle, ora.
,, S.Georgi, ora.
S.Gulielme, ora.
,, S.Demetri, ora.
,, S.Dionyſi, ora.
S.Artemi, ora.
S.Gerarde, ora.
S.Theodore, ora.
S.Leonti, ora.
S.Leopolde, ora.
S.Bauo, ora.
,, S.Mauriti cum ſociis tuis, orate.
,, S.Gereon, cum ſociis tuis, orate.
Omnes Comites & Duces ſancti Dei milites, orate.
,, S.Meleti, ora pro nobis.
S.Alexander, ora.
S.Victor, ora.
,, S.Mercuri, ora.
S. Claudi, ora.
S. Valentine, ora.
S.Heliodore, ora.

S. Mar-

S.Martialis,	Ora pro nobis.
S.Senon,	
S.Faufte,	
S.Marcelline,	
S.Rogate,	
S.Modefte,	
S.Quirine,	
S.Anaftafi,	
S.Symphoriane,	
S.Theophile,	
,, S.Euftachi,	
,, S.Martine,	
,, S.Ambrofi,	
,, S.Auguftine,	
S.Menna,	
S.Gomare,	
Sancti 40.milites,	orate.
Sancte Bafilides cum fociis,	orate.
Sancte Proceffe & Martiniane,	orate.
Sancti, Ioannes & Paule,	orate.
,, S.Sergi,	Ora pro nobis.
,, S.Gallicane,	
,, S.Hilari,	
,, S.Germane,	
,, S.Ifidore,	
,, S.Eimare,	
,, S.Stephane,	
,, S.Venciflae,	
,, S.Francifce,	
,, S.Antoni,	
,, S.Bernarde,	
,, S.Hilarion,	
,, S.Iudith,	
,, S.Maria Magdalena,	

,, S.Clara, ora.
,, S. Vrſula, ora.
Omnes ſancti Dei milites, Martyres & Confeſſores, orate.
Omnes ſancti & ſanctæ Dei, orate.
Pater noſter,&c.

ORATIO EX S. Bernardo.

O Glorioſiſſimi S.Dei milites, qui Chriſtianæ militiæ duros labores in Angelicæ fœlicitatis requiem commutaſtis, reſpicite ad imbelles, & imbecilles commilitones veſtros, qui inter hoſtiles gladios, & ſpiritales nequitias veſtris laudib9 occupamur: Dulces patroni, aduocati fideles, fortes athletæ, exurgite in adiutorium nobis, vt & nos de noſtra ereptione gaudeamus, & vos de plena victoria gloriemini. O piiſſime IESV da illis ſic de ſua gloriari victoria, vt noſtrorum non obliuiſcentur certaminum, ſed noſtram in tuo iudicio agant & ſuſcipiant cauſam.

ORATIO.

OMnipotens ſempiterne Deus, in cuius manu ſunt omnium poteſtates, & omnium iura regnorum, reſpice in auxilium Chriſtianorum, vt gentes paganorum, & hæreticorum, quæ in ſua feritate confidunt, dexteræ tuæ potentia conterantur.

ORATIO.

OMNIPOTENS æterne Deus, qui dirigis viam iustorum, intercedentibus sanctis, Imperatoribus, Regibus, ac cæteris propugnatoribus nostris, dirige famulos tuos N. Imperatorem, Regem, N. cæterosq; Principes Catholicos via recta, vt vbicunque perrexerint, sint semper cum protectione tua, & manus dexteræ tuæ eos benedicat, vt ingrediantur per viam, quam eis disposuisti sani & illæsi, ab omnibus impedimentis visibilium & inuisibilium omnium inimicorum suorum. Da eis Angelos tuos custodes, virosque ab aure, & à secretis strenuos, zelo tui enutritos, non quæ sua sunt, sed quæ Christi & Reipublicæ Christianæ quærentes. Da eis cordis & corporis sanitatem, corrige cogitationes eorum, & actus dirige, peccata dele, tu eos benedic, tu eos salua, tu eos visita, tu eos illumina. Et angeli tui in hac die, & omnibus locis eos custodiant, & post longiora tempora ad vitam æternam eos perducant, Amen.

NOTAE ALIQVOT IN LITANIAS DE SS. MILITIBUS.

PRIMA *sit de beata virgine Maria. Quam adfuisse sæpius Principibus Christianis contra aduersarios pugnantibus, templa ob hanc causam paßim erecta testantur. Quorum omnium instar esse potest B. Mariæ in*

Zel, quod ob patrocinium aduersus Turcas Vngaris præstitum, erectum est.

2. *De sancto Michaele, qui vocatur Princeps exercituum Dei, & Princeps Iudæorum ac Ecclesiæ. Daniel. 10. Nicephor. libro 7. cap. 50. Hermannus Gigas in sua historia circa annum 330. narrant sanctum Michaelem in traiectu Bosphori apparuisse in somnis Constantino Imperatori, & dixisse: Ego sum Michael Archangelus Domini Sabaoth, Christianorum tutor, qui tibi contra impios tyrannos auxilium præbui: & eam ob causam Constantinum ibidem duas Ecclesias Archangelo Michaeli extruxisse.*

Narrat Cromerus libro 10. histor. Leseum Polonorum principem cum parua manu insequutum multa Lituanorum millia, qui Poloniam diuexabant, cumque ex labore itineris paululum requieuisset, Michael Archangelus illi adstitit, & suum illi auxilium promisit, ac de victoria certum reddidit, qui victor rediens, eidem Angelo Lublini templum extruxit.

Refert Nicephor. lib. 14. histor. cap. 21. imperante Theodosio in Oriente, Ioannem quendam in Occidente arripuisse imperium, & Theodosium misisse aduersus eum exercitum, quem exercitum, Angelus pastoris habitu ducens per occulta loca, subitò Rauennam occupauit, & Ioannem oppressit.

Tradit Luitprandus libro 2. histor. cap. 14. Vencislaum Boemiæ Regem occurrisse in finibus Duci Curinensi, qui fines Regni huius vastabat, eique obtulisse singulare certamen, vt multorum cædibus parceret. Vbi ventum est ad manus, Angeli apparuere, qui Vencislaum protegentes arma ministrabant. Quo viso Dux petiit veniam, eaque obtenta discessit. Notum quoque est quomodo Angelus Domini in castris Assyriorum vna nocte 4. Reg. 19. *deleuerit 185. millia, Hierosolymamq; liberauerit.*

3. Abra-

3. *Abraham paruo numero Domesticorum diuina potius quàm humana virtute, quatuor Reges debellauit.* *Genes.14.*

4 *Moyses extendens manus contra mare, fecit vt Aegyptij submergerentur, & ipso orante vicit populus Israel, cùm verò cessaret, vicit Amalec.* *Exod.14. Num.13.*

5. *Loquente Iosue Domino, &c. sol contra Gabaon ne mouearis, & luna contra vallem Ailon, steterunt sol & luna, donec vlcisceretur se gens de inimicis suis.* *Iosue 10.*

6. *Triumphus Dauidis pueri de Gigante Goliath, refertur in libro Regum, ac victoriæ eius cælesti planè virtute partæ.* *1.Reg.17.*

7. *Precibus Isaiæ ab Angelo cæsa sunt 185. millia Assyriorum.* *4.Reg.19.*

8. *Hieremias orat pro Iuda Machabeo, eiq; gladiū tradit, dicens: Accipe sanctum gladium munus à Deo, in quo deijcies aduersarios populi mei Israel.* *2.Mach.15.*

9. *Ad preces Elisæi exercitus Regis Syriæ cæcitate percussus est.* *4.Reg.6.*

10. *Cùm Mahometes olim obsedisset Rhodum, & hoc seculo nostro Solimannus Melitam, vir quidam visus est in aere, qui Turcas ab ingressu insulæ arceret, quē plerique Ioannem Baptistam militum patronum esse crediderunt.* *Hab.lib.7. Enead.10.*

11. *Anno 915. Cùm Ioannes decimus exercitum misisset in Apuliam aduersus Saracenos, ait Petrum & Paulum in ijs prælijs conspectos, victoriam Christianis maximam peperisse. Eodem quoque in oppugnatione Rhodij conspectes noctu incensis facibus circa mœnia excubando, ac vbi iam ferè oppidum caperetur, minaci vultu Barbaros repulisse, refert Sabellicus.* *Luitpran. lib.2. c.14. Lib.1.dec. 4.*

12. *Anno 198. cùm Antiochia premeretur à Turcis, S. Andreas apparuit Petro cuidā clerico, monens, vt Christianæ militiæ Principibus suo nomine ediceret, vt in Ec-* *Tyrius lib. 6.cap.4.*

clesia Principis Apostolorum Lanceam qua transfixus est Christus, defossam humi quærerent, qua cùm vsi essent victoriam reportarent.

Rober. Tole. Archiep. in histo. & Fulg. lib. 1. cap. 16.

13. *Post annum Domini 826. cùm Ranemirus totum diem aduersus Saracenos pugnasset, noctu ipse S. Iacobus adstitit, qui iussit vt omnes peccata sua confiterentur, & Eucharistiam sumerent. Quod vbi factum est, sexaginta millia hostium fusa sunt. Eo in prælio ipse Apostolus equo candido vectus cum vexillo niueo, quod rubra crux transuersa distinguebat, apparuit. Quo signo gens ea etiamnum vtitur, quando ad bella procedit. Simile quid hac nostra ætate in India accidisse, refert Cardanus, cùm pauci Hispani à 40. millibus Indorum premerentur.*

De rerum varietat. lib. 51. ca. 8.

14. *Theodosius Imperator aduersus Eugenium pugnans, nec suis fidens viribus, sed totam noctem precibus transigens, sub galli cantu somno oppressus vidit duos viros albo habitu indutos, qui animum adderent, dicerentque se fore antesignanos. Horum alterum fuisse Ioañem Euangelistam, alterum Philippum Apostolum, testantur Theodoretus & Cuspinianus.*

Lib. 5. hist. cap. 24.

15. *Cùm Henricus II. Imperator Bolesiaum debellaret, visi sunt sancti martyres Gregorius, Laurentius & Adrianus exercitum ducere, & hostium cuneos dissipare. Aemilius refert Georgium, Demetrium, Mercuriũ Romanis ante Syriæ Metropolim pugnantibus auxilium tulisse, fuisseque non tantùm à Christianis, sed etiam ab aduersarijs animaduersos tres equites qui hostes fugarent.*

Lib. 4. histor.

15. *Sic Thessalonicenses à Bulgaris per S. Demetrium liberati sunt, ex cuius equo ignis exiliens magnum incussit hostibus terrorem.*

Cedrenus.

16. *Rex Persarum obsidens Sergiopolim, existimãs eam defensoribus vacuam, vidit innumeros milites in*

mœnibus dispositos, atque optimè armatos: cumq; id fieri naturaliter non posse cognosceret, tribuit hoc S. martyri Sergio, obsidionemque soluit. Euagrius lib. 4. c. 3.

17. *Gallicanus voto Deo facto, scilicet, fore se Christianum, idque ex instinctu Pauli & Ioannis, si ab hostibus liberaretur, Scytas ex Thracia eiecit, fecitq; Romani Imperij tributarios. Vide quæ habet Surius in vita Gallicani 26. Iunij, vbi concludit, horum Sanctorum ope ac consilio victoriam esse concessam.*

18. *Carolus 8. Galliarum Rex cùm à Francisco Gonsaga fermè opprimeretur, voto sancto Martino & Dionysio nuncupato victor euasit.* Guichard. lib. 2. hist.

19. *Cùm Sabbaria à Turcis obsideretur, & mœnia in ipsorum quasi potestate essent, apparuit in aëre eques, qui stricto gladio minitans, hostes abegit. Existimarunt ciues Martinum fuisse loci illius quondam incolam. Visum quoque fuisse Ambrosium, cùm Conradus II. Imperator Mediolanum obsideret, exitiumq; minatum esse, nisi obsidionem solueret, Cuspinianus ait, & Paulus Diac. dicit, Azazilam Imperatoris Romani ducem instructũ ab Ambrosio, quomodo superandi essent in Africa Barbari. Ita cùm Mediolanum à Methis & Heluetijs anno 1330. vexaretur, visus est idem Ambrosius flagello Barbaros insectans. Inde factum est, vt deinceps cum flagello depingeretur.* Lib. 13. Fulgos. lib. 1. cap. 6.

Diuus Augustinus moriens obtinuit, vt ciuitas sua liberaretur ab hostibus, vt patet in eius vita.

20. *Pharos ignea de Hilarij basilica egressa visa est Alarico Regi tanquam super se aduenire, atq; ita territus à cœptis recessit. Hæc tempore Clodouei Regis Franciæ, vt refert Gregor. Turon. Et Germanus Saxones Gallos graui bello infestantes, sola diuini nominis acclamatione fugauit.* Lib. 2. hist. cap. 37. Bonfin. lib. 4. decad. 1.

21. *Post annum 1126. Alphonsus Rex Hispaniæ cùm*

Bætiam obsidione cinxisset, in somnis admonitus & confirmatus à sancto Isidoro, prælio commisso, victor euasit teste Rod. Tolet.

Fulgos. lib. 1. cap. 6.

22. Quo die Godefridus Bolonius Hierosolymam expugnauit, visus est S. Eimarus Episcopus præire, & alios ad strenuè pugnandum excitare.

23. Cùm Conradus Imperator aduersus Regem Vngarorum S. Stephanum, exercitum duxisset, pridie eius diei, quo pugna erat indicta, tessararius quidam per Cæsarianorum militum contubernia & tentoria discurrit, qui Imperatoris edicto Germanum quemque solutis castris domum repetere iubet. Nocte insequenti antequam lucesceret, Conradus conspicit soluta castra, nec potuit author huius facti inueniri: quare hoc existimauit oratione Stephani accidisse, & datis simul dexteris, domum rediit. S. Franciscum plurimas compescuisse seditiones, ipsius Annales perhibent.

De sancto Anthonio refert Athanasius sæpè ipsum discipulis suis referre solitum, imperatores à se auxilium in bellis expetiuisse: nec dubium est quin obtinuerint. Ita S. Bernardus grauissima dissidia ad arma deducta, leni sermone suo terminauit.

In vita S. Bernardi.

24. S. Hilarion, primùm in Licinio militauit, sed postmodùm ad fidem conuersus, extitit lumen Monachorum.

25. S. Iudith, victoriam de Holoferne reportauit, vt sacra narrat Historia. Tertius Alexander Mag. conspectu Iaddi summi Sacerdotis, pepercit Hierosolymis, teste Iosepho.

Lib. 11. cap. vltim.

Surius in vita S. Mag. 21. Iul.

26. Carolus Rex Siciliæ bello nauali cum Rege Aragonum congressus, circa annum Domini 1279. apud Barcinonem capitur, obscuroque carceri mancipatur: in quo cum se ieiunio & oratione B. Mariæ Magdalenæ cõmendasset, pridie festi ipsius adstitit inuocata, Regique

præce-

præcepit, vt se sequeretur, quem intra breue tempus proprio regno restituit.

27. S. Clara iussit deferri ad hostium monasterij venerabile Eucharistiæ Sacramentum, & in oratione posita, vrbem à Saracenorum crudelitate liberauit. Ita Surius in vita ipsius, cap. 14. & 15.

28. Temporibus Clementis IIII. Anno Domini 1266. cùm Colonia obsidione cingeretur, Comes Cliuensis & Stephanus de Vuylen, vno in tentorio nocte quiescentes, viderunt sanctam Vrsulam radianti corona præfulgidam, cum turba vndecim millium Virginum, SS. quoque Maurorum ac Thebæorum agmina (vt antiquæ imagines in monasterio Pantaleonis, & in antiqua Basilica S. Gereonis testantur) ciuitatem & portam roseis crucibus consignare, & cõtra hostium vim ac potentiam premunire. Hoc miraculo territi hostes, abierunt. Bre. lib. 4. cap. 22.

Denique testatur Eusebius post Tertullianum, in exercitu Marci Antonij Imperatoris, dum pugnaret aduersus Marcomannos & Quados, fuisse Legionem Christianorum, quæ cùm siti extrema premeretur exercitus, precibus à Deo pluuiam, & fulmina impetrasse, quibus hostes debellati sunt. Et anno decimo Leonis Isauri Imperatoris, Sarraceni Nicæam Bithiniæ obsidebant: verùm post deiectos muros, apparitione sanctorum qui in ea coluntur, territi, re infecta recesserunt. Cedrenus.

Litaniæ de venerabili Sacramento, quæ sunt infra in secunda libri parte.

Orationes & Litaniæ, ac Meditatio huius feriæ quintæ, ibidem.

FERIA SEXTA.

DE SS. CONFESSORIBVS, Pontificibus,& de SS. Monachis & eremitis.

Meditatio prima de sanctis Confessoribus Pontificibus.

HOC die recordaberis sanctorum Episcoporum, Confessorum, vt suprà.

Primò considera, Sanctos Episcopos fuisse successores Apostolorum, per quos longè lateque aucta fuit & propagata Catholica Religio. Cuius rei illustre habemus exemplum in sancto Bonifacio Apostolo Germaniæ, qui teste Gregorio Papa secundo, vltra centum millia hominum in vna illa prouincia ad fidem Romanam reduxit, exceptis infinitis alijs vicinarum regionum populis ab eodem ad dictam fidem conuersis. Item de sancto Vincentio, quem aiunt conuertisse 8000. millia Saracenorum, Iudæorum 25000. peccatorum verò 100000.

Secundò, illos fuisse patres, ac lumina mundi, præcipuè verò earum prouinciarum, ac ciuitatum, quibus ipsi præerant: atque virtutibus suis & miraculis, tam ethnicorum, quàm prauorum Christianorum saluasse animas.

Tertiò considera, eos difficilia valdè & ardua, vt ad summam perfectionem pertingerent, superasse, dum contemplationem rerum cœlestium, & assiduis occupationibus circa salutem animarum, certam Saluatoris nostri viam, & vestigia tenuerunt: neque dies quietos habentes, neque noctes: quippe qui has in orationibus, illos in pijs operibus transigebant.

Quartò conſidera, eos non ſolùm cultum dæmonum ex hoc mundo ſuſtuliſſe, aut innumerabilia eaque enormia radicitùs euulſiſſe peccata: ſed etiam peſtilentiſsimas quaſq; hæreſes funditùs extirpaſſe: quod multò eſt difficiliùs, quàm aut conuertere Ethnicos, aut malos Chriſtianos in viam ſalutis perducere.

Quintò conſidera eos non ſolùm in vita, ſed etiam poſt mortem, Chriſti fidelium curam habere, earum maximè ciuitatum & prouinciarum, quas ipſi olim tanquã vigilantiſsimi Paſtores ſalutari doctrina gubernabant, atque paſcebant: pro iiſdem nunc apud Deum exiſtentes, aſsidui deprecatores & aduocati.

Colloquium fiat ad eoſdem, petendo humiliter, vt tibi præter cætera, à Deo impetrent cognitionem rerum cæleſtium, & puram rectamque in omnibus actionibus tuis intentionem.

In fine Pater noſter, vel hymnum ſequentem vel Litanias.

HYMNVS.

AVete ſacri præſules,
Antiſtites iuſtiſsimi,
Iter ſalutis inuium,
Qui reddidiſtis peruium.
Virtutis almæ ſemitam,
Qui tradidiſtis gentibus,
Qui veritatis candidæ
Pugnaſtis ob ſententiam.
Tot impiorum dogmata,
Tot inquinatas hæreſes,
Sermone, ſignis, moribus,
Noſtro fugaſtis climate.
Triſti migraſtis ſeculo,
Eſtis tamen ſuperſtites,

Vestris notata literis,
Imago viuit nobilis.
Quis posse det vestigijs,
Hærere nobis talibus.
Præcepta quis salubria,
His figat in præcordijs?
Summo parenti cælitum,
Magnæque proli virginis,
Sancto simul paraclito,
Sit summa laus & gloria.

AMEN.

Vers. *Elegit vos Dominus sacerdotes sibi.*
Resp. *Ad sacrificandum ei hostiam laudis.*

ORATIO.

EXAVDI quæsumus Domine, preces nostras, & per beatos Confessores tuos, Pōtifices, atq; Doctores, qui tibi dignè meruerunt famulari, ab omnibus nos solue peccatis. Per Christum Dominum nostrum, Amen.

MEDITATIO DE SANCTIS Monachis & Eremitis.

HOC die recordaberis sanctorum Religiosorum, eo modo quo suprà.

PRIMÒ *considera, sanctos Religiosos in tenera sua ætate, & à primis quasi annis mundum reliquisse, petiuisse loca deserta & inculta, ad vnius Dei seruitutem tantùm apta: vt ita statim post receptam per baptismum*

innocentiam, perfectionis vitam ingrederentur, vitam in ea ducentes Angelicam.

2. Hos omnes res terrenas, & caducas, propter quas Homines hoc iam tempore, vt eas acquirant, & conseruent, passim se mutuo trucidãt, sine planctu, sine lachrymis, sine vllis suspirijs, imò cum ingenti gaudio reliquisse, paupertatem reputantes diuitias, tribulationes, consolationem, contemptum verò honorem.

3. *Eos non solùm ab hominibus, sed multò grauius à dæmonibus ipsis afflictos fuisse, atque tentatos: sicut legimus de sanctissimis viris, Antonio, Hilarione, ac Patre illo qui per quatuor continuos annos, ne vnicam quidem horam quietam habebat.*

4. *Eos, quamuis non minus ac nos, omnibus subiecti fuerint necessitatibus humanis, in tanta tamen vixisse abstinentia, vt homines sine corpore videri potuerint, preces interim fundentes ad Deum continuas, Angelorũ instar, qui semper diuinam contemplantes maiestatem, eam laudant atque glorificant.*

5. *Vitam illorum plenam fuisse stuppris, & admirationis, Primò ob eximiam eius puritatem: Secundò propter magnitudinem, & frequentiam miraculorum quæ faciebant: Tertiò, propter conuersionem infinitarum animarum: ex quibus aliqui illorum, multorum millium seruorum Dei extitère rectores: Quartò, quòd illorum mors non solùm hominibus caussa fuerit planctus & lachrymarum: sed ab ipsis etiam mutis animalibus deplorata: quorum merita tanta erant, vt simul ac mortui sunt, visi fuerint inter Angelos habitare, solis instar coruscantes.*

Colloquium fiat ad eosdem, petẽdo humiliter, vt tibi præter cætera impetrent attentionẽ & cordis puritatem in oratione: abnegatione omniũ rerũ terrenarũ, & maxi-

tui ipsius, & propriæ voluntatis, carnisque (per veram pœnitentiam) mortificationem.

In fine Pater, & Aue, vel hymnum sequentem, vel Litanias de passione Christi.

AD SS. RELIGIOSOS ac Eremitas.

HYMNVS.

AVete solitudinis,
Claustrique mites incolæ
Qui pertulistis impios,
Cœtus furentis Tartari.
Gemmas & auri pondera,
Et dignitatum culmina
Calcastis, & fœdissima,
Quæ mundus offert gaudia.
Vobis olim cibaria
Fuere, vel legumina,
Potumque lympha præbuit,
Humusque dura lectulum.
Vixistis inter aspides,
Sæuisq; cum Draconibus,
Portenta nec teterrima,
Vos terruere Dæmonum.
Rebus procul mortalibus,
Mens auolabat feruida,
Diuûmque iuncta cœtui,
Hærebat inter sydera.
Summo parenti, &c.

Vers. *Iustos deduxit Dominus per vias rectas*,
Resp. *Et ostendit illis regnum Dei.*

ORATIO.

ADesto Domine supplicationibus nostris, quas in beatorum confessorum tuorum memoria deferimus: vt qui nostræ iustitiæ fiduciam non habemuus, eorum qui tibi placuerunt precibus adiuuemur. Per Christum Dominum nostrum.

Litaniæ de vita & Passione Domini nostri Iesu Christi quæ sunt infrà in secunda parte libri cum hymnis Sancti Bernardi.

Litaniæ de Sanguine Domini. Ibidem.

OFFICIVM DE Passione Christi.

ADoramus te Christe, & benedicimus tibi, quia per sanctam Crucem tuam redemisti mundum. Gratias tibi ago Domine Iesu Christe, cuius gratia sum id quod sum, cuius misericordia viuo, morior & subsisto. Dignare me laudare te benignissime IESV Christe, & sacratissimæ tuæ passionis laudes decantare. Qui viuis & regnas, &c.

℟ AD MATVTINVM.

DOmine labia aperies. Resp. Et os meum annunciabit laudem tuam. Vers. Deus in adiutorium meum intende. Resp. Domine ad adiuuandum me festina, Gloria Patri, &c. Alleluia. vel Laus tibi Domine, rex

æternæ gloriæ. Pro tempore Inuitatorium. Regem Christum Dominum pro nobis in Cruce passum, Venite adoremus. Psalm. Venite exultemus, vt suprà fol.183.

HYMNVS.

IN passione Domini,
Qui salus datur homini,
Sit nostrum refrigerium,
Et cordis desiderium.
Portemus in memoria,
Tot pœnas, & opprobria,
Christi coronam spineam,
Crucem, clauos & lanceam.
Et plagas sacratißimas,
Omni laude dignißimas,
Acetum, fel, arundinem,
Mortis amaritudinem.
Hæc omnia nos satient,
Et dulciter inebrient,
Nos repleant virtutibus,
Et gloriosis fructibus.
Te crucifixum colimus,
Te toto corde poscimus,
Vt nos sanctorum cœtibus.
Coniungas in cœlestibus.
Laus, honor Christo vendito,
Et sine causa prodito,
Passo mortem pro populo,
In aspero patibulo.
AMEN.

Antiphona. Misericors.

PSALMVS.

MEmoriam fecit mirabilium suorũ misericors & miserator Dominus: escam dedit timentibus se.

Et cibauit eos ex adipe frumenti: & de petra mellis saturauit eos.

Panem cœli dedit eis, panem angelorum manducauit homo: filij tui sicut nouellæ oliuarum in circuitu mensæ tuæ.

Parasti in conspectu meo mensam aduersus eos qui tribulant me: & calix meus inebrians quàm præclarus est.

Gloria patri & filio.

Antiph. *Misericors & miserator Dominus, mortis suæ tempore escam dedit timentibus se.*

Antiph. *Homo pacis.*

PSALMVS.

QVare fremuerunt gentes: & populi meditati sunt inania?

Acuerunt linguas suas sicut serpentes: venenum aspidum sub labijs eorum.

Cor meum conturbatum est in me: & formido mortis cecidit super me.

Etenim homo pacis meæ in quo speraui: qui edebat panes meos, magnificauit super me supplantationem.

Fiant dies eius pauci: & episcopatum eius accipiat alter.

Gloria patri & filio.

Antiph. *Homo pacis meæ, qui edebat panes meos, magnificauit super me supplantationem.*

Antiph. *Contritum est.*

PSALMVS.

SAluum me fac Deus: quoniam intrauerũt aquæ vſque ad animam meam.

Timor & tremor venerunt ſuper me: & contexerunt me tenebræ.

Tribulationes cordis mei multiplicatæ ſunt: de neceſſitatibus meis erue me.

Quia tribulant me inimici mei; ipſi infirmati ſunt & ceciderunt.

Confortati ſunt qui perſecuti ſunt me iniuſtè: quæ non rapui tunc exſoluebam.

Gloria patri & filio.

Sicut erat in principio.

Antiph. *Contritum eſt cor meum in medio mei, & contremuerunt omnia oſſa mea.*

Verſ. Reliqui domum meam: & dimiſi hæreditatem meam.

Reſp. *Dedi dilectam animam meam in manibus inimicorum meorum.*

Abſolutio. Qui ligari dignatus eſt manibus inimicorum, abſoluat nos Dominus Ieſus à vinculis peccatorum. Amen.

Iube Domine benedicere.

Reſp. *Per ſuam ſanctam paſsionem det nobis Ieſus Chriſtus gratiam & benedictionem.*

LECTIO PRIMA.

Iſa. ca p. 53. *QVis credidit auditui noſtro, & brachium Domini cui reuelatum eſt? & aſcendit ſicut virgultũ coram eo, & ſicut radix de terra ſitienti. Non eſt ſpecies ei, neque decor, & vidimus eum, & non erat aſpectus: deſiderauimus eum deſpectum, & nouiſsimũ virorum,*

virum dolorum, & scientem infirmitatem, & quasi absconditus vultus eius & despectus. Vnde nec reputauimus eum. Verè languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portauit: & nos putauimus eum quasi leprosum, & percussum à Deo, & humiliatum.

Tu autem Domine.

Resp. *In monte Oliueti oraui ad patrem: Pater si fieri potest, transeat à me calix iste. Spiritus quidem promptus est, caro autem infirma.*

Vers. *Veruntamen non sicut ego volo, sed sicut tu vis, fiat voluntas tua. Spiritus quidem promptus, &c.*

Iube Domine benedicere.

Gloriosa passio Domini nostri Iesu Christi perducat nos ad gaudia Paradisi. Amen.

LECTIO SECVNDA.

IPse autē vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra: Disciplina pacis nostræ super eum, & liuore eius sanati sumus. Omnes nos quasi oues errauimus, vnusquisque in viam suam declinauit, & posuit Deus in eo iniquitatem omniū nostrum. Oblatus est quia ipse voluit, & non aperuit os suum: sicut ouis ad occisionem ducetur, & quasi agnus corā tondente se obmutescet, & non aperiet os suum. Tu autem Domine.

Resp. *Tristis est anima mea vsque ad mortem, sustinete hic, & vigilate mecum, nunc videbitis turbam quæ circumdabit me: vos fugam capietis, & ego vadam immolari pro vobis.*

Vers. *Ecce appropinquabit hora, & filius hominis tradetur in manus peccatorum. Vos fugam capietis, &c.*

Iube Domine benedicere.

Per sanctam crucem suā Dei filius sit nobis clemens, pius & propitius. AMEN.

LECTIO TERTIA.

DE angustia & de iudicio sublatus est, generationem eius quis enarrabit, quia abscissus est de terra viuentium: propter scelus populi mei percussi eum, & dabit impios pro sepultura, & diuitem pro morte sua, eò quòd iniquitatem non fecerit, neque dolus fuerit in ore eius, & Dominus voluit conterere eum in infirmitate. Si posuerit pro peccato animam suam, videbit semen longæuum, & voluntas Domini in manus eius dirigetur. Pro eo quod laborauit anima eius, videbit & saturabitur. In scientia sua iustificabit ipse iustus seruos meos multos, & iniquitates eorum ipse portabit. Ideo dispertiam ei plurimos, & fortium diuidet spolia, pro eo quod tradidit in mortem animam suam, & cum sceleratis reputatus est, & ipse peccata multorum tulit, & pro transgressoribus rogauit. Tu autem Domine.

Resp. *O vos omnes qui transitis per viam, attendite, & videte, si est dolor similis sicut dolor meus.*

Vers. *Attendite vniuersi populi, & videte, si est dolor.*

Gloria Patri, &c.

CANTICVM.

TE Deum laudamus.
Te Iesum benedicimus.
Te Regem regum & Dominum confitemur.
Te crucifixum colimus gloriosum, dulcem, & amabilem redemptorem.
Qui nos aspersione tui sanguinis abluisti.
Dignus es Domine Iesu Christe, Deus noster, accipere laudem & benedictionem, gloriam & honorem.

Exultet tibi omnis caro, & omnis viuens glorificet nomen tuum.
Humilietur omnis facies pedibus tuis.
Omnis creatura iubilet, & seruiat tibi.
Laudet & extollat, benedicat, et glorificet te in æternũ.
Amen. Ad Laudes.
Deus in adiutorium. Gloria. Alleluia. Antiph. Anxiatus est.

PSALMVS.

Domine quid multiplicati sunt qui tribulant me? multi insurgunt aduersum me.
Aperuerunt super me os suum: sicut leo rapiens & rugiens.
Amici mei & proximi mei aduersum me appropinquauerunt & steterunt.
Et qui iuxta me erant, de lõgè steterunt: & vim faciebant qui quærebant animã meam.
Considerabam ad dexteram & videbam: & non erat qui cognosceret me.
Gloria Patri, &c.
Sicut erat in principio & nunc & semper & in secula seculorum, Amen.

Antih. *Anxiatus est super me spiritus meus, in me turbatum est cor meum.*

CAPITVLVM.

Recogitate eum qui talem sustinuit à peccatoribus aduersus semetipsum contradictionem, vt non fatigimini animis vestris, deficientes. Hebr. c. 12.
Resp. *Deo gratias.*

HYMNVS.

CHristum ducem qui per crucem,
Redemit nos ab hostibus,
Laudet cœtus noster lætus,
Exultet cœlum laudibus.
Pœna fortis tuæ mortis,
Et sanguinis effusio
Corda terant, vt te quærant,
Iesu nostra redemptio.
Per fœlices cicatrices,
Sputa, flagella, verbera,
Nobis grata sint collata,
Aeterna Christi munera.
Nostrum tangat cor, vt plangat
Tuorum sanguis vulnerum,
In quo toti simus loti,
Conditor alme siderum.
Paßionis tuæ donis,
Saluator nos inebria,
Qua fidelis dare velis,
Beata nobis gaudia.
Laus, honor, &c.

Verſ. *Dedit percutientibus se maxillam.*

Reſp. *Saturabitur opprobrijs.*

Antiph. Proprio filio. Canticum. Benedictus, vt ſuprà.

Antiph. *Proprio filio suo non pepercit Deus, sed pro nobis omnibus tradidit eum.*

ORATIO.

DOmine Iesu Christe, fili Dei viui, qui hora matutina pro salute humana nasci, tradi, capi, alapis cædi, ligari, & conspui voluisti, fac nos quæsumus contumelias & opprobria tui nominis gloria libẽter & patienter suscipere, & hanc tuæ sanctissimæ passionis memoriam assiduè celebrare, vt ad eius resurrectionis gloriam & consortium mereamur fœliciter peruenire. Qui viuis & regnas, &c.

AD PRIMAM.

DEus in adiutorium meum intende. ℟. Domine ad. &c.

HYMNVS.

QVi mane coram præside,
Reus à multitudine,
Multorum factus criminum,
Fuisti iudex omnium.
Te petimus attentiùs,
Vt sis nobis propitius,
Et per tuam clementiam,
Perducas nos in gloriam.
Laus, honor Christo vendito,
Et sine causa prodito,
Passo mortem pro populo,
In aspero patibulo. Amen.

Antiph. *Dominus tanquàm ouis.*

PSALMVS.

AStiterunt reges, & principes conuenerunt in vnum: aduersus Dominum, & aduersus Christum eius.

Circundederunt me canes multi: conciliũ malignantium obsedit me.

In eo dum conuenirent simul aduersum me: accipere animam meam consiliati sunt.

Et qui inquirebant mala mihi, locuti sunt vanitates: & dolos tota die meditabantur.

Ego autem tanquàm surdus, non audiebã: & sicut mutus non aperiens os suum.

Gloria patri, &c.

Antiph. *Dominus tanquàm ouis ad victimam ductus est, & sicut mutus non aperiens os suum.*

CAPITVLVM.

Isa.13. *SIcut ouis ad occisionem ducetur, & quasi agnus coram tondente se obmutescet, & non aperiet os suum.*

Resp. *Deo gratias.* Respons.

Christe fili Dei viui, miserere nobis.

V. *Qui pro salute mundi crucem subijsti, miserere nobis.*

Gloria patri, &c. Christe.

V. *Exurge Christe adiuua nos.*

R. *Et libera nos propter nomen tuum.*

ORATIO.

DOmine IESV Christe, fili Dei viui, qui hora diei prima Pilato præsenta-

tus,

cus, Iudex cœlestis iudici terreno & reus falsorum criminum, ab iniquis pontificibus factus fuisti, tibi deuotissimè supplicamus, vt nobis miseris peccatoribus subuenias in iudicio, vt non æternis supplicijs cum impijs condemnemur, sed eius fidelibus iungi in cœlestibus mereamur.

AD TERTIAM.

DEus in adiutorium meum intende. R. Domine ad, &c.

HYMNVS.

TV qui cæsus verberibus,
Fuisti à crudelibus,
Gerens coronam spineam,
Et chlamydem coccineam.
Fac nos sic te diligere,
Sanctamque vitam ducere,
Vt mereamur requie
Frui cœlestis patriæ.
Laus, honor Christo vendito,
Et sine causa prodito,
Passo mortem pro populo,
In aspero patibulo.

AMEN.

Antiph. Quotidie.

PSALMVS.

EGo ſum Vermis & non homo: opprobrium hominum & abiectio plebis.

Et fui flagellatus tota die:& caſtigatio mea in matutinis.

Tu ſcis improperium meum & confuſionem meam:& reuerentiam meam.

Quoniam lumbi mei impleti ſunt illuſionibus:& non eſt ſanitas in carne mea.

Diſſipati ſunt, nec compuncti, tentauerũt me, ſubſannauerunt me ſubſannatione: frenduerunt ſuper me dentibus ſuis.

Gloria patri & filio,&c.

Antiph. *Quotidiè apud vos eram in templo docens, & non me tenuiſtis, & ecce flagellatum ducitis ad crucifigendum.*

CAPITVLVM.

1.Petr.2. C*Hriſtus paſſus eſt pro nobis, vobis relinquẽs exemplum vt ſequamini veſtigia eius, qui peccatum nõ fecit, nec inuentus eſt dolus in ore eius.*

Reſp.*Deo gratias.*

V.*Propoſito ſibi gaudio ſuſtinuit crucem.*

R. *Omni confuſione contempta. Suſtinuit. Gloria. Propoſito.*

V.*Oblatus eſt quia ipſe voluit.*

R.*Et non aperuit os ſuum.*

ORATIO.

DOmine Ieſu Chriſte fili Dei viui, qui hora diei tertia flagellis cæſus, & ſpi-

nis coronatus fuisti, te suppliciter exoramus, vt per virtutem tuæ sanctissimæ passionis omnia peccata nostra deleas, & ad tuę beatitudinis gloriam peruenire concedas. Qui viuis & regnas.

AD SEXTAM.

DEus in adiutorium meum intende. Domine ad, &c.

HYMNVS.

CRucem pro nobis subijt,
Et stans in illa sitijt,
Iesus sacratis manibus,
Fossis clauis & pedibus.
Honor & benedictio,
Sit crucifixo filio,
Qui nos suo supplicio,
Redemit ab exilio.
Laus, honor Christo vendito,
Et sine causa prodito,
Passo mortem pro populo,
In aspero patibulo. Amen.

℣ Antiph. *Posuerunt.*

PSALMVS.

PAuper sum ego, & in laboribus à iuuentute mea: exaltatus sum, humiliatus sum, & conturbatus.

Foderunt manus meas,& pedes meos:dinumerauerunt omnia oſſa mea.

Ipſi verò conſiderauerunt & inſpexerunt me:diuiſerunt ſibi veſtimenta mea, & ſuper veſtem meam miſerunt ſortem.

Omnes videntes me,deriſerunt me: locuti ſunt labijs,& mouerunt caput.

Et dederunt in eſcam meam fel: & in ſiti mea potauerunt me aceto.

Gloria Patri & Filio,&c,

Antiph. *Poſuerunt ſuper caput eius cauſam ipſius ſcriptam; Ieſus Nazarenus Rex Iudæorum.*

CAPITVLVM.

Phil.2. *HVmiliauit ſemetipſum factus obediens vſque ad mortem, mortem autem crucis.*

R. *Deo gratias.*

V. *Oblatus eſt quia ipſe voluit.*

R. *Et non aperuit os ſuum. Quia ipſe voluit.*

Gloria patri. Oblatus.

V. *Tradidit in mortem animam ſuam.*

R. *Et cum ſceleratis reputatus eſt.*

ORATIO.

DOmine Ieſu Chriſte fili Dei viui, qui hora diei ſexta in Golgatha, cũ magno tumultu crucis patibulum aſcendiſti,& in ea ſalutem noſtram ſitiens, felle & aceto potari te permiſiſti, te ſuppliciter deprecamur, vt accenſo & inflammato corde ſitire nos facias calicem paſſionis tuæ, & in te ſolo Domino crucifixo iugiter delectari. Qui viuis.

AD NONAM.

DEus in adiutorium meum intende. R.Domine ad &c.

HYMNVS.

BEata Christi paßio,
Sit nostra liberatio,
Vt per hanc nobis gaudia,
Parata sint cœlestia.
Gloria Christo Domino,
Qui pendens in patibulo,
Clamans emisit spiritum,
Mundumque saluat perditum.
Laus, honor Christo vendito,
Et sine causa prodito,
Passo mortem pro populo,
In aspero patibulo. Amen.

Antiph. *Iesus autem.*

PSALMVS.

DEus ostendit mihi super inimicos meos: non occidas eos, ne quando obliuiscantur populi mei.

Deus Deus meus respice in me, quare me dereliquisti? longè à salute mea verba delictorum meorum.

Afflictus sum & humiliatus sum nimis: rugiebam à gemitu cordis mei.

Et sustinui qui simul contristaretur, & nō fuit: & qui consolaretur, & non inueni.

In manus tuas Domine commendo spiritum meum, redemisti me Domine Deus veritatis.

Gloria patri, &c.

Antiph. *Iesus autem cùm accepisset acetum, dixit, consummatum est: & inclinato capite tradidit spiritum.*

CAPITVLVM.

1.Pet.3. *CHristus semel pro peccatis nostris mortuus est, iustus pro iniustis, vt nos offerret Deo, mortificatos quidem carne, viuificatos autem spiritu.*

R. *Deo gratias.*

V. *Tradidit in mortem animam suam.*

R. *Et cum sceleratis reputatus est.*

Animam suam. Gloria. Tradidit.

V. *Vere languores nostros ipse tulit.*

R. *Et labores nostros ipse portauit.*

ORATIO.

DOmine Iesu Christe, fili Dei viui, qui hora diei nona expansis in cruce manibus, & inclinato capite Deo Patri spiritum tradidisti, & claue dignissimæ mortis tuæ, vitæ aditum reserasti, concede nobis supplicibus tuis, vt in hora mortis nostræ animas nostras ad te, qui verè Paradisus es, facias misericorditer peruenire, Qui viuis, &c.

AD VESPERAS.

D*Eus in adiutorium meum intende.*

R. *Domine ad, &c.*

Antiph. *Plangent eum.*

PSALMVS.

QVAE vtilitas in ſanguine meo, dum deſcendo in corruptionem?
Quoniam defecit in dolore vita mea: & anni mei in gemitibus.
Infirmata eſt in paupertate virtus mea: & oſſa mea conturbata ſunt.
Aruit tanquam teſta virtus mea, & lingua mea adhæſit faucibus meis: & in puluerẽ mortis deduxiſti me.
Qui viderunt me foras, fugerunt à me: obliuioni datus ſum, tanquam mortuus à corde.
Gloria patri & filio, &c.
Antiph. *Plangent eum quaſi vnigenitum, quia innocens Dominus occiſus eſt.*

CAPITVLVM.

SIc Deus dilexit mundum, vt filium ſuum vnigenitum daret, vt omnis qui credit in eum, non pereat, ſed habeat vitam æternam. Ioan. 3.
R. *Deo gratias.*

HYMNVS.

QVi preſſura mortis dura
Soluiſti noxas criminum,
Nos ad pacem duc veracem,
Ieſu corona virginum.
In flagellis, potu fellis,
Bibiſti amariſſimè,

Pro peccatis perpetratis,
Aeterne Rex altißime,
Nostræ genti recolenti,
Tuæ mortis supplicium,
Da virtutem & salutem,
Iesu redemptor omnium.
In amara crucis ara,
Fudisti riuos sanguinis,
Iesu digne, Rex benigne,
Consors paterni luminis.
Sanguis Christi qui fuisti,
Peremptor hostis inuidi,
Fac securè nos venire
Ad cœnam agni prouidi.
Laus honor Christo vendito,
Et sine causa prodito,
Passo mortem pro populo,
In aspero patibulo, Amen.

V. *Disciplina pacis nostræ super eum.*
R. *Et liuore eius sanati sumus.*
Antiph. *O magnum.*
Luc.1. Canticum B. Mariæ Virginis. Magnificat: vt suprà fol.199.

ORATIO.

DOMINE Iesu Christe, fili Dei viui, qui hora vespertina in morte peremptus, de Cruce deponi, & in tuæ matris manibus recipi voluisti: concede propitius, vt depositis peccatorum nostrorum sarcinis, ante conspectum diuinæ maiestatis præsentari valeamus. Qui viuis.

AD COMPLETORIVM.

Conuerte nos Deus salutaris noster.
R. *Et auerte iram tuam à nobis.*
V. *Deus in adiutorium meum intende.*
R. *Domine ad adiuuandum me festina.*
Gloria patri, & filio, &c.
Antiph. *Caro mea.*

PSALMVS.

Longè fecisti notos meos à me: posuerũt me abominationem sibi.
Aestimatus sum cum descendentibus in lacum: factus sum sicut homo sine adiutorio inter mortuos liber.
Sicut vulnerati dormientes in sepulchris, quorum non es memor ampliùs: & ipsi de manu tua repulsi sunt.
Posuerunt me in lacu inferiori: & in tenebris, & in vmbra mortis.
Super me confirmatus est furor tuus: & omnes fluctus tuos induxisti super me.
Gloria patri & filio, &c.
Antiph. *Caro mea requiescet in spe, quoniam non dabis sanctum tuum videre corruptionem.*

HYMNVS.

Qui iacuisti mortuus,
In petra Rex innocuus
Fac nos in te quiescere,
Vitamque sanctam ducere.

Succurre nobis Domine,
Quos redemisti sanguine,
Et duc nos ad suauia
Aeternæ lucis gaudia.
Laus honor Christo vendito,
Et sine causa prodito,
Passo mortem pro populo,
In aspero patibulo, Amen.

CAPITVLVM.

1.Petr.4. *CHristo in carne passo, & vos eadem cogitatione armamini.*

R. *Deo gratias.*
V. *Oportuit Christum pati.*
R. *Et ita intrare in gloriam suam.*
V. *Mortuus est propter delicta nostra.*
R. *Et resurrexit propter iustificationem nostram.*
Antiph. *Salua nos.*

CANTICVM SIMEONIS.

Luc.2. NVnc dimittis seruum tuum Domine: secundùm verbum tuum in pace.
Quia viderunt oculi mei: salutare tuum.
Quod parasti ante faciem, omnium populorum.
Lumen ad reuelationem gentium: & gloriã plebis tuæ Israel.
Gloria patri, &c.
Antiph. *Salua nos Iesu Christe Saluator, qui tuam recolimus sanctißimam paßionem, vt per ipsam ab omnibus insidijs inimicorũ defensi, tibi semper placeamus, & requiescamus in pace.*

V. *Christus factus est pro nobis obediens, vsque ad mortem.*
R. *Mortem autem crucis.*
V. *In pace in idipsum.*
R. *Dormiam & requiescam.*
V. *Domine exaudi orationem meam.*
R. *Et clamor meus ad te veniat.*

ORATIO.

DOMINE Iesu Christe, fili Dei viui, qui hora Completorij in sepulchro quieuisti, & à matre tua mitissima, & ab aliis mulieribus planctus & lamentatus fuisti, fac nos quæsumus tuæ passionis lacrymis abundare, & tota cordis deuotione, ipsam tuam sanctissimam passionem plangere, & eã semper quasi recentem ardenti cordis desiderio retinere, qui viuis & regnas, &c.

HYMNVS DE PASSIONE DOMINI, quem beata Virgo, Indianum quendam Regni Peruani ab inflatione tibiarũ liberans docuit, ex lingua Indica ad verbum conuersus, à P. Francis. Bencio S. I.

Pater en noster, genitor noster
Rigidis clauis in cruce fixus:
Cruor è toto corpore manans
Omnes circum proluit artus.
Cernisne caput, decliue caput,
Caput hoc flauæ simile aristæ
Viden' vt cingunt spinea serta
Vsque ad tenerum fixa cerebrum,

Patris heu nostri cerne capillum,
Sparsum, incomptum, sanguine fœdum:
Oculi tristes, lumina mœsta,
Roseas lachrymas largè effundunt;
Fluxisse putes molle corallum;
Heu confudit iam decus oris
Pallorque genis sedet exanguis,
Etiam ne manus Patris ne manus
Patris nostri pulchræne manus
Ferro affixæ sanguine rorant.
Os mellifluum Patris nostri
Pro me misero iam conticuit.
Extra Solymæ mœnia terræ
Crucis exiuit mole grauatus
Et pro scelerum more meorum
Extra Solymam crucifixus obit.

ORATIO.

DA quæsumus omnipotens Deus, vt qui in tot aduersis ex nostra infirmitate deficimus, intercedente vnigeniti tui passione respiremus.

Dan. c. 9.

ALIA ORATIO EX DANIELE AD AUERTENDAM IRAM DIUINAM.

DOMINE Deus noster qui eduxisti populum tuum de terra Aegypti in manu forti, & fecisti tibi nomen secundùm diē hanc: peccauimus, iniquitatem fecimus Domine in omnem iustitiā tuam, auertatur obsecro, ira tua, & furor tuus à ciuitate tua Hierusa-

lem, & à monte sancto tuo: propter peccata enim nostra, & iniquitates patrum nostrorũ, & Hierusalem, & populus tuus in opprobriũ sunt omnibus per circuitum nostrum. Nunc ergo exaudi Domine Deus noster orationẽ serui tui, & preces eius, & ostende faciem tuam super sanctuarium tuum, quod desertum est propter temetipsum. Inclina Deus meus aurem tuam, & audi: aperi oculos tuos & vide desolationem nostram, & ciuitatem supra quam inuocatum est nomen tuum. Neque enim in iustificationibus nostris prosternimus preces ante faciem tuam: sed in miserationibus tuis multis. Exaudi Domine: attẽde & fac, ne moreris propter temetipsum Deus meus: quia nomen tuum inuocatum est super ciuitatem, & super populũ tuum Domine Deus noster, Amen.

ORATIO I. IN QVA A DEO petitur Obedientia.

QVIA verò spes secura non est absque obedientia, sicut in Psalmis dicitur: Sacrificate sacrificium iustitiæ, & sperate in Domino: ideo ô Domine concede mihi, vt cum hac spe misericordiæ tuæ iungam & obedientiam mandatorum tuorum, cùm non minus tibi hanc debeam, quàm cæteros omnes virtuosos affectus. Quoniam tu Rex meus es, Dominus meus, & Imperator meus, cui obediunt cœli, terra, mare & omnes aliæ creaturæ, quæ semper obseruarunt, & obseruaturæ sunt legem mandatorum tuo-

Obedientia.
Psalm. 4.

rum: da Domine, vt perfectiùs his omnibus obediam tibi, qui plus ſum obligatus diuinæ tuæ Maieſtati: fac, ô mi Rex, vt morem tibi geram, & integrè ſeruem mandata tua ſanctiſſima. Tu Domine regna in me, non mundus, vel princeps eius, non caro, nec propria mea, ſed tua ſola voluntas fiat. Expelle omnes iſtos tyrannos, inuaſores regni & ſedis tuæ, fures gloriæ tuæ, euerſores iuſtitiæ tuæ, Tu ſolus impera, tu ſolus omnia diſpone & ordina. Tu ſolus, & ſceptrum tuum agnoſcatur. Tibi & ſceptro tuo obtemperetur, vt voluntas tua fiat in terris, ſicut & in cœlo. O quando tandem aderit optata iſta dies? O quando me liberum ab his tyrannis videbo? O quando in anima mea non alia vox quàm tua reſonabit? Quando ſic ſceptrum Madian, & inimicorum meorum vires attritas, ac depreſſas videbo, vt ad implendam ſanctam tuam voluntatem nulla in me reſtet contradictio? Quando hoc mare ita placidum erit, & cœlum ſerenum, quando tam mutæ & mortificatæ erunt paſſiones meæ, vt ampliùs non latrent, nec cõpareant fluctus, neque nubes, neque clamor, nec alius tumultus, qui hanc pacem, atque obedientiam alterent ac perturbent, & regnum tuum in me impediant? Impertire mihi Domine hanc obedientiam, aut (vt melius dicam) largire mihi iſtud in cor meum ius & dominium, vt illud mihi obediens, tibi numquam obſtreperum ſit, donec in omnibus ſubiiciatur tibi. Atque ita ſubiectus

intimo corde cum Propheta dicam: Legem pone mihi Domine viam iuſtificationũ tuarum, & exquiram eam ſemper. Da mihi intellectum, & ſcrutabor legem tuam, & cuſtodiam illam in toto corde meo. Deduc me in ſemita mandatorum tuorum, quia ipſam volui. Inclina cor meum in teſtimonia tua, & non in auaritiam. Auerte oculos meos ne videant vanitatem, in via tua viuifica me.

Gloria patri, &c.

ORATIO II. AD PETENdam à Deo virtutem obedientiæ.

DOMINE Ieſu Chriſte, qui adeò exactè obedientiam ſeruaſti, vt, ne illius iacturam faceres, vitam ipſam perdideris, æterno tuo patri obediens vſq; ad mortem, mortem autem crucis: peto, Domine, perfectam hanc obedientiam, gratiamque, qua omni loco & tempore animo voluam, quod à me exigis, omnibusq; viribus, & maximo quo poſſim conatu animæ meæ ſtudeam adimplere. Da mihi, Domine, ſimplicem ac perfectam erga ſuperiores meos, miniſtros tuos obedientiam, tam in arduis, quàm in iis quæ facilia ſunt, tam in aſperis, quàm in iucundis, & vt in illorum manibus velle nolleq; meũ cum perfecta mei reſignatione reponam. Afficiar quæſo, amplectarque libentius humilia, & quibus labor aut confuſio coniuncta ſunt, cùm mihi iniungentur, quàm alta, & quibus requies & honor inſunt. O Do- *Obedientia.*

mine, qui non solùm excellentissimam hanc obedientiam nos docuisti, dum æterno tuo Patri illam exhibuisti, sed dum hominibus non bonis tantùm, sed iniquis etiam eandem præstitisti: ac voluisti vt cæteræ omnes creaturæ, eandem nobis commendarent, dum incredibili promptitudine ad nutum tibi omnes obtemperant, imò & homini quodam modo, iuxta præscriptum tuum, vt ab eis discat homo tibi, & iis, quos tuo loco ad ipsius gubernationem statuis, obedire. Ne quæso, Domine, meos vnquam superiores iudicem, neve contra illos in corde meo obmurmurem: ne me excusem, aut in mandatis impossibilitatem prætendam: nec media vlla ad impediendum quærã: sed simplici, prõpta, hilari, perfecta, ac constanti voluntate ob tui amorem præstem, quidquid fuerit mihi ab illis iniunctum.

ORATIO III. AD MISERIcordiæ virtutem à Deo petendam.

Misericordia. QVIS, Domine, in vilium horum ac periturorum bonorum distributione pauperibus facienda tenax sit & auarus? qui tuam erga se liberalitatẽ & misericordiam expertus, ad hoc sibi nouerit eadem bona concessa, vt si per indigentium manus tibi restituerit, suorum à te obtineat veniam peccatorum. Infunde igitur mihi, Deus meus pium hunc erga pauperes affectum, vt eo-

rum necessitatibus subleuandis omnia illa bona ex animo impendam: quæ vbi defuerint, affectum saltem semper offeram cordis. Nec satis esse ducam, si vilia hæc leuisq; momēti bona, hilari vultu egentibus distribuero, nisi multo etiam hilariori, illatas ita condonauero iniurias, vt tui amoris intuitu, non expectem veniam à me peti, sed misericordia præueniam eum, qui me affecisset iniuria: magisq; doleam de illius culpa, quàm de iniuria mea, ideoque lachrymis, & ex totis visceribus meis ductis suspiriis, veniam illi impetrem à tua bonitate.

ORATIO IIII. AD PEtendum à Deo spiritum paupertatis.

SALVATOR benignissime, qui ditissimus Deūsque maiestatis immensæ existens, pauper pro me homo factus es, vt tua me paupertate ditares. Quid quæso tibi in terra quæsiuisti? quid inuenisti? quid elegisti? paupertatem omninò, eamque exactam adeò, vt in paupere præsepio nasci, & nudus in Cruce mori volueris, vbi nec haustum aquæ, nec vbi sacrum reclinares caput, habere potueris: vt hoc me exemplo doceres, quanti facere me par esset, quod tanti tu faceres, quo affectu desiderare, quæ tu in hoc mundo eligeres, tuamque amplecti paupertatem, nuditatem induere, & in cruce denique tua gloriari. Fac me igitur, mi Rex, ex nunc per gratiam tuam, omnibus *Paupertas.*

mundi pompis, & superfluis valedicere: omnem contemnere voluptatem: cumq; mihi defuerit quippiam, gaudere ex animo ob tui amorem, & imitationem, ne decipiar, existimans necessarium, quod verè est superfluum: ne me teneat eorum solicitudo, quæ ad miseram hanc vitam ducendam conducunt, certo persuasum, te verè patrem esse, qui ineffabili tua prouidentia auiculis per aëra, & vermiculis per terram discurrentibus omnia præbeas necessaria. Illa verò spiritualia diuinaque dona animæ meę peto cõmunicari, quorum tuos tantùm amicos participes facis: temporalia verò ac peritura ita securè ac confidenter fac me contemnere, vt cum eisdem tuis amicis te ad viuorũ mortuorumque iudicium venientem merear comitari.

ORATIO V. AD PETENDAM à Deo virtutem mansuetudinis.

Mansuetudo.

VERAE mansuetudinis magister, qui dixisti: Discite à me, quia mitis sum & humilis corde, concede mihi altissimam hanc, & excellẽtissimam virtutem, cuius tu & magister nobis & exemplum esse voluisti, fac me absolutissimam illam tuam mansuetudinem imitari, ne vlla in corde meo lateat amaritudo: nulla in verbis impatientiæ, aut iræ appareant signa: nulla in operibus vindicta sequatur: sed constans semper sit anima mea, instar agni mansueti, ad bonum & malum, cùm tãta inter iniurias, & miseræ huius

vitæ incursus pace & quiete, vt gratum tibi sit in ea habitare, & gratiæ tuæ donorumque plenitudine eandem ditare velle.

ORATIO VI. AD PETENDAM à Deo virtutem Prudentiæ.

NOVERIM te Domine, nouerim me, meditetur frequenter anima mea, quid post miseram hanc vitam bonos maneat & iniquos, tibi charos & inimicos: fugiat propterea quæcunque ipsam possunt à te separare: amplectatur verò quæ vt magis tibi vniatur, tuaque dulcedine & familiaritate fruatur, iuuare illam possunt. Et cùm huius mundi sapientes omnia contempserint, quæ à vili abiectaque creaturarum cognitione illos retardabant, ne sim illis insipientior, vt non parui ducam quæcunque mihi creaturæ omnes offerre possunt, te omnium factorem cognoscam. Compone, Domine, omnes animæ meæ cogitatus & affectus, voluntatem, intentionem, iudicia, suspiciones, verba, opera: & omnia ad te ipsum recta dirige, qui rerum omnium principium es & finis, centrumque, & omnis beatitudinis meæ compendium. *Prudentia.*

ORATIO VII. AD SPIRItum solitudinis à Deo petendum.

QVAM solum, quamque benè associatum est Domine, cor illius, qui tecum *Solitudo.*

habitat, quàm verò inquietum illud quod à te separatum, creaturarum strepitui est immersum? Quomodo illi loqueris, qui solitarius est & collectus? quàm securum reddis, quàm illi te communicas familiariter? quot aperis secreta? quomodo superinduis, & supernæ tuæ lucis splendore clarificas? Propterea enim Domine, multi serui tui, hominũ conuersationem fugerunt, & quæsiuerunt solitudinem, vt te in illa inuenirent, tuam audirent vocem, & conuersationem iucundam. Recollige quæso spiritum meum, ô diuine spiritus, & solitudine, recessuque ab omnibus creaturis, & à seipso, deduc eum ad ad sacrum pectus tuum, vt in illo requiescẽs, rebusque omnibus visibilibus dormiens, ineffabilis tuę dulcedinis ac suauitatis fruatur amplexibus, Amen.

HYMNVS.

De planctu B. Mariæ Virginis.

STabat mater dolorosa,
Iuxta Crucem lachrymosa
Dum pendebat filius.
Cuius animam gementem,
Contristantem & dolentem,
Pertransiuit gladius.
O quàm tristis & afflicta,
Fuit illa benedicta
Mater vnigeniti.
Quæ mœrebat & dolebat,
Et tremebat cum videbat

Nati pœnas inclyti.
Quis est homo qui non fleret,
Christi matrem si videret
In tanto supplicio?
Quis posset non contristari,
Piam matrem contemplari,
Dolentem cum filio?
Pro peccatis suæ gentis,
Vidit Iesum in tormentis,
Et flagellis subditum.
Vidit suum dulcem natum,
Morientem desolatum,
Dum emisit spiritum.
Eia mater fons amoris,
Me sentire vim doloris,
Fac, vt tecum lugeam.
Fac vt ardeat cor meum,
In amando Christum Deum,
Vt sibi complaceam.
Sancta mater istud agas,
Crucifixi fige plagas,
Cordi meo validè.
Tui nati vulnerati,
Tam dignati pro me pati,
Pœnas mecum diuide.
Fac me verè tecum flere,
Crucifixo condolere,
Donec ego vixero.
Iuxta crucem tecum stare,
Te libenter sociare,
In planctu desidero.
Virgo virginum præclara,
Mihi iam non sis amara,
Fac me tecum plangere.

Fac vt portem Christi mortem,
Paßionis eius sortem,
Et plagas recolere.
Fac me plagis vulnerari,
Ob amorem filij.
Inflammatus & accensus,
Per te virgo sim defensus
In die iudicij.
Fac me cruce custodiri,
Morte Christi præmuniri
Confoueri gratia.
Quando corpus morietur,
Fac vt animæ donetur
Paradisi gloria, Amen.

ORATIO.

INTERVENIAT pro nobis, quæsumus, Domine Iesu Christe, nūc & in hora mortis nostræ apud tuam clementiam beata virgo Maria mater tua: cuius sacratissimam animam, in hora tuæ passionis doloris gladius pertransiuit. Per te Iesu Christe saluator mundi. Qui viuis, &c.

Orationes, Litanias beatę Marię virginis, ac meditationem huius feriæ sextæ infra requiras in secunda libri parte.

FERIA VII.

DE GLORIOSISSIMA DEI GENITRICE Maria, & de ſanctis virginibus ſanctiſque viduis.

MEDITATIO PRIMA DE ſancta Maria Virgine.

HOc die ſimulac euigilaueris, aut quando integrum fuerit facto ſigno Crucis, recordaberis Beatiſſimã Virginem Mariam adſtare tibi, Solis inſtar, cui inclinando te, exhibebis ex intimo corde reuerentiam, dicendo Aue Maria, &c. aut aliam breuem oratiunculam: poſteà facta Oratione præparatoria, & præmiſſa loci imaginatione, meditaberis ſequentia puncta.

PRIMO, conſidera poſt Chriſtum Dominum, glorioſa Virgine Maria, quæ plena eſt gratia Dei, ſicut paradyſus terreſtris, floribus & herbis odoriferis ornata, beatius aut melius eſſe nihil. Eam magis expolitam, & omnibus virtutibus abſolutam eſſe, quàm templum Salomonis lignis Cedrinis, laminiſque aureis & argenteis. Item B. Virginem eſſe talem qualem eſſe decebat, quæ domicilium erat futura altiſſimi.

Secundò, conſidera B. Virginem multa habere priuilegia inexplicabilia, illud præcipuè, quòd & virgo ſit & mater Dei: ſecundò, quòd ab omni peccato immunis, nec veniale quidem toto vitæ ſuæ tempore commiſerit: tertiò vbi mortua eſt, quomodo cum corpore & anima in cœlum aſſumpta, ſuper omnes choros angelorum, & quidquid in cœlo & terra continetur, ſit exaltata.

Tertiò, conſidera ordinem vitæ ipſius fuiſſe ſanctiſſimum, nam præter deuotiſſimas ſuas orationes quas aſſiduè ad Deum fundebat, præter etiam quotidianam cum

Angelis conuersationem, id quoq; studiosissimè agebat, vt in omnibus exercitijs suis, siue domesticis, siue externis, publicis aut priuatis, cor suum & mentem in Deo semper haberet defixam.

Quartò considera ea quæ frequentiùs à Deo petere solebat: primò enim petebat, vt Deum nosse posset, & amorem eundem cunctis rebus anteponens, & diligere proximum, iuxta voluntatem Dei: deinde petebat humilitatem & obedientiam tam erga Deum quàm erga homines, tanquàm duas præcipuas virtutes ac fundamenta aliarum omnium.

Quintò considera B. Virginem cuidam animæ piæ reuelasse, se tot virtutes, ac gratiam tantam non potuisse acquirere, sine multis orationibus & lachrymis, & dona cælestia nõ intrare in animum sine precibus assiduis, & carnis mortificatione.

Denique fiat colloquium ad eandem Virginem, humiliterque ab ea pete, vt præter alia impetret tibi à Deo profundissimam humilitatem, ac firmam tum animi tum corporis puritatem, extirpetque in te vitia contraria. subiunge, Pater, & Aue, vel hymnum sequentem. vel Litanias de beatiss. Virgine.

HYMNVS AD B. VIRGINEM Mariam.

AVe maris stella,
Dei mater alma,
Atque semper virgo,
Fælix cœli porta.
Sumens illud Aue
Gabrielis ore.
Funda nos in pace
Mutans nomen Euæ.

Solue vincla reis.
Profer lumen cæcis,
Mala nostra pelle.
Bona cuncta posce.
Monstra te esse matrem.
Sumat per te preces,
Qui pro nobis natus
Tulit esse tuus.
Virgo singularis,
Inter omnes mitis,
Nos culpis solutos.
Mites fac & castos.
Vitam præsta puram,
Iter para tutum,
Vt videntes Iesum,
Semper collætemur.
Sit laus Deo Patri,
Summo Christo decus,
Spiritui sancto,
Trinus honor vnus.
AMEN.

Vers. *Dignare me laudare te virgo Sacrata.*
Resp. *Da mihi virtutem contra hostes tuos.*

ORATIO.

CONcede nos famulos tuos quæsumus Domine Deus perpetua mentis & corporis sanitate gaudere, & gloriosa Beatæ Mariæ semper virginis intercessione, à præsenti liberari tristitia, & æterna perfrui lætitia. Per Christum Dominum nostrum.

MEDITATIO II. DE SANCTIS Virginibus.

Hoc die recordaberis ſanctarum virginum, eo modo quo ſuprà.

PRimò conſidera ingenuum Virginum candorem, puritatem animi, atque integritatem: quæ tãta fuit, vt per eam ſibi ſocietatem & familiaritatem cum Angelis comparauerint. Sicut legimus de Sancta Agnete, Cæcilia, &c.

2. Quamplurimas illarum ſeruaſſe virginitatem vſque ad extremam ætatem, & quòd vixerunt, non in cœnobijs aut heremis tantùm, ſed in proprijs quoque domibus: non tamen ſine multo labore ac difficultate, macerando ſe cilicijs, ieiunijs, & alijs carnis afflictionibus.

3. Eas nec blanditijs, nec minis puritatem violaſſe, ſed illam in carceribus, in tormentis, atque adeò in ipſa morte integram, inuiolatamque ſeruaſſe.

4. Virgines in tolerandis ſupplicijs, ac morte ſubeunda (Si ſexum ſpectes ac tenerrimam aliquarum ætatem) aut fortiores alijs martyribus fuiſſe, aut æquales: imbecilliores numquàm. Tales fuêre Sancta Catharina, Sancta Agatha, Sancta Apollonia.

5. Virgines glorioſas præter ſingularem quandam venerentiam, & familiaritatem, quam cum filio Dei ſponſo ſuo contraxerunt, alijs etiam eminentioribus coronis, quas laureolas appellant, inſignitas eſſe, & ornatas: ex quibus multæ ſunt quæ duabus decorantur, vna per martyrium, altera per integerrimam cordis munditiem.

Colloquium fiat ad eaſdem, petendo humiliter, vt præter cætera à Deo tibi impetrent ſolidam puritatem, auertendo abs te non ſolùm cogitationes impuras, ſed

vanas etiam, & quouis modo perniciosas distractiones: ac denique illa omnia, quæ corpus & animam fœdare possunt.

HYMNVS.

Ad sanctas Virgines.

AVete sanctæ virgines,
Pares beatis mentibus
Quæ puritate sydera,
Solisque flammas vincitis.
Vos nil superbus terruit
Vultu tyrannus horrido,
Nec perculêre barbaro,
Traiecta ferro viscera.
Non blanda mundi gaudia,
Flexêre vos ô virgines,
Sed depulistis fortiter,
Carnis ferocis impetum.
Agnum proinde proximè,
Quocunque pergit, cingitis,
Per vos cohors cælestium,
Nouo resultat cantico.
Mentis perustæ maculas,
Lauate rore mystico,
Vt corde puro lampades,
Christo feramus obuiam.
Summo parenti cælitum,
Magnæque proli virginis
Sancto simul paraclito,
Sit summa laus & gloria.
AMEN.

Vers. *Adducentur Regi virgines post eam.*
Resp. *Proximæ eius afferentur tibi.*

ORATIO.

DA nobis quæsumus Domine Deus noster, Sanctarum virginum palmas incessabili deuotione venerari, vt quas digna mente non possumus celebrare, humilibus saltem frequentemus obsequijs. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

MEDITATIO TERTIA de Sanctis Viduis.

Hoc die recordaberis magnum cœtum viduarum tibi adstare, reliqua facies vt suprà.

Primò cōsidera viduas, quæ verè viduæ sunt, de quibus S. Paulus plerumque in causa esse, vt plurimæ virgines animæ & corporis integritatem conseruent, dum ab illis incommoda & salutis pericula discunt, quæ in matrimonio expertæ fuêre, & hoc modo instrumentum esse B. Virginis ad conseruandum statum Virginitatis, quem ipsa mirè veneratur.

2. *B. Virginem singulariter amare viduas, primò ratione maximi doloris, quem sentiunt ob neglectum statum Virginitatis, quem si fieri posset (intelligentes nunc eius excellentiam & summam quietem) etiam propria morte reuocarent: secundò ratione singularis in hoc statu corporis & animæ sanctitatis, ac voti quo se Deo perpetuò obstrinxerunt.*

3. *Huius status beneficio homines diuinis rebus peculiariter curandis fieri idoneos: nempè solutos mundanis curis, valentesque in omni loco puras manus leuare ad Deum: exemplo Melaniæ senioris, cuius maritus cùm diem suum obijsset, calente adhuc defuncti corpusculo,*

aduoluitur illa ad pedes Christi, ac veluti arridens dixit: Expeditiùs post hac tibi seruitura sum, Domine. Exemplo quoque B. Annæ & Iudith, quarum hæc mox à mariti morte se in claustrum abdidit. Illa verò in templum migrauit, ibidemque orationi ieiunijsque noctes diesque impenderunt.

4. *B. Virginem peculiari modo fauere, & adesse afflictis & desolatis, ac instar turturis gementibus, vt solent viduæ. Nam vt sancta fides, teste Ambrosio, plurimos habuit persecutores, ita & viduæ.*

5. *Humilitatem, fidem, ac honestatem, quæ in hoc statu vigere debet. Cùm enim afflictio maximè has virtutes foueat, fit vt viduæ B. Virgini his ornamentis reddantur similes, & coniunctiores.*

6. *Labores ac ministeria, quæ magna cum deuotione exhibuerunt, & exhibent viduæ electis & sanctis, qui peculiari affectu Beatissimam Virginem Mariam colunt. Nam magis decet Viduam suscipere peregrinos, illisque ministrare, quàm Virginem: quòd status hic solitudine & clausura conseruetur ac vigeat, qui proinde occasionem non habet præstandi hæc officia charitatis. Ac vt reperiantur Virgines, quæ extra claustra cum laude viuant, non tamen decorum est vt cum viris familiariter agant, ijsque seruiant, aut charitatis officia exhibeant. Quod vbi, qua decet modestia à viduis præstatur, nemo est qui iure offendatur, aut vitio vertat.*

Colloquium fiat ad easdem, petendo humiliter, vt præter cætera tibi vel alijs impetrent constantiam, fidemque in statu viduali, luctum spiritualem, charitatem in proximos perfectam, &c. ac denique illa omnia, quæ statui isti possunt esse necessaria: sub finem Pater noster, & Aue Maria.

HYMNVS AD SS. VIDVAS.

AVete sanctæ viduæ,
Assuetæ pijs fletibus,
Quas Christi mater optima,
Veris solatur gaudijs.
Vos semper fide stabiles
Mansistis: instar Turturis
Pudici; nouos Thalamos
Abhorruistis iugiter.
Non vana vobis gaudia
Sed cœlitum deliciæ,
Precesque ad Deum impigræ
Sunt cordi, vt esca spiritus.
Summo parenti cœlitum
Magnæque proli virginis
Sancto simul paraclito
Sit summa laus & gloria.

ORATIO.

EXaudi nos Deus salutaris noster, vt sicut de Beatarum N.N. viduarum commemoratione gaudemus, ita piæ deuotionis erudiamur affectu, per Dominum nostrum Iesum Christum.

Orationes, Litaniæ, & meditatio cuius diei infrà in secunda libri parte.

SECVNDA LIBRI PARS VARIAS PRECATIONES ET alia multa pia complectens.

DE AETERNA SAPIENTIA, Preces Horariæ.

Ante annos CC. ab H. Susone conscriptæ. Quas consultißimum foret studiosis Adolescentibus quotidiè legere: vt à Christo, qui est fons Sapientiæ, & Sapientia ipsa, veræ Sapientiæ ac perspicacis intelligentiæ lumen, & gratiam obtineant: sine qua omnis scientia, nedũ vana, sed etiam perniciosa est.

SALVTATIO MATVTINA ad æternam Sapientiam.

ANIMA mea desiderauit te de nocte, sed & spiritu meo in præcordijs meis, de mane euigilaui ad te, ô præclarissima Sapientia, petens vt desiderata præsentia tua cuncta nobis aduersantia remoueat, penetralia cordis nostri sua multiformi gratia perfundat,

& in amore tuo vehementer accendat: Et nunc dulcissime Domine Iesu Christe ad te diluculò consurgo, teque ex intimo cordis affectu saluto. Millia quoque millium cœlestium agminum tibi ministrantium te ex me salutent, ac decies millies centena millia tibi assistentium te ex me glorificent. Vniuersalis etiam harmonia omnium creaturarum te ex me collaudet, ac nomen tuum gloriosum protectionis nostrę clypeum benedicat in secula, Amen.

SINGVLIS HORIS PRAEmittitur hic versiculus.

Salutem mentis & corporis, donet nobis IESVS, Sapientia Patris.

AD MATVTINAS.

Domine labia mea aperies:
Et os meum annunciabit laudem tuam.
Deus in adiutorium meum intende.
Domine ad adiuuandum me festina.
Gloria Patri, & Filio, & Spiritui sancto.
Sicut erat in principio, & nunc, & semper: & in sæcula sæculorum, Amen. Alleluia.

A SEPTVAGESIMA VSQVE AD Pascha dicitur.

Laus tibi Domine, Rex æternæ gloriæ.

Inuitatorium.

AEternæ ſapientiæ fontem adoremus.
Et pro gloria nominis eius iubilemus.

PSALMVS.

VEnite, exultemus Domino, iubilemus Deo ſalutari noſtro; præoccupemus faciem eius in confeſſione, & in pſalmis iubilemus ei.

Aeternæ ſapientiæ fontem adoremus.
Et pro gloria nominis eius iubilemus.

Quoniam Deus magnus Dominus, & rex magnus ſuper omnes Deos, quoniam non repellet Dominus plebem ſuam: quia in manu eius ſunt omnes fines terræ, & altitudines montium ipſe conſpicit.

Et pro gloria nominis eius iubilemus.

Quoniam ipſius eſt mare, & ipſe fecit illud, & aridam fundauerunt manus eius: venite adoremus, & procidamus ante Deum, ploremus coram Dño, qui fecit nos, quia ipſe eſt Dominus Deus noſter: Nos autem populus eius & oues paſcuæ eius.

AEternæ Sapientiæ fontem adoremus.
Et pro gloria nominis eius iubilemus.

Hodie ſi vocem eius audieritis, nolite obdurare corda veſtra, ſicut in exacerbatione ſecundùm diem tentationis in deſerto, vbi tentauerunt me patres veſtri, probauerunt & viderunt opera mea.

Et pro gloria nominis eius iubilemus.

Quadraginta annis proximus fui genera-

tioni huic, & dixi, Semper hi errant corde: ipsi verò non cognouerunt vias meas, quibus iuraui in ira mea, Si introibunt in requiē meam.

Aeternæ Sapientiæ fontem adoremus.

Et pro gloria nominis eius iubilemus.

Gloria Patri, &c.

Sicut erat in principio, &c.

Et pro gloria nominis eius iubilemus.

Aeternæ Sapientiæ fontem adoremus.

Et pro gloria nominis eius iubilemus.

Iubilus S. Bernardi.

HYMNVS.

Iesu dulcis memoria,
Dans vera cordis gaudia:
Sed super mel & omnia,
Eius dulcis præsentia.
Nil canitur suauius:
Auditur nil iucundius:
Nil cogitatur dulcius,
Quàm Iesus Dei filius.
Iesus spes pœnitentibus,
Quàm pius es petentibus:
Quàm bonus te quærentibus,
Sed quid inuenientibus?
Iesu dulcedo cordium,
Fons viuus, lumen mentium,
Excedens omne gaudium,
Et omne desiderium.
Nec lingua valet dicere,
Nec littera exprimere,
Expertus potest credere,
Quid sit Iesum diligere.

Aeterna Sapientia,
Tibi Patríque gloria,
Cum Spiritu paraclito,
In sempiterna secula.

AMEN.

PSALMVS.

IVbilate Deo omnis terra, Psalmum dicite nomini eius, date gloriam laudi eius. *Psal.63.*

Dicite Deo, quàm terribilia sunt opera tua Domine, in multitudine virtutis tuæ, mentientur tibi inimici tui.

Omnis terra adoret te, & psallat tibi: Psalmum dicat nomini tuo.

Gloria Patri & Filio, & Spiritui sancto. Sicut erat, &c.

ANTIPHONA.

SApientia ædificauit sibi domum: excidit columnas septem, subdidit sibi gentes superborum, & sublimiũ colla propria virtute calcauit. *Cap.9.*

V. *Ego autem in Domino gaudebo.*
R. *Et exultabo in Deo Iesu meo.*
Pater noster, &c.
Et ne nos inducas in tentationem, &c.
Iube Domine benedicere:
IESVS sapientia Patris, depellat cuncta aduersantia nobis.

AMEN.

Lectio Prima.

O Sapientia æterna, ſplendor gloriæ, & figura ſubſtantiæ Patris: qui vniuerſa de nihilo creaſti, & vt hominem ad paradiſi gaudia reduceres, in hanc vallem miſeriæ deſcendiſti, eique viam redeundi per tuam dulciſſimam conuerſationem demonſtraſti, & pro ſatisfactione cunctorum, tanquàm agnus innocens Patri immolari voluiſti: aperi per tuam pretioſam mortẽ cor meum, vt te regem regum, & Dominum dominantium oculis integræ fidei ſemper aſpiciam. Pone meam in tuis vulneribus Philoſophiã, in tuis ſtigmatibus Sapientiam, vt vlterius in te ſolo charitatis libro, & morte tua proficiam, & omnibus mutabilibus rebus deficiam, ita vt ego, iam non ego, ſed tu in me, & ego in te indiſſolubili vinculo amoris æternaliter maneamus. Tu autem Domine miſerere noſtri. Deo gratias.

Reſp. Emitte Domine Sapientiam de ſede magnitudinis tuæ, vt mecum ſit, & mecum laboret, vt ſciam quid acceptum ſit coram te omni tempore.

Verſ. Da mihi Domine ſedium tuarum aſſiſtricem Sapientiam. Vt ſciam quid acceptum ſit coram te omni tempore.

Iube Domine benedicere. Aeterna Sapientia illuminare dignetur ſenſus & corda noſtra, Amen.

Lectio Secunda.

O IESV mi dulcissime, & Sapientia felicissima, verbum Patris, principium & finis omnium entium: pijs oculis quæso me intuere, quia puluis sum & caro, sciens quòd non sit volentis neque currentis, sed tui Deus miserentis. Recogita obsecro amarissimam passionem, quam pro me indigno peccatore pertulisti, & bonam voluntatem à te inchoatam piè custodias. O misericordia mea, ne derelinquas me. O refugium meum, ne discesseris à me. O liberator meus, intende in adiutorium meum: & me huic mundo mortuum, in sepulchro tuo tecum sepelias, & ab omnibus inimicorum insidijs abscondas, vt me à te nec vita, nec mors, nec vlla fortunæ sors separet, sed permaneat morte fortior amor noster nunc & in æuum. Tu autem Domine miserere nostri. Deo gratias.

Responsorium.

Da mihi Domine sedium tuarum assistricem Sapientiam, & noli me reprobare à pueris tuis. Quoniam seruus tuus sum ego, & filius ancillæ tuæ.

Versus.

Mitte illam à sede magnitudinis tuæ, vt mecum sit, & mecum laboret. Quoniam seruus tuus sum ego, & filius ancillæ tuæ.

Iube Domine benedicere. Dono Sapientiæ & intellectus impleat nos Spiritus ſanctus, Amen.

Lectio Tertia.

O Refugium meum & liberator meus, per immenſum amorem, qui te in patibulo Crucis amariſſimam mortem pro me ſubire coëgit, peccata quę ego immundus peccator commiſi, miſericorditer indulgeas: à committendis, & à cunctis periculis in vulnere lateris tui piè me cuſtodias: greſſus meos in huius vitæ fluctibus ad ſanctum finem dirigas, & ad conſpectum gloriæ tuæ me peruenire concedas. Tu autem Domine miſerere noſtri. Deo gratias.

Reſponſorium.

Super ſalutem & omnē pulchritudinem dilexi ſapientiam, & propoſui pro luce habere illam: Venerunt autem mihi omnia bona pariter cum illa.

Verſus.

Dixi Sapientiæ: Soror mea es, & prudentiam vocaui amicam meam: venerunt autem mihi omnia bona pariter cum illa.
Gloria Patri, &c.
Venerunt autem mihi omnia bona pariter cum illa.

EX CANTICO D. AMBROſij, & Auguſtini.

TV Rex gloriæ Chriſte.
Tu Patris ſempiternus es filius.
Tu ad liberandum ſuſcepturus hominem, non horruiſti Virginis vterum.
Tu deuicto mortis aculeo, aperuiſti credentibus regna cœlorum.
Tu ad dexteram Dei ſedes in gloria Patris.
Iudex crederis eſſe venturus.
Te ergo quæſumus tuis famulis ſubueni, quos pretioſo ſanguine redemiſti.
Aeterna fac cum ſanctis tuis gloria munerari.
Saluum fac populum tuum Domine, & benedic hæreditati tuæ.
Et rege eos, & extolle illos vſque in æternum.
Per ſingulos dies benedicimus te.
Et laudamus nomen tuum in ſeculum, & in ſeculum ſeculi.
Dignare Domine die iſto, ſine peccato nos cuſtodire.
Miſerere noſtri Domine, miſerere noſtri.
Fiat miſericordia tua Domine ſuper nos, quemadmodum ſperauimus in te.
In te Domine ſperaui: Non confundar in æternum, Amen.

Qui tamen volet, poterit huius loco ſequentem canticum legere.

Te Chriſtum laudamus. Te Ieſum benedicimus. Te Regem regum, & Dominum domi

nantium cõfitemur. Te crucifixum colimus, dulcem & amabilem redemptorem. Qui nos aſperſione tui ſanguinis redemiſti. Dignus es Domine Ieſu Deus noſter, accipere laudem, benedictionem, gloriam & honorem. Exultet tibi omnis caro, & omnis viuens glorificet nomen tuum. Humilietur omnis facies pedibus tuis, & omnis creatura tua ſeruiat tibi. Laudet & extollat te, benedicat te & glorificet te in æternum.

AD LAVDES.

Salutem mentis & corporis,
Donet nobis Ieſus Sapientia Patris.
Deus in adiutorium, &c.
Domine ad adiuuandum, &c.
Gloria Patri, & Filio, &c.

PSALMVS.

Pſalm. 116. LAudate Dominum omnes gentes, laudate eum omnes populi.
Quoniam confirmata eſt ſuper nos miſericordia eius, & veritas Domini manet in æternum.
Gloria Patri, & Filio, &c.
Sicut erat in principio, & nunc, & ſemper, & in ſecula ſeculorum, Amen.

Antiphona.

Sapien. 8. *Sapientia clamitat in plateis: Si quis diligit ſapientiam, ad me declinet, & eam inueniet: & eam cum inuenerit, beatus erit ſi tenuerit eam.*

CAPITVLVM.

Hanc (ſapientiam) amaui & exquiſiui à iuuentute mea, & quæſiui mihi ſponſam aſſumere, & amator factus ſum formæ illius. Deo gratias.

HYMNVS.

IESV *Rex admirabilis,*
Et triumphator nobilis, *Bernardus.*
Dulcedo ineffabilis:
Totus deſiderabilis.
Mane nobiſcum Domine,
Et nos illuſtra lumine,
Pulſa mentis caligine,
Mundum replens dulcedine.
Quando cor noſtrum viſitas,
Tunc lucet ei veritas.
Mundi vileſcit vanitas,
Et intus feruet charitas.
Amor Ieſu dulciſſimus,
Et verè ſuauiſſimus,
Plus millies gratiſſimus,
Quàm dicere ſufficimus.
Hoc probat eius paſſio,
Hoc ſanguinis effuſio,
Per quàm nobis redemptio
Datur, & Dei viſio.
Æterna ſapientia
Tibi Patrique gloria,
Cum Spiritu paraclito,
In ſempiterna ſecula, Amen.

V. *Sapientia requiescit in corde eius.*
R. *Et prudentia in sermone oris illius.*
Ad benedictus Antiph. *O sapientia.*

CANTICVM ZACHARIAE.

Benedictus Dominus Deus Israël, quia visitauit & fecit redemptionem plebis suæ.
Et erexit cornu salutis nobis, in domo Dauid pueri sui.
Sicut locutus est per os sanctorum, qui à seculo sunt prophetarum eius.
Salutem ex inimicis nostris: & de manu omnium qui oderunt nos.
Ad faciendam misericordiam cum patribus nostris, & memorare testamẽti sui sancti.
Iusiurandum quod iurauit ad Abraham patrem nostrum, daturum se nobis.
Vt sine timore de manu inimicorum nostrorum liberati, seruiamus illi.
In sanctitate & iustitia coram ipso, omnibus diebus nostris.
Et tu puer Propheta altissimi vocaberis, prę-ibis enim ante faciem Domini, parare vias eius.
Ad dandam scientiam salutis plebi eius, in remissionem peccatorum eorum.
Per viscera misericordiæ Dei nostri, in quibus visitauit nos oriens ex alto.
Illuminare his qui in tenebris, & in vmbra mortis sedent, ad dirigẽdos pedes nostros in viam pacis.
Gloria parri, &c. Sicut, &c.

Antiph. *O Sapientia, quæ ex ore altißimi prodijsti, attingens à fine vsque ad finem, fortiter suauiterque disponens omnia, veni ad docendum nos viam prudentiæ.* Sapient. 8.

Domine exaudi orationem meam.
Et clamor meus ad te veniat.

Oremus.

DEVS, qui per coæternam tibi Sapientiam hominem, cùm non esset, condidisti, perditumque misericorditer reformasti, præsta quæsumus, vt eadem corda nostra inspirāte te tota mente amemus, & ad te toto corde curramus.
Per eundem Dominum, &c.
Benedicamus Domino.
Deo gratias.

Aeterna Sapientia benedicat † & custodiat corda & corpora nostra, Amen.

Ita terminantur omnes horæ.

AD PRIMAM.

Salutem mentis & corporis donet nobis Iesus Sapientia Patris.

Deus in adiutorium meum intende.
Domine, &c.

HYMNVS.

IESVM omnes agnoscite,
Amorem eius poscite,

Iesum ardenter quærite,
Quærendo inardescite.
Sic amantem diligite,
Amoris vicem reddite,
In hunc odorem currite,
Et vota votis reddite.
IESVS *auctor clementiæ,*
Totius spes lætitiæ,
Dulcoris fons & gratiæ,
Veræ cordis delitiæ.
IESV *mi bone sentiam*
Amoris tui copiam,
Da mihi per præsentiam,
Tuam videre gloriam.
Cum dignè loqui nequeam,
De te tamen ne sileam,
Amor fecit vt audeam,
Cùm de te solùm gaudeam.
Æterna Sapientia,
Tibi, Patrique gloria,
Cum Spiritu Paraclito,
In sempiterna secula, Amen.

Psalmus 142.

AVditam fac mihi manè misericordiam tuam, quia in te speraui.
Notam fac mihi viam in qua ambulem, quia ad te leuaui animam meam.
Eripe me de inimicis meis, Domine, ad te cõfugi: doce me facere voluntatem tuã, quia Deus meus es tu.
Gloria patri, & filio, &c.
Sicut erat in principio, &c.

Antiph. *Ego diligentes me diligo, & qui manè vigilauerit ad me, inueniet me.*

CAPITVLVM.

Sapientia vincit malitiam: attingit à fine vsque in finem fortiter, disponit omnia suauiter.

℟. *Deo gratias.*

℣. *IESV Christe fili Dei viui, miserere nobis.*

℟. *Qui sedes ad dextram Patris, miserere nobis,*

Gloria patri & filio, & spir. &c.

IESV Christe fili Dei viui, miserere nobis.

V. *Exurge Domine adiuua nos.*

R. *Et libera nos propter nomen sanctum tuum.*

Domine exaudi orationem meam.

Et clamor meus ad te veniat.

OREMVS.

CORDA nostra, quæsumus Domine, æternæ sapientiæ splendor illustret, quo mundi huius tenebris carere valeamus, & perueniamus ad Patriam claritatis æternæ, per eundem Dominum nostrum, &c.

Benedicamus Domino, &c. vt suprà.

AD TERTIAM.

Salutem mentis & corporis, donet nobis Iesus Sapientia Patris.

Deus in adiutorium meum intende.

Domine ad adiuuandum me festina.

Gloria patri, & filio, &c.

Sicut erat in principio, &c. Alleluia.

HYMNVS.

TVa Iesu dilectio,
Grata mentis refectio,
Replens sine fastidio,
Dans famem desiderio.
Qui te gustant, esuriunt,
Qui bibunt, adhuc sitiunt
Desiderare nesciunt,
Nisi Iesum quem diligunt.
Quem tuus amor inebriat,
Nouit quid Iesus sapiat,
Quàm felix est quem satiat?
Non est vltra quod cupiat.
Iesus decus Angelicum,
In aure dulce canticum,
In ore mel mirificum,
In corde nectar cælicum.
Desidero te millies:
Mi Iesu quando venies?
Me lætum quando facies?
Me de te quando saties?
Æterna sapientia,
Tibi Patrique gloria,
Cum Spiritu paracleto,
In sempiterna sæcula, Amen.

PSALMVS.

SPiritus tuus bonus deducet me in terram rectam, propter nomen tuum.
Domine viuificabis me in æquitate tua.
Educes de tribulatione animam meam, & in

misericordia tua disperdes omnes inimicos meos.
Et perdes omnes qui tribulant animã meam: quoniam ego seruus tuus sum.
Gloria Patri, & filio, &c.
Antiph. *Fili concupiscens Sapientiam, conserua iustitiam, & praebebit eam tibi Dominus.*

CAPITVLVM.

Hanc (sapientiam) amaui, & exquisiui à iuuentute mea, quaesiui eam mihi in sponsam assumere; & amator factus sum formae illius.
Resp. *Deo gratias.*
Vers. *Ego autem in domino gaudebo.*
Resp. *Et exultabo in Deo* IESV *meo.*
In Domino gaudebo.
Gloria patri, & filio: & spiritui sancto, &c.
Ego autem in Domino gaudebo.
Vers. *Sit nomen Domini benedictum.*
Resp. *Ex hoc nunc & vsque in seculum.*

OREMVS.

DEVS qui per coaeternam tibi sapientiam hominem, cùm non esset, condidisti, perditumq; misericorditer reformasti, praesta quęsumus: vt eadem pectora nostra inspirante te tota mẽte amemus, & ad te toto corde curramus. Per eundem Dominum nostrum, vt suprà.
Benedicamus, vt suprà.

AD SEXTAM.

Salutem mentis & corporis, donet nobis Ie-

ſus ſapientia Patris.
Deus in adiutorium meum intende.
Domine ad adiuuandum me feſtina.
Gloria patri,& filio,&c.

HYMNVS.

AMor tuus continuus,
Mihi languor aßiduus,
Mihi fructus mellifluus,
Eſt & vitæ perpetuus.
Ieſu ſumma benignitas:
Mira cordis iucunditas:
Incomprehenſa bonitas:
Tua me ſtringat charitas.
Bonum mihi diligere
Ieſum,nil vltrà quærere:
Mihi prorſus deficere,
Vt illi queam viuere.
Ieſu mi dilectißime,
Spes ſuſpirantis animæ,
Te quærunt piæ lachrymæ,
Et clamor mentis intimæ.
AEterna ſapientia
Tibi Patrique gloria,
Cum Spiritu paraclito,
In ſempiterna ſecula, Amen.

PSALMVS.

ANima noſtra ſuſtinet Dominum: quoniam adiutor & protector noſter eſt. Quia in eo lætabitur cor noſtrum, & in nomine ſancto eius ſperauimus.

Fiat misericordia tua Domine super nos: quemadmodum sperauimus in te.
Gloria patri, & filio: & spiritui sancto, &c.

Antiphona.

Dominus possedit me in initio viarum suarum, antequam quicquam faceret à principio, dicit Dominus.

CAPITVLVM.

Candor est enim lucis æternæ, & speculum sine macula diuinæ maiestatis, & imago bonitatis illius.

R. *Deo gratias.*

Vers. *Sit nomen Domini benedictum.*

Resp. *Ex hoc nunc & vsque in seculum.*

Gloria patri, & filio. Sicut erat in principio, &c.

Sit nomen Domini benedictum,

Ex hoc nunc & vsque in seculum.

Vers. *A solis ortu vsque ad occasum,*

Resp. *Laudabile nomen Domini.*

OREMVS.

EXaudi nos misericors Deus, & mentibus nostris Sapientiæ tuæ lumen ostende, & te super omnia diligere concede. Per eundē Dominum nostrum, &c. Benedicamus Domino, vt suprà.

AD NONAM.

Salutem mentis & corporis,
Donet nobis Iesus Sapientia Patris.

Deus in adiutorium meum intende, &c.

HYMNVS.

QVocunque loco fuero,
Semper Iesum desidero:

Quàm lætus cum inuenero?
Quàm fœlix cùm tenuero?
Tunc amplexus, tunc oscula
Quæ vincunt mellis pocula
Sed in his parua morula,
Iesum sequar per secula.
Iam quod quæsiui video,
Quod concupiui teneo,
Amore Iesu langueo,
Et corde totus ardeo.
IESVS *cùm sic diligitur,*
Hic amor non extinguitur,
Non tepescit, nec moritur,
Plus crescit, & accenditur.
Hic amor ardet iugiter,
Dulcescit mirabiliter,
Sapit delectabiliter,
Delectat & fœliciter.
Hic amor missus cælitus,
Hæret mihi medullitus,
Mentem incendit penitus,
Hoc delectatur spiritus.
O beatum incendium,
Et ardens desiderium?
O dulce refrigerium,
Amare Dei filium?
Æterna Sapientia,
Tibi Patrique gloria,
Cum spiritu paraclito,
In sempiterna sæcula.

PSALMVS.

COr mundum crea in me Deus, & spiritũ rectum innoua in visceribus meis.

Ne proiicias me à facie tua, & ſpiritum ſanctum tuum ne auferas à me.

Redde mihi lætitiam ſalutaris tui, & ſpiritu principali confirma me.

Gloria Patri, & filio, &c.

Antiph. *Necdum erant abyßi, & ego parturiebar: quando præparabat cœlos, aderam, cum eo eram cuncta componens.*

Capitulum.

Sapientia ſpecioſior eſt ſole, & ſuper omnem diſpoſitionem ſtellarum, luci comparata inuenitur prior.

Reſp. *Deo gratias.*

Verſ. *A ſolis ortu vſque ad occaſum.*

Reſp. *Laudabile nomen Domini.*

Vſque ad occaſum. Gloria Patri, &c.

Verſ. *Sapientia requieſcit in corde eius.*

Reſp. *Et prudentia in ſermone oris illius.*

OREMVS.

INfunde, quæſumus Domine, cordibus noſtris lumen Sapientiæ tuæ, vt te veraciter agnoſcamus, & fideliter diligamus, per eundem Dominum noſtrum, &c. vt ſuprà.

Benedicamus Domino, &c.

AD VESPERAS.

Salutem mentis & corporis donet nobis Ieſus Sapientia Patris.

Deus in adiutorium meum intende.

Domine ad adiuuandum, &c.

Gloria patri, & filio, &c. Sicut erat, &c.

PSALMVS.

REdemptionem misit Dominus populo suo, mandauit in æternum testamentum suum.
Sanctum & terribile nomen eius: Initium sapientiæ timor Domini.
Intellectus bonus omnibus facientibus eum: laudatio eius manet in seculum seculi.
Gloria Patri, & Filio, &c.
Sicut erat in principio, &c.
Antiph. *Omnis sapientia à Domino Deo est, cum illo fuit semper, & est ante æuum.*

CAPITVLVM.

Eccles. 12. *Hanc (sapientiam) amaui & exquisiui à iuuentute mea, & quæsiui mihi sponsam assumere, & amator factus sum formæ illius.*
Resp. *Deo gratias.*

HYMNVS.

Bernardus. *IEsu Sole serenior*
Et balsamo suauior,
Omni dulcore dulcior,
Præ cunctis amabilior.
Cuius gustus sic afficit,
Cuius odor sic reficit,
In quo mens mea deficit,
Solus amanti sufficit.
Tu mentis delectatio:
Amoris consummatio:
Tu mea gloriatio,
Iesu mundi saluatio.
Iesu auctor clementiæ:
Totius spes lætitiæ,
Dulcoris fons, & gratiæ,

Veræ cordis deliciæ.

Æterna Sapientia,

Tibi, Patrique gloria,

Cum Spiritu Paraclito,

In sempiterna secula, Amen.

Vers. *Ego autem in Domino gaudebo.*

Resp. *Et exultabo in Deo Iesu meo.*

Ad Magnificat. Antiphona. O oriens.

MAgnificat anima mea Dominum.

Et exultauit spiritus meus in Deo salutari meo.

Quia respexit humilitatem ancillæ suæ: ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes.

Quia fecit mihi magna qui potens est, & sanctum nomen eius.

Et misericordia eius à progenie in progenies, timentibus eum.

Fecit potentiam in brachio suo, dispersit superbos mente cordis sui.

Deposuit potentes de sede, & exaltauit humiles.

Esurientes impleuit bonis, & diuites dimisit inanes.

Suscepit Israël puerum suum, recordatus misericordiæ suæ.

Sicut locutus est ad patres nostros, Abraham & semini eius in secula.

Gloria Patri, & Filio, &c.

Sicut erat in principio, &c.

Antiph. *O oriens splendor lucis æternæ, & Sol iustitiæ, veni & illumina sedentes in tenebris & vmbra mortis. Domine exaudi, vt suprà.*

Oremus.

DEVS, qui per coæternam tibi Sapientiam hominem, cùm non esset, condidisti, perditumque misericorditer reformasti, præsta quæsumus, vt eadem corda nostra inspirãte te tota mente amemus, & ad te toto corde curramus.
Per eundem Dominum nostrum, vt suprà.
Benedicamus, vt suprà.

AD COMPLETORIVM.

SAlutem mentis & corporis, donet nobis Iesus Sapientia Patris. Conuerte nos Deus salutaris noster, & auerte iram tuam à nobis.
Deus in adiutorium meum intende,
Domine ad adiuuandum me festina.
Gloria patri, &c. Amen. Alleluia.

PSALMVS 12.

ILlumina oculos meos ne vnquam obdormiam in morte, ne quando dicat inimicus meus, præualui aduersus eum.
Qui tribulant me, exultabunt si motus fuero: ego autem in misericordia tua speraui.
Exultabit cor meum in salutari tuo: cantabo Domino qui bona tribuit mihi, & psallã nomini Domini altissimi.
Gloria Patri, &c.
Sicut, &c.

Antiphona.

Ego in altißimis habito, & thronus meus in columna nubis. Eccl.24.

Capitulum.

Sobrietatem & Sapientiam docet, & iuſtitiam, & virtutem: quibus nihil eſt vtilius in vita hominibus.
R. *Deo gratias.*
V. *In pace in idipſum.* R. *Dormiam & requieſcam.*

Verſus.

Si dedero ſomnum oculis meis, & palpebris meis dormitationem. R. Dormiã & requieſcam.
Gloria Patri, &c.
Sicut erat, &c.
In pace in idipſum.
Dormiam & requieſcam.

HYMNVS.

IESVS in pace imperat,
Qui omnem ſenſum ſuperat,
Hunc mea mens deſiderat.
Et illo frui properat.
Te cœli chorus prædicat,
Et tuas laudes replicat,
IESVS orbem lætificat,
Et nos Deo pacificat.
Quem proſequamur laudibus,
Votis hymnis & precibus,
Vt nos donet cœleſtibus,
Secum perfrui ſedibus.

Aeterna Sapientia,
Tibi Patrique gloria.
Cum Spiritu paraclito,
In ſempiterna ſecula.
V. *In pace factus eſt locus eius.*
R. *Et habitatio eius in Syon.*

Antiph. *O Rex glorioſe.*

NVnc dimittis ſeruum tuum Domine, ſecundùm verbum tuum in pace.
Quia viderunt oculi mei ſalutare tuum.
Quod paraſti ante faciem omnium populorum.
Lumen ad reuelationem gentium, & gloriam plebis tuæ Iſrael.
Gloria Patri, & Filio, & Spiritui ſancto.
Sicut erat, &c.

ANTIPHONA.

O Rex glorioſe, qui inter ſanctos tuos ſemper es laudabilis, & lumen ineffabile: tu in nobis es, Domine, & nomen ſanctum tuum inuocatum eſt ſuper nos: ne derelinquas nos Deus noſter, vt in die iudicij nos collocare digneris inter Sanctos & electos tuos, Rex benedicte. Domine exaudi, vt ſuprà.

OREMVS.

FRagilitatem noſtram, quæſumus, Domine, propitius reſpice, & ſaporem nobis æternæ Sapientiæ benignus infunde, vt eius dulcedine melliflua præguſtata, om-

nia terrena valeamus despicere, & tibi summo bono ardenti desiderio iugiter adhærere. Per eundem Dominum nostrum Iesum Christum. Benedicamus Domino. vt suprà.

Hoc tibi electuariū habes ô anima mea reconditum in vasculo vocabuli huius quod est IESV. *Salutiferum certè, quòd nulli vnquàm pesti tuæ inueniatur inefficax, semper tibi in sinu sit, semper in manu, quò tui omnes in* IESVM *& sensus dirigantur & actus.* *Bern. ser. 5. in Cant.*

LITANIAE AD DEVM DOMInum nostrum, de sanctissimo nomine Iesu.

† In nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Amen.

Antiph. *Quodcunque petieritis Patrem in nomine meo, hoc faciam, vt glorificetur Pater in Filio. Si quid petieritis me, in nomine meo, hoc faciam.* *Ioan. 14.*

Kyrie eleyson, Christe eleyson, Kyrie, &c.
Iesu Fili Dei viui,
Iesu potentissime,
Iesu fortissime,
Iesu perfectissime,
Iesu gloriosissime,
Iesu mirifice,
Iesu iucundissime,
Iesu charissime,
Iesu clarior Sole,

Miserere nobis.

Iesu splendidior stellis,
Iesu admirabilis,
Iesu delectabilis,
Iesu honorabilis,
Iesu humillime,
Iesu pauperrime,
Iesu mitissime,
Iesu patientissime,
Iesu obedientissime,
Iesu castissime,
Iesu amator castitatis,
Iesu amator pacis,
Iesu amor noster,
Iesu speculum vitæ,
Iesu exemplar virtutum,
Iesu decus morum,
Iesu zelator animarum,
Iesu refugium nostrum,
Iesu pater pauperum,
Iesu consolator afflictorum,
Iesu thesaurus fidelium,
Iesu gemma pretiosa,
Iesu armarium perfectionis,
Iesu bone pastor ouium,
Iesu stella maris,
Iesu lux vera,
Iesu sapientia æterna,
Iesu bonitas infinita,
Iesu gaudium Angelorum,
Iesu rex Patriarcharum,
Iesu inspirator Prophetarum,
Iesu magister Apostolorum,
Iesu doctor Euangelistarum,
Iesu fortitudo Martyrum,

Miserere nobis.

Iesu lumen Confessorum, Miserere.
Iesu sponse & puritas virginum. Miserere.
Iesu corona Sanctorũ omnium. Miserere.
Agnus Dei, &c.
Pater noster, &c.

ORATIO.

DEvs qui gloriosissimum nomen Iesv Christi Filij tui Domini nostri fecisti fidelibus tuis summo suauitatis affectu amabile, & malignis spiritibus tremendum atque terribile: concede propitius vt omnes qui hoc nomen Iesv deuotè venerantur in terris, sanctæ consolationis dulcedinem in præsenti percipiant, & in futuro gaudium exultationis, & interminabilis beatitudinis obtineant in cœlis. Per eundem Dominum nostrum, &c.

CANTICVM DE NOMINE IESV.

Ex Psal. 112. & alijs contextum, alludens ad hæc verba,

Iesus Iesv Christo, Messiæ perbenigno, Deoque nostro.

LAudate pueri & serui Dominum, laudate nomen Domini. L

Laudate nomen eius, quoniam suauis est Dominus, in æternum misericordia eius, &

vſque in generatione & generationem veritas eius.

A A ſolis ortu vſque ad occaſum laudabile nomen Domini.

V Vſquequò Deus improperabit inimicus, irritat aduerſarius nomen tuum in finem?

S Sit nomen eius benedictum in ſecula, ante ſolem permanet verbum eius.

I Iubilate Deo omnis terra, pſalmum dicite nomini eius, date gloriam laudi eius.

E Et benedictum nomen maieſtatis eius in æternum, & replebitur maieſtate eius omnis terra, fiat, fiat.

S Sanctum & terribile nomen eius, initium ſapientiæ timor Domini.

V Vt annunciẽt in Sion nomen Domini, & laudem eius in Ieruſalem.

C Confiteãtur nomini tuo magno, quoniam terribile & ſanctum eſt, & honor Regis iudicium diliget.

H Hi in curribus, & hi in equis, nos autem in nomine Domini Dei noſtri inuocabimus.

R Refugium meum es tu, & propter nomen tuum deduces me, & enutries me.

I Iter facite ei qui aſcendit ſuper occaſum, Dominus nomen illi. Illuc enim aſcenderũt tribus.

In tribus Domini teſtimonium Iſrael: ad confitendum nomini Domini.

S Sperent in te qui nouerunt nomen tuum, quoniam non dereliquiſti quærentes te, Domine.

T Thabor & Hermon in nomine tuo exultabunt, tuum brachium cum potentia.

O Domine saluum me fac. Domine benè prosperare, benedictus qui venit in nomine Domini. O

Moyses & Aaron in sacerdotibus eius, & Samuel inter eos qui inuocant nomen eius. Memores erunt nominis tui in omni generatione & generationem. M

Exurge Domine adiuua nos, & redime nos propter nomen tuum. E

Si obliti sumus nomen Dei nostri, & si expandimus manus nostras ad Deum alienum, nónne Deus requiret ista? S

Secundum nomen tuum Deus, sic & laus tua in fines terræ, iustitia plena est dextera tua. S

In Deo laudabimur tota die, & in nomine tuo confitebimur in seculum. I

Effunde iram tuam in gentes quæ te non nouerunt, & in regna quæ nomen tuum non inuocauerunt. E

Propter nomen tuum Domine propitiaberis peccato meo, multum est enim: proptereà confitebor in nationibus, Domine, & nomini tuo psalmum dicam. P

Et gloriabuntur in te omnes, qui diligunt nomen tuum, quoniam tu benedices iusto. E

Reges omnes terræ timebunt gloriam tuam, & gentes nomen tuum, Domine. R

Bonum est confiteri Domino, & psallere nomini tuo, altissime, &, Beatus vir cuius est nomen Domini spes eius, & non respexit in vanitates, & insanias falsas. B

Et tu Domine, Domine fac mecū propter nomen tuum. E

N Non nobis Domine, non nobis, ſed nomini tuo da gloriam.

Ne auertatur humilis factus, confuſus, pauper & inops laudabunt nomen tuum.

I In te inimicos noſtros ventilabimus cornu, & in nomine tuo ſpernemus inſurgentes in nos.

G Gloriabuntur in te omnes qui diligũt nomen tuum, quoniam tu benedices iuſto.

N Non dixerunt qui præteribant, benedictio Domini ſuper vos, benediximus vobis in nomine Domini.

O Omnes gentes circuierunt me, & in nomine Domini, quia vltus ſum in eos.

D Dominus nomen tuum in æternum, Domine memoriale tuũ in generatione & generationẽ, Domine Dominus noſter, quàm admirabile eſt nomen tuũ in vniuerſa terra?

E Exaltabo te Deus meus Rex, & benedicam nomini tuo in ſæculum, & in ſæculum ſæculi.

O Orationem meam quoniam exaudiſti tu Deus meus, dediſti hæreditatem timentibus nomen tuum.

Q Quid retribuam Domino, pro omnibus quæ tribuit mihi? Calicem ſalutaris accipiã, & nomen Domini inuocabo.

Quia in eo lætabitur cor noſtrum, & in nomine ſancto eius ſperauimus.

V Vt notam faceret potentiam ſuam, ſaluauit eos propter nomen ſuum.

E Educ de cuſtodia animam meam, ad confitendum nomini tuo, me expectant iuſti donec retribuas mihi.

Non discedimus à te, viuificabis nos, & nomen tuum inuocabimus. N

Os meum loquetur laudationem Domini, & benedicat omnis caro nomini sancto eius in sæculum, & in sęculum sæculi. O

Saluauit nos propter nomen suum, vt notam faceret potentiam suam. S

Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam, propter nomen tuum viuificabis me in æquitate tua.

Tuo nomini sic psalmũ dicam, vt reddam vota mea de die in diem. T

Reges terræ & omnes populi: principes & omnes iudices terræ: Iuuenes & virgines, senes cum iunioribus laudent nomen Domini: quia exaltatum est nomen eius solius. R

Omnia quæ intra me sunt, benedicant nomini sancto eius. O

Gloria Patri, &c.

ORATIO VT SVPRA, FOL. 35.

Deus qui, &c.

PETITIONES DEVOTAE AD Dominum Iesum Christum ex S. Augustino.

Domine Iesu, nouerim me, nouerim te.
Nec aliquid cupiam nisi te.
Vt odiam me, & amem te.
Quidquid agam propter te.
Humiliem me, exaltem te,
Nihil cogitem, nisi te.

Mortificem me, & viuam in te,
Quæcumque veniant, accipiam à te.
Persequar me, sequar te.
Semper optem sequi te.
Fugiam me, confugiam ad te.
Dignus sum defendi à te.
Timeam mihi, timeam te.
Simque de electis à te.
Diffidam mihi, fidam in te.
Obedire velim, propter te,
In nullo afficiar, nisi in te.
Aspice me, vt diligam te.
Voca me, vt videam te.
Et in æternum potiar te.

ORATIO S. BERNARDI ad Iesum.

O Bone Iesu, ô pijssime Iesu, ô dulcissime Iesu, ô Iesu fili Mariæ virginis, plene misericordia & pietate. O ducis Iesu secundùm magnam misericordiam tuam miserere mei. O clementissime Iesu te deprecor per illum sanguinem pretiosum, quem pro peccatoribus effundere voluisti, vt abluas omnes iniquitates meas: & in me respicias miserum & indignum humiliter veniam petentem, & hoc nomen sanctum Iesus inuocantem.

O nomen Iesu, nomen dulce, nomen Iesu, nomen delectabile: nomen Iesu, nomen confortans. Quid est enim Iesus nisi Saluator? Ergo Iesu propter nomen sanctum tuum esto mihi Iesus, & salua me: ne permittas

me damnari, quem de ne nihilo creasti.

O bone Iesu, ne perdat me iniquitas mea, quem fecit omnipotens bonitas tua. O dulcis Iesu, recognosce quod tuum est, & absterge quod alienum est.

O benignissime Iesu, miserere mei dum tempus est miserendi, ne damnes me in tempore iudicandi. Quæ vtilitas in sanguine meo, dum descēdero in æternam corruptionem? Non mortui laudabunt te Domine Iesu, neque omnes qui descendunt in infernum. O amantissime Iesu, ô desideratissime Iesu, ô mitissime Iesu. O Iesu, Iesu, Iesu, dimitte me intrare in numerum electorum tuorum.

O Iesu salus inte credentium. O Iesu solatium ad te confugientium. Iesu dulcis remissio omnium peccatorum. O Iesu Fili Mariæ virginis, infunde in me gratiam, sapientiam, charitatem, castitatem, humilitatem, vt possim te perfectè diligere, te laudare, te perfrui, tibi seruire, & in te gloriari, & omnes qui inuocant nomen tuum, quod est Iesus. Amen.

V. Exaudiat nos Iesus.

R. Et custodiat nos semper.

LITANIAE AD DEVM DOminum nostrum Iesum Christum de vita & Passione eiusdem, ex sacris scripturis depromptæ.

†In nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Amen.

Antiph. *Humiliauit ſemetipſum Dominus noſter Ieſus Chriſtus, factus obediens vſque ad mortem, mortem autem crucis: propter quod & Deus exaltauit illum, & donauit illi nomen, quod eſt ſuper omne nomen, vt in nomine Ieſu omne genu flectatur, cœleſtium, terreſtriũ, & infernorum, & omnis lingua confiteatur, quia Dominus Ieſus Chriſtus in gloria eſt Dei Patris.* (*Phil.c.2.*)

DIE DOMINICA, Feria II. & V.

Kyrie eleyſon, &c.

Ieſu verbum Patris,

Io.1. Ieſu ſplendor paternæ gloriæ,

Hebr.1. Figura ſubſtantiæ Patris,

Pro.8. Sapientia æterna,

Sap.7. Candor lucis æternæ,

Speculum ſine macula,

Per quem facta ſunt omnia,

Ioan.1. Verbo virtutis tuæ omnia portãs,

Magni conſilij Angele,

Iſa.9. Princeps pacis,

Gen.22. Ieſu ſanctis Patribus promiſſe,

Agg.2. Cunctis gentibus deſiderate,

Luc.1. In mundum à Patre miſſe,

Ioan.1. De Spiritu ſancto concepte,

Matt.1. Verbum caro factum,

Iſa.7. Nobiſcum Deus,

Phil.2. In formam ſerui facte,

Luc.2. De Maria virgine nate,

Off.Eccl. A tua Genitrice adorate,

Luc.2. Pannis inuolute,

Off.Eccl. Ieſu in præſepio reclinate,

Vbere virgineo lactate,

(Ieſu, — Miſerere nobis.)

Iesu,	A pastoribus in præsepio cognite,	Miserere nobis.	*Luc. 2.*
	Per circũcisionem sub lege facte,		*Galat. 4.*
	A Magis adorate,		*Mat. 2.*
	In templo præsentate,		*Luc. 2.*
	In vlnis Simeonis excepte,		
	In Aegyptum delate,		*Mat. 2.*
	Ab Herode ad mortem quæsite,		*Luc. 2.*
	In Nazareth nutrite,		
	In Templo inuente,		
	Parentibus subdite,		
	A Ioanne Baptizate,		*Matt. 3.*
	In deserto tentate,		*& 4.*
	Cum hominibus conuersate,		*Bar. 3.*
	Pauperibus discipulis sociate,		*Mat. 4.*
	Lux mundi,		*Ioan. 8.*
	Doctor iustitiæ,		*Ioel. 2.*
	Via, veritas, & vita,		*Ioan. 14.*
	Exemplar virtutum omnium,		*& 13.*
	Omnibus languẽtibus misericorditer opitulate,		*Matt. 14.* *& 3.*
	A tuis furiosus reputate,		
	Gratis odio habite,		*Psal. 34.*
	Contumelijs vexate,		*Matt. 11.*
	Lapidibus impetite,		
	In monte coram Patribus transfigurate.		*Mat. 19.*

FERIA III. ET VI.

Iesu Rex mitis Hierusalẽ ingresse,	*Zach. 9.*
Præ compassione lachrymate,	*Luc. 19.*
Triginta argenteis appretiate,	*Mat. 26.*
Ad discipulorum pedes inclinate,	*Io. 13. & 6.*
Panis viue nos confirmans,	*Psal. 10[illegible]*

Potus vere nos lætificans,
Matt.26. In oratione proſtrate,
Luc.22. In agonia ſanguineo ſudore perfuſe,
Ab Angelo confortate,
Oſculo à Iuda tradite,
A miniſtris ligate,
Ieſu à diſcipulis derelicte,
Annæ & Caiphæ præſentate,
Io.18. Alapa à miniſtro percuſſe,
Matt.14. Falſis teſtibus accuſate,
& 26. Reus mortis iudicate,
In faciem conſpute,
Oculis velate,
Colaphis cæſe,
Iſa.50. Cuius corpus percutientibus, & genæ vellentibus datæ.
Matt.26. A Petro ter negate,
& 27. Vinctus Pilato tradite,
Luc.23. Ab Herode & eius exercitu ſprete & illuſe,
Veſte alba indute,
Matt.26. Barrabæ poſtpoſite,
Io.19. Flagellis cæſe,
Iſa.53. Propter ſcelera noſtra attrite,
Quaſi leproſus reputate,
Mar.15. Veſte purpurea indute,
Io.19. Spinis coronate,
Arundine percuſſe,
Mat.27. A Iudæis ad Crucem poſtulate,
Sap.2. Morte turpiſſima condemnate,
Luc.23. Voluntati Iudæorum tradite,
Io.10. Crucis pondere grauate,
Iſa.53. Tanquàm ouis ad occiſionẽ ducte,

(Ieſu, — Miſerere nobis.)

FERIA IIII. ET SABBAT.

Iesu,

Iesu veſtibus exute,
Clauis in Cruce confixe, *Mat.7.*
Ieſu propter iniquitates noſtras vulnerate, *Ioan.19.* *Iſa.53.*
Pro inimicis Patrem deprecate, *Luc.23.*
Cum iniquis reputate, *Iſa.53.*
Opprobrium hominum facte, *Pſal.21.*
A prætereuntibus blaſphemate, *Mat.27.*
A Iudæis deriſe, *Luc.2.*
A militibus in Cruce illuſe, *Mar.15.*
Ieſu à latrone iniurijs laceſſite, *Thre.3.*
Opprobrijs ſaturate, *Luc.23.*
Latroni pœnitẽti paradyſum pollicite,
Qui Ioannem Matri tuæ in filium tradidiſti, *Io.19.*
Te à Patre derelictum atteſtate, *Mar.15.*
Felle & Aceto in ſiti potate, *Pſal.68.*
Conſummata omnia de te ſcripta teſtate, *Luc.18. & 23.*
Cuius ſpiritus in manus Patris cõmendatus,
A Patre pro tua reuerẽtia ſemper exaudite, *Hebr.5.*
Vſque ad mortem Crucis obediẽs facte, *Phil.2.*
Lancea transfixe,
Ieſu de cuius latere exiuit ſanguis & aqua, *Io.19.*
Cuius liuore ſanati ſumus, *Iſa.56.*
Propitiatio nobis facte, *Io.12.*

Miſerere nobis.

Mar.15. De Cruce deposite,
Matt.27. In syndonè munda inuolute,
Io.19. In monumento nouo tumulate,
Zach.9. Vinctos tuos de lacu inferni prædate,
Mar.16. IESV ab inferis victor reuerse,
Act.1. Post resurrectionem cum discipulis conuersate,
Iesu in cœlum eleuate,
Mar.16. In Patris dextera collocate,
Psal.8. Gloria & honore coronate,
Iesu Rex Regum & Dominus Dominantium,
1.Io.2. Noster apud Patrem aduocate,
Act.2. Spiritum paraclitum discipulis elargite,
Off.Eccl. Matrem tuam super choros Angelorum exaltans,
Viuos & mortuos iudicature,
2.Tit.4. Reprobos in ignē ęternū missure,
Matt.25. Paratum electis regnū collature,
Psal.35. Vbertate domus tuæ Sanctos omnes inebrians,
Isa.9. Iesu pater futuri seculi,
Iob.39. Iesu iubile Angelorum,
Rex Patriarcharum,
Vt suprà fol.204.
Kyrie eleison,&c.

(Left bracket: Iesu, — Right bracket: Miserere nobis.)

ORATIO.

RESpice quæsumus Domine super hanc familiam tuam, pro qua Dominus noster Iesus Christus non dubitauit manibus tradi nocentium, & crucis subire tormentum. Qui tecum viuit,&c.

D. BERNARDI ABBATIS RYTHmica oratio ad vnum quodlibet membrorum Christi patientis, & à cruce pendentis, cum aliis septem P. Petri Canis. Societ. IESV interpositis.

AD PEDES.

SALVE mundi salutare,
Salue, salue Iesu care,
Cruci tuæ me aptare,
Vellem verè, tu scis quare,
Da mihi tui copiam.
Ac si præsens sic accedo,
Imò te præsentem credo,
O quàm nudum hic te cerno!
Ecce tibi me prosterno,
Sis facilis ad veniam.
Clauos pedum, plagas duras
Et tam graues impressuras,
Circumplector cum affectu,
Tuo pauens in aspectu,
Tuorum memor vulnerum.
Grates tantæ charitati,
Nos agamus vulnerati;
O amator peccatorum,
Reparator confractorum,
O dulcis pater pauperum.
Quidquid est in me confractum,
Dissipatum aut distractum,
Dulcis Iesu totum sana,
Tu restaura, tu complana,
Tam pio medicamine.
Te in tua cruce quæro,

Prout queo corde mero,
Me sanabis hìc, vt spero,
Sana, & saluus ero,
In tuo lauans sanguine.
Plagas tuas rubicundas,
Et fissuras tam profundas,
Cordi meo fac inscribi,
Vt configar totus tibi,
Te modis amans omnibus.
Dulcis Iesu pie Deus,
Ad te clamo, licèt reus,
Præbe mihi te benignum,
Ne repellas me indignum,
De tuis sanctis pedibus.
Coram cruce procumbentem,
Hosque pedes complectentem,
Iesu bone non me spernas,
Sed de cruce sancta cernas,
Compaßionis gratia.
In hac Cruce stans directè,
Vide me, ô mi dilecte.
Ad te totum me conuerte,
Esto sanus, dic apertè,
Dimitto tibi omnia.

ORATIO I. DE CHRISTI Humilitate.

DOmine IESV Christe, fili Dei viui, ipse verus Deus, potentissimus rerum omnium conditor & moderator, qui vt humilitatis exemplum nobis relinqueres, è sublimi cœlo in hâc descendisti humanam nostram infirmitatem atque abiectionem assumens,

à seruoq́ue tuo Ioanne velut impurus peccator, baptizari voluisti, & passione tua iam instante, charis discipulis cordis tui tristitiam patefecisti, prostratusq́ue in terram, sudore sanguineo emisso, humillimè voluntatem tuam in voluntatem patris resignasti, aliaq́; quamplurima egisti, quæ summæ humilitatis sunt argumentum: precor vt profundam dones mihi humilitatẽ, qua me omnibus facilè lubensq́; subiiciam, neque altè de meipso sentiam, sed vilis sim, abiectusq́ue semper in oculis meis, & talis ab omnibus haberi cupiam. Qui viuis, &c.

AD GENVA.

Salue Iesu Rex Sanctorum,
Spes votiua peccatorum,
Crucis ligno tanquam reus
Pendens homo verus Deus,
Caducis nutans genibus.
O quàm pauper, ô quàm nudus,
Qualis es in cruce ludus,
Derisorum iocus factus,
Sponte tamen, non coactus,
Attritus membris omnibus.
Sanguis tuus abundanter
Fusus, fluit incessanter,
Totus lotus in cruore,
Stas in maximo dolore,
Præcinctus vili tegmine.
O maiestas infinita,
O egestas inaudita,
Quis pro tanta charitate.

Mortificem me, & viuam in te.
Quæcumque veniant, accipiam à te.
Persequar me, sequar te.
Semper optem sequi te.
Fugiam me, confugiam ad te.
Dignus sum defendi à te.
Timeam mihi, timeam te.
Simque de electis à te.
Diffidam mihi, fidam in te.
Obedire velim, propter te,
In nullo afficiar, nisi in te.
Aspice me, vt diligam te.
Voca me, vt videam te.
Et in æternum potiar te.

ORATIO S. BERNARDI ad Iesum.

O Bone Iesu, ô pijssime Iesu, ô dulcissime Iesu, ô Iesu fili Mariæ virginis, plene misericordia & pietate. O ducis Iesu secundùm magnam misericordiam tuam miserere mei. O clementissime Iesu te deprecor per illum sanguinem pretiosum, quem pro peccatoribus effundere voluisti, vt abluas omnes iniquitates meas: & in me respicias miserum & indignum humiliter veniam petentem, & hoc nomen sanctum Iesus inuocantem.

O nomen Iesu, nomen dulce, nomen Iesu, nomen delectabile: nomen Iesu, nomen confortans. Quid est enim Iesus nisi Saluator? Ergo Iesu propter nomen sanctum tuum esto mihi Iesus, & salua me: ne permittas

me damnari, quem de ne nihilo creasti.

O bone Iesu, ne perdat me iniquitas mea, quem fecit omnipotens bonitas tua. O dulcis Iesu, recognosce quod tuum est, & absterge quod alienum est.

O benignissime Iesu, miserere mei dum tempus est miserendi, ne damnes me in tempore iudicandi. Quæ vtilitas in sanguine meo, dum descẽdero in æternam corruptionem? Non mortui laudabunt te Domine Iesu, neque omnes qui descendunt in infernum. O amantissime Iesu, ô desideratissime Iesu, ô mitissime Iesu. O Iesu, Iesu, Iesu, dimitte me intrare in numerum electorum tuorum.

O Iesu salus in te credentium. O Iesu solatium ad te confugientium. Iesu dulcis remissio omnium peccatorum. O Iesu Fili Mariæ virginis, infunde in me gratiam, sapientiam, charitatem, castitatem, humilitatem, vt possim te perfectè diligere, te laudare, te perfrui, tibi seruire, & in te gloriari, & omnes qui inuocant nomen tuum, quod est Iesus. Amen.

V. Exaudiat nos Iesus.
R. Et custodiat nos semper.

LITANIAE AD DEVM DOminum nostrum Iesum Christum de vita & Passione eiusdem, ex sacris scripturis depromptæ.

†In nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Amen.

Antiph. *Humiliauit ſemetipſum Dominus noſter Ieſus Chriſtus, factus obediens vſque ad mortem, mortem autem crucis: propter quod & Deus exaltauit illum, & donauit illi nomen, quod eſt ſuper omne nomen, vt in nomine Ieſu omne genu flectatur, cœleſtium, terreſtriũ, & infernorum, & omnis lingua confiteatur, quia Dominus Ieſus Chriſtus in gloria eſt Dei Patris.* (*Phil.c.2.*)

DIE DOMINICA,
Feria II. & V.

Kyrie eleyſon, &c.

Ieſu, miſerere nobis.

Ieſu verbum Patris,
Ieſu ſplendor paternæ gloriæ, (*Io. 1.*)
Figura ſubſtantiæ Patris, (*Hebr.1.*)
Sapientia æterna, (*Pro.8.*)
Candor lucis æternæ, (*Sap.7.*)
Speculum ſine macula,
Per quem facta ſunt omnia,
Verbo virtutis tuæ omnia portãs, (*Ioan.1.*)
Magni conſilij Angele,
Princeps pacis, (*Iſa.9.*)
Ieſu ſanctis Patribus promiſſe, (*Gen.22.*)
Cunctis gentibus deſiderate, (*Agg.2.*)
In mundum à Patre miſſe, (*Luc.1.*)
De Spiritu ſancto concepte, (*Ioan.1.*)
Verbum caro factum, (*Matt.1.*)
Nobiſcum Deus, (*Iſa.7.*)
In formam ſerui facte, (*Phil.2.*)
De Maria virgine nate, (*Luc.2.*)
A tua Genitrice adorate, (*Off.Eccl.*)
Pannis inuolute, (*Luc.2.*)
Ieſu in præſepio reclinate, (*Off.Eccl.*)
Vbere virgineo lactate,

Iesu, … Miserere nobis.

A pastoribus in præsepio cognite,	Luc. 2.
Per circũcisionem sub lege facte,	Galat. 4.
A Magis adorate,	Mat. 2.
In templo præsentate,	Luc. 2.
In vlnis Simeonis excepte,	
In Aegyptum delate,	Mat. 2.
Ab Herode ad mortem quæsite,	Luc. 2.
In Nazareth nutrite,	
In Templo inuente,	
Parentibus subdite,	
A Ioanne Baptizate,	Matt. 3.
In deserto tentate,	& 4.
Cum hominibus conuersate,	Bar. 3.
Pauperibus discipulis sociate,	Mat. 4.
Lux mundi,	Ioan. 8.
Doctor iustitiæ,	Ioel. 2.
Via, veritas, & vita,	Ioan. 14.
Exemplar virtutum omnium,	& 13.
Omnibus languẽtibus misericorditer opitulate,	Matt. 14. & 3.
A tuis furiosus reputate,	
Gratis odio habite,	Psal. 34.
Contumelijs vexate,	Matt. 11.
Lapidibus impetite,	
In monte coram Patribus transfigurate.	Mat. 19.

FERIA III. ET VI.

Iesu Rex mitis Hierusalẽ ingresse,	Zach. 9.
Præ compassione lachrymate,	Luc. 19.
Triginta argenteis appretiate,	Mat. 26.
Ad discipulorum pedes inclinate,	Io. 13. & 6.
Panis viue nos confirmans,	Psal. 103.

Potus vere nos lætificans,
Matt.26. In oratione proſtrate,
Luc.22. In agonia ſanguineo ſudore perfuſe,
Ab Angelo confortate,
Oſculo à Iuda tradite,
A miniſtris ligate,
Ieſu à diſcipulis derelicte,
Annæ & Caiphæ præſentate,
Io.18. Alapa à miniſtro percuſſe,
Matt.14. Falſis teſtibus accuſate,
& 26. Reus mortis iudicate,
In faciem conſpute,
Oculis velate,
Colaphis cæſe,
Iſa.50. Cuius corpus percutientibus, & genæ vellentibus datæ.
Matt.26. A Petro ter negate,
& 27. Vinctus Pilato tradite,
Luc.23. Ab Herode & eius exercitu ſprete & illuſe,
Veſte alba indute,
Matt.26. Barrabæ poſtpoſite,
Io.19. Flagellis cæſe,
Iſa.53. Propter ſcelera noſtra attrite,
Quaſi leproſus reputate,
Mar.15. Veſte purpurea indute,
Io.19. Spinis coronate,
Arundine percuſſe,
Mat.27. A Iudæis ad Crucem poſtulate,
Sap.2. Morte turpiſſima condemnate,
Luc.23. Voluntati Iudæorum tradite,
Io.10. Crucis pondere grauate,
Iſa.53. Tanquàm ouis ad occiſioné ducte,

Ieſu, — Miſerere nobis.

PERLA

FERIA IIII. ET SABBAT.

Iesu,

Miserere nobis.

Iesu veſtibus exute, *Mat.7.*
Clauis in Cruce confixe, *Ioan.19.*
Ieſu propter iniquitates noſtras vulnerate, *Iſa.53.*
Pro inimicis Patrem deprecate, *Luc.23.*
Cum iniquis reputate, *Iſa.53.*
Opprobrium hominum facte, *Pſal.21.*
A prætereuntibus blaſphemate, *Mat.27.*
A Iudæis deriſe, *Luc.2.*
A militibus in Cruce illuſe, *Mar.15.*
Ieſu à latrone iniurijs laceſſite,
Opprobrijs ſaturate, *Thre.3.*
Latroni pœnitēti paradyſum pollicite, *Luc.23.*
Qui Ioannem Matri tuæ in filium tradidiſti, *Io.19.*
Te à Patre derelictum atteſtate, *Mar.15.*
Felle & Aceto in ſiti potate, *Pſal.68.*
Conſummata omnia de te ſcripta teſtate, *Luc.18. & 23.*
Cuius ſpiritus in manus Patris cō-mendatus,
A Patre pro tua reuerētia ſemper exaudite, *Hebr.5.*
..ique ad mortem Crucis obediēs facte, *Phil.2.*
Lancea transfixe,
Ieſu de cuius latere exiuit ſanguis & aqua, *Io.19.*
Cuius liuore ſanati ſumus, *Iſa.56.*
Propitiatio nobis facte, *Io.12.*

Mar.15. De Cruce deposite,
Matt.27. In syndonè munda inuolute,
Io.19. In monumento nouo tumulate,
Zach.9. Vinctos tuos de lacu inferni prædate,
Mar.16. IESV ab inferis victor reuerse,
Act.1. Post resurrectionem cum discipulis conuersate,
Iesu in cœlum eleuate,
Mar.16. In Patris dextera collocate,
Psal.8. Gloria & honore coronate,
Iesu Rex Regum & Dominus Dominantium,
1.Io.2. Noster apud Patrem aduocate,
Act.2. Spiritum paraclitum discipulis elargite,
Off.Eccl. Matrem tuam super choros Angelorum exaltans,
Viuos & mortuos iudicature,
2.Tit.4. Reprobos in ignē ęternū missure,
Matt.25. Paratum electis regnū collature,
Psal.35. Vbertate domus tuæ Sanctos omnes inebrians,
Isa.9. Iesu pater futuri seculi,
Iob.39. Iesu iubile Angelorum,
Rex Patriarcharum,
Vt suprà fol.204.
Kyrie eleison, &c.

Iesu, ... Miserere nobis.

ORATIO.

Respice quæsumus Domine super hanc familiam tuam, pro qua Dominus noster Iesus Christus non dubitauit manibus tradi nocentium, & crucis subire tormentum. Qui tecum viuit, &c.

D. BERNARDI ABBATIS RYTHmica oratio ad vnum quodlibet membrorum Christi patientis, & à cruce pendentis, cum aliis septem P. Petri Canis. Societ. IESV interpositis.

AD PEDES.

SALVE mundi salutare,
Salue, salue Iesu care,
Cruci tuæ me aptare,
Vellem verè, tu scis quare,
Da mihi tui copiam.
Ac si præsens sic accedo,
Imò te præsentem credo,
O quàm nudum hic te cerno?
Ecce tibi me prosterno,
Sis facilis ad veniam.
Clauos pedum, plagas duras
Et tam graues impressuras,
Circumplector cum affectu,
Tuo pauens in aspectu,
Tuorum memor vulnerum.
Grates tantæ charitati,
Nos agamus vulnerati;
O amator peccatorum,
Reparator confractorum,
O dulcis pater pauperum.
Quidquid est in me confractum,
Dißipatum aut distractum,
Dulcis Iesu totum sana,
Tu restaura, tu complana,
Tam pio medicamine.
Te in tua cruce quæro,

Prout queo corde mero,
Me sanabis hìc, vt spero,
Sana, & saluus ero,
In tuo lauans sanguine.
Plagas tuas rubicundas,
Et fissuras tam profundas,
Cordi meo fac inscribi,
Vt configar totus tibi,
Te modis amans omnibus.
Dulcis Iesu pie Deus,
Ad te clamo, licèt reus,
Præbe mihi te benignum,
Ne repellas me indignum,
De tuis sanctis pedibus.
Coram cruce procumbentem,
Hosque pedes complectentem,
Iesu bone non me spernas,
Sed de cruce sancta cernas,
Compaßionis gratia.
In hac Cruce stans directè,
Vide me, ô mi dilecte.
Ad te totum me conuerte,
Esto sanus, dic apertè,
Dimitto tibi omnia.

ORATIO I. DE CHRISTI Humilitate.

DOmine IESV Christe, fili Dei viui, ipse verus Deus, potentissimus rerum omnium conditor & moderator, qui vt humilitatis exemplum nobis relinqueres, è sublimi cœlo in hác descendisti humanam nostram infirmitatem atque abiectionem assumens,

à seruoque tuo Ioanne velut impurus peccator, baptizari voluisti, & passione tua iam instante, charis discipulis cordis tui tristitiam patefecisti, prostratusque in terram, sudore sanguineo emisso, humillimè voluntatem tuam in voluntatem patris resignasti, aliaq; quamplurima egisti, quæ summæ humilitatis sunt argumentum: precor vt profundam dones mihi humilitatẽ, qua me omnibus facilè lubensq; subiiciam, neque altè de meipso sentiam, sed vilis sim, abiectusque semper in oculis meis, & talis ab omnibus haberi cupiam. Qui viuis, &c.

AD GENVA.

Salue Iesu Rex Sanctorum,
Spes votiua peccatorum,
Crucis ligno tanquam reus
Pendens homo verus Deus,
Caducis nutans genibus.
O quàm pauper, ô quàm nudus,
Qualis es in cruce ludus,
Derisorum iocus factus,
Sponte tamen, non coactus,
Attritus membris omnibus.
Sanguis tuus abundanter
Fusus, fluit incessanter,
Totus lotus in cruore,
Stas in maximo dolore,
Præcinctus vili tegmine.
O maiestas infinita,
O egestas inaudita,
Quis pro tanta charitate.

Quærit te in veritate,
Dans sanguinem pro sanguine.
Quid sum tibi responsurus?
Actu vilis, corde durus,
Quid rependam amatori,
Qui elegit pro me mori,
Ne dupla morte morerer?
Amor tuus, amor fortis,
Quem non vincunt iura mortis.
O quàm pia me sub cura,
Tua foues in pressura,
Ne morsu mortis vulnerer.
Ecce tuo præ amore,
Te complector cum rubore,
Me coapto diligenter,
Tu scis causam euidenter,
Sed suffer, & dissimula.
Hoc quod ago, non te grauet,
Sed me sanet, & me lauet,
Inquinatum & ægrotum,
Sanguis fluens hìc per totum,
Vt non supersit macula.
In hac cruce te cruentum,
Te contemptum & distentum,
Vt requiram me impelle,
Et hoc imple meum velle,
Facturus quod desidero.
Vt te quæram mente pura,
Sit hæc mea prima cura.
Non est labor, nec grauabor,
Sed sanabor & mundabor,
Cùm te complexus fuero.

ORATIO II. DE CHRISTI mansuetudine.

DOmine IESV Christe præclarum omnium virtutum exemplar, qui summam semper omnibus mansuetudinem præbuisti, tam in Natiuitatis tuæ exordio, quando te mundo ostendisti inimicissimo, quàm per totam reliquam vitam, in qua modestia summa cum discipulis rudibus, & Iudæis continenter insidiantibus, versatus es: quàm denique passionis tempore, cùm & proditorem Iudam mansuetissimè deosculabaris, & Iudæis eadem semper modestia teipsum exhibuisti, quantumuis duriter ligarent, cæderent, in faciem conspuerent, multasque irrogarent iniurias. Rogo humillimè, vt veram mihi largiaris mansuetudinem, qua, sedato animo, mea omnia peragam, modesteque me apud alios habeam, atque mansuetè cum omnibus verser, siue benignè, siue duriùs mecum agant.

AD MANVS.

Salue Iesu pater bone,
Fatigatus in agone,
Qui per lignum es distractus,
Et ad lignum es compactus,
Expansis sanctis manibus.
Manus sanctæ, vos auete,
Rosis nouis adimpletæ,
Hos ad ramos durè iunctæ,

Et crudeli ferro punctæ,
Tot guttis decurrentibus.
Ecce fluit circumquaque,
Manu tua de vtraque,
Sanguis tuus copiosè,
Rubicundus instar rosæ,
Magnæ salutis pretium.
Manus clauis perforatas,
Et cruore purpuratas,
Corde premo præ amore,
Sitibundo bibens ore,
Cruoris stillicidium.
O quàm largè te componis,
Promptus malis atque bonis,
Trahis pigros, pios vocas,
Et in tuis vlnis locas,
Paratus gratis omnibus.
Ecce tibi me præsento,
Vulnerato & cruento,
Semper ægris misereris,
De me ergo ne graueris,
Qui præsto es amantibus.
In hac Cruce sic extensus,
In te meos trahe sensus,
Meum posse, velle, scire,
Cruci tuæ fac seruire,
Me tuis apta brachijs.
In tam lata charitate,
Trahe me in veritate,
Propter crucem tuam almam,
Trahe me ad crucis palmam
Dans finem meis vitijs.
Manus Sanctæ, vos amplector,
Et gemendo condelector,

Grates ago plagis tantis,
Clauis duris, guttis sanctis,
Dans lachrymas cum osculis.
In cruore tuo locum,
Me commendo tibi totum,
Tuæ sanctæ manus istæ,
Me defendant Iesu Christe,
Extremis in periculis.

ORATIO III. DE CHRISTI Patientia.

DOmine IESV Christe patientiæ speculum, & auctor omnium bonorum, qui tener infantulus circumcisionis dolorem patientissimè tulisti, in omnibusque Iudæorum conuitiis, & quas intulerunt plagis, atque diris flagellis infractum semper animum & benignum exhibuisti: obsecro, vt hanc mihi infundas gratiam, qua summa cõstantia, quæ Christianum hominem, officiúmque meum decent, perficiàm, iniurias omnes illatas fortiter perferam, neque prorsus ad vllas aduersitates commouear, sed æquabili sim animo, tam in contrariis, quàm rebus secundis.

AD LATVS.

SAlue Iesu summè bonus,
Ad parcendum nimis pronus.
Membra tua macilenta,
Quàm acerbè sunt distenta,
In ramo crucis torridæ.

Salue latus Saluatoris,
In quo latet mel dulcoris,
In quo patet vis amoris,
Ex quo scatet fons cruoris
Qui corda lauat sordida.
Ecce tibi appropinquo,
Parce Iesu si delinquo,
Verecunda quidem fronte,
Ad te tamen veni sponte,
Scrutari tua vulnera.
Salue mitis apertura,
De qua manat vena pura,
Porta patens & profunda,
Super rosam rubicunda,
Medela salutifera.
Odor tuus super vinum,
Virus pellens serpentinum,
Potus tuus potus vitæ,
Qui sititis huc venite,
Te dulce vulnus aperi.
Plaga rubens aperire,
Fac cor meum te sentire,
Sine me in te transire,
Vellem totus intraire,
Pulsanti pande pauperi.
Ore meo te contingo,
Et ardenter ad me stringo,
In te meum cor intingo,
Et feruenti corde lingo,
Me totum in te traijce.
O quam dulcis sapor iste,
Qui te gustat Iesu Christe
Tuo deuictus à dulcore,
Mori posset præ amore,

Te vnum amans vnicè.
In hac fossa me recondè,
Infer meum cor profundè,
Vbi latens incalescat,
Et in pace conquiescat,
Nec prorsus quemquam timeat.
Hora mortis meus flatus,
Intret Iesu tuum latus,
Hinc exspirans in te vadat,
Ne hunc leo trux inuadat,
Sed apud te permaneat.

ORATIO IIII. DE CHRISTI Obedientia.

DOmine IESV Christe summe totius orbis Imperator, cui ad nutum omnia obediunt, cui se reges inclinant, & cui subsũt cunctæ prorsus creaturæ. Rogo te per insignem illam obedientiam, qua te totum ita patris voluntati subdidisti, vt fatereris esse cibum tuum, eius iussionem implere. Neque illi tantùm paruisti, verùm etiam hominibus quantumuis improbis, vt Iudici Pilato in suscipienda mortis sententia, & impiis tortoribus, in his quæ ad inferendas pœnas iniquè præcipiebant. Rogo, inquam, vt gratiam mihi largiaris, qua tuis imprimis sanctissimis mandatis, & piis internis spiritus sancti suggestionibus obtemperem, cæcam, velocem, alacrem atque humilem obedientiam superioribus meis libenter præstem.

AD PECTVS.

Salue salus mea Deus,
Iesu dulcis, amor meus,
Salue pectus reuerendum,
Cum tremore contingendum,
Amoris domicilium.
Aue thronus Trinitatis,
Arca latæ charitatis,
Firmamentum infirmatis,
Pax & pausa fatigatis,
Humilium triclinium.
Salue Iesu reuerende,
Dignè semper inquirende,
Me præsentem hîc attende,
Accendentem me succende,
Præcordiali gratia.
Pectus mihi confer mundum,
Ardens, pium, gemebundum,
Voluntatem abnegatam,
Tibi semper conformatam,
Iuncta virtutum copia.
Iesu dulcis, pastor pie,
Fili Dei & Mariæ,
Largo fonte tui cordis,
Fœditatem meæ sordis,
Benigne pater dilue.
Aue splendor & figura,
Summa Dei genitura,
De thesauris tuis plenis,
Desolatis, & egenis,
Munus clementer proflue.
Dulcis Iesu Christi pectus,

Tuo fiam dono rectius,
Absolutus à peccatis,
Ardens igne charitatis,
Vt semper te recogitem.
Tu abyssus es sophiæ,
Angelorum harmoniæ,
Te collaudant: ex te fluxit,
Quod Ioannes cubans suxit,
In te fac vt inhabitem.
Aue fons benignitatis,
Plenitudo Deitatis,
Corporalis in te manet,
Vanitatem in me sanet,
Quod tu confers consilium.
Aue verum templum Dei,
Precor miserere mei,
Tu totius arca boni,
Fac electis me apponi,
Vas diues: Deus omnium.

ORATIO V. DE AMABILI Christi benignitate.

DOmine IESV Christe benignissime Deus, qui summa semper amabilique benignitate erga tuos vsus fuisti, quando infantulus in vlnis Simeonis requiescebas, quan[d]o Apostolorum lauabas pedes, quando Crucem ponderosam baiulans, ad mulieres conuersus, eas consolabaris, vestibus spoliabaris, & manus perforandas crudeliter, porrigebas. Precor te, vt etiam mihi benignitatem amabilem conferas, qua cum omnibus, prout conuenit, conuerser, animi

ſumma dulcedine cum illis agam, nec aduerſantibus ſim aſperior, quàm fauentibus: verùm amabilem dulcemque benignitatem omnibus exhibeam.

AD COR.

SVmmi Regis cor aueto,
Te ſaluto corde læto.
Te complecti me delectat,
Et hoc meum cor affectat,
Vt ad te loquar, animes.
Quo amore vincebaris,
Quo dolore torquebaris,
Cùm te totum exhaurires,
Vt te nobis impertires,
Et nos à morte tolleres?
O mors illa quàm amara,
Quàm immitis, quàm auara,
Quæ per cellam introiuit,
In qua mundi vita viuit,
Te mordens cor dulciſsimum.
Propter mortem quam tuliſti,
Quando pro me defeciſti,
Cordis mei cor dilectum,
In te meum fer affectum,
Hoc eſt quod opto plurimum.
O cor dulce prædilectum,
Munda cor meum illectum,
Et in vanis induratum,
Pium fac & timoratum,
Repulſo tetro frigore.
Per medullam cordis mei,
Peccatoris atque rei,

Tuus amor transferatur,
Quo cor tuum rapiatur.
Languens amoris vulnere.
Dilatare, aperire,
Tanquam rosa fragrans mirè,
Cordi meo te coniunge,
Vnde illud & compunge,
Qui amat te, quid patitur?
Quidnam agat nescit verè,
Nec te valet cohibere,
Nullum modum dat amori,
Multa morte vellet mori,
Amore quisquis vincitur.
Viua cordis voce clamo,
Dulce cor, te namque amo,
Ad cor meum inclinare;
Vt se posset applicare,
Deuoto tibi pectore.
Tuo viuat in amore,
Ne dormitet in torpore,
Ad te oret, ad te ploret,
Te adoret, te honoret,
Te fruens omni tempore.
Rosa cordis aperire,
Cuius odor fragrat mirè,
Te dignare dilatare,
Fac cor meum anhelare,
Fla...ma desiderij.
Da cor cordi sociari,
Tecum Iesu vulnerari,
Nam cor cordi similatur,
Si cor meum perforatur,
Sagittis improperij.
Infer tuum intra sinum,

Cor, vt tibi sit vicinum,
In dolore gaudioso,
Cum deformi ſpecioſo,
Quod vix ſeipſum cupiat.
Hic repauſet, hic moretur,
Ecce iam poſt te mouetur,
Te ardenter vult ſitire,
Ieſu noli contraire,
Vt benè de te ſentiat.

ORATIO VI. DE ARDENTISSIMA CHRISTI DOMINI CHARITATE.

DOmine IESV Chriſte, charitas increata, qui tanto amore ſalutem noſtram ſemper ſitiuiſti, & veluti profugus in aliena terra peregrinari dignatus es, cuius eſt terra omnis; & plenitudo eius, vt præterea omnium hominum qui ad te veniunt, miſerias & calamitates ſuſtollere promiſeris: denique poſt immenſos noſtri cauſſa exantlatos labores, etiam ſanguinem vniuerſum profundere, & animam pretioſiſſimam pro nobis ponere volueris: per hæc te ſupplex oro, vt mihi veram charitatem infundas, qua te inprimis ardentiſſimè diligam, deinde proximum omnem in te, & propter te ſummo complectar amore, nihilque mihi in rebus vllis parcam, quibus vel tibi, vel proximo, obſequium aliquod exhibere queam, quantumuis id durum ſit mihi atque moleſtum.

AD FACIEM.

Salue caput cruentatum,
Totum ſpinis coronatum,
Conquaſſatum, vulneratum,
Arundine verberatum,
Facie ſputis illita.
Salue cuius dulcis vultus,
Immutatus & incultus,
Immutauit ſuum florem,
Totus verſus in pallorem,
Quem cœli tremit curia.
Omnis vigor, atque viror
Hinc receßit, non admiror,
Mors apparet in aſpectu,
Totus pendens in defectu,
Attritus ægra macie.
Sic affectus, ſic deſpectus,
Propter me ſic interfectus,
Peccatori tam indigno,
Cum amoris interſigno,
Appare clara facie.
In hac tua paßione,
Me agnoſco paſtor bone,
Cuius ſumpſi mel ex ore,
Hauſtum lactis cum dulcore,
P. omnibus delicijs.
Non me reum aſperneris,
Nec indignum dedigneris,
Morte tibi iam vicina,
Tuum caput hic inclina,
In meis pauſa brachijs.
Tuæ ſanctæ paßioni

Me gauderem interponi,
In hac cruce tecum mori,
Præsta crucis amatori,
Sub cruce tua moriar.
Morti tuæ tam amaræ
Grates ago Iesu chare,
Qui es clemens, pie Deus
Fac quod petit tuus reus,
Vt absque te non finiar.
Dum me mori est necesse,
Noli mihi tunc deesse,
In tremenda mortis hora,
Veni Iesu absque mora,
Tuere me, & libera,
Cùm me iubes emigrare,
Iesu care, tunc appare,
O amator amplectende,
Temetipsum tunc ostende,
In cruce salutifera, Amen.

ORATIO SEPTIMA DE LIberalitate ac compassione Christi Domini.

DOmine IESV Christe potentissime ac liberalissime Deus, qui summa liberalitate te ipsum totum nobis donasti, quando in maximis laboribus, & corporis mole[illegible] nihil tibi parcens, omnes sitientes ad te venire iussisti, vt aqua salutari eos potares, & liberalissimè cœlestis sapientiæ, diuinæque gratiæ thesaurum illis communicares: denique sanguinem vniuersum illum, etiam qui in corde, interioribusq; visceribus latebat,

bat, vt te totum nobis impendere non dubitares, liberalissimè effudisti: oro vt mihi liberalem des animum, quo nō solùm in tuum obsequium, sed in auxiliū quoque, salutemq; proximorum me totum, meaque omnia liberaliter impēdam, fac etiam (precor) vt sedulò & continenter passionem tuam, doloremque sanctissimæ matris in corde gestem, quorum meditatione vitam meam Christiano homine, & vocatione mea dignam traducam, animumque meum ita componam; vt dignus sit; in quo per gratiam tuam quiescas, & habites vnà cum Deo Patre & Spiritu sancto in secula seculorum. Amen.

LITANIAE AD DEVM DOminum nostrum, de Sacro-Sancta Eucharistia ex script. & SS. Patribus.

† In nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, Amen.

Antiph. *O sacrum conuiuium in quo Christus sumitur, recolitur memoria paßionis eius, mens impletur gratia, & futuræ gloriæ nobis pignus datur. S. Thomas Aqui.*

Kyrie eleyson, &c.
Christe fili Dei viui, — Miserere nobis. *Matt. 16.*
Christe panis Angelorum,
Christe qui es cibus Apostolicus, *Ambr. in psal. 118.*
Adorandum Christi corpus,
Adunatio hominis ad Christum, *August. in pag. 98.*
Aeternum mysterium,

Conc.flo.	Alimentum spiritale,
Chrysost.ho	Angelorum esca,
mil.83.in Matt.	Angelicum, cœleste, summeque venerandum sacrificium,
Sap.16.	Agnus absque macula,
Chrysost.	Animarum potus & esca,
sup. psal.	Benedictio mystica,
95.	Benedictio viuificatiua,
Exod.12.	Beneficium Christi præstantissimum,
Conc.Trid.	Calix benedictionis,
sess.13.c.2.	Caro Christi viuificatrix & pro mundi vita,
Cyrill. in	
Ioan.l.4.	Cibus & conuiua,
cap.43.	Cibus in cuius fortitudine itur ad montem Dei,
1.Cor.10. cap.	Cœleste antidotũ quo à peccatis præseruamur,
Ioan.6.	
2.Reg.19.	Communicatio deifica, & mystica corporis & sanguinis Christi,
Conc. Tri-	Communis totius orbis victima,
dent.sess.	Consummatio sacramentorum,
13.cap.2.	Corporalis vnio ad Christum, & substantialis filij Dei participatio,
Dion.cap.	
2. Eccles.	Corpus Christi verum,
Hierar.	Corpus Domini deificatum, sanctum & sanctificans,
Theoph.in	
6.Ioan.	Corpus crucifixi viuificatiuum,
Damas.	Deus absconditus & saluator,
lib.4. Isid.	Diuinæ affluentia largitatis,
c.14. Isa.	Diuinum & augustissimum sacramentum,
Conc.Trid.	Diuinum & propitiatoriũ sacrificium,
Sess.22.	Diuinus carbo comburens peccata, & illuminans corda nostra,
cap.2.	

Miserere nobis.

Donum transcendens omnem plenitudinem,
Dulcissimum conuiuium, cui assistunt Angeli ministrantes, *Chrysost. de Sacerd. lib. 6.*
Esca timentibus Dominum, *Psal. 110.*
Eucharistia corporis & sanguinis Christi,
Frumenti adeps satians nos, *Psal. 80.*
Frumentum electorum, *Zach. 9.*
Gratia Christi salutaris,
Gratia viuificatiua, *Chrysost. ho. 17. ad Heb. Hieron. can. 1. ad Tit.*
Hostia pura & incruenta nos mundās,
Illibata victima, & incruenta sacrificij seruitus
Incruenta, rationalis & suauis victima,
Iuge sacrificium, *Conc. Eph. Dan. 12.*
Magnum salutis nostræ pretium,
Manna absconditum,
Maximum dilectionis signum, *Chrysost. ho. 24. in 1. Cor.*
Medicamentum & holocaustum ad sanandas infirmitates, & purgandas iniquitates,
Memoria passionis Christi, & mirabilium Domini, *Matt. 26. Psal. 110.*
Mensa Domini aduersus eos qui tribulant nos, *22.*
Mensa propositionis & dulcissimi conuiuij, *Num. 4.*
Memoriale præcipuum diuini amoris,
Mirabile sacramentum,
Mysterium Christianorum in saluatoris corpore & sanguine dedicatum. *Hier. epist. 17. ad Marcell.*
Mysterium fidei & pacis, maximè horrendum & verendum. *Can. Miss.*

Miserere nobis.

fæ.Chyfoft.	Myfterium pietatis terram nobis cœlum faciens,
hom. 83.	
in Matt.	Myfterium noftræ redemptionis & vnitatis quo Chrifto vnimur.
*& lib.*3.*de*	
Sacerdo.	Noui teftamenti noua oblatio,
Cyril.lib.	Oblationis Dominicæ facrificium, & oblatio incruenti facrificij,
II.*in* 26.	
Ioan.Conc.	Offerens & oblatio,
*Lat.c.*I.	Panis benedictionis, Deifer, fanctificatus & cor hominis confortans,
Iren.lib.	
4.*cap.*32.	Panis filiorum Dei, in cuius fractione Chriftus agnofcitur,
cũtr. hærefes,Na-	
zian.in	Panis vitæ vitam præftans homini, qui de cœlo defcendifti, & qui caro es pro mundi vita.
Iulianum,	
Bern.fer.	Panis egentium, & vita pauperum,
de cœna,	Panis fuauiffime omne delectamẽtum in fe habens,
I.*Cor.*10.	
*Pfal.*103.	Panis fubftantialis animæ fubftantiam fulciens,
*Matt.*7.	
*Ioan.*6.	Panis in Dei verbi corpus immutatus,
*Eccl.*34.	Panis omnipotentia verbi caro factus,
*Gen.*49.	Panis pinguis & delitiæ regum,
*Matt.*6.	Panis fuperfubftantialis,
Ign. epift.	Pharmacum immortalitatis,
ad Eph.	Pignus futuræ gloriæ & perpetuæ fœlicitatis,
Conc.Trid.	
vt fuprà.	Pingue holocauftum, præcelfum & venerabile facramentum,
*Pfal.*19.	
*Cyril.c.*5.	Propitiationis hoftia ac purum ac immaculatum corpus Chrifti.
in miffa.	
Emiff.ho.	Rationabile facrificiũ, ac victima perennis,
5.*in Pafca.*	
Hilar.	Refectio animarum fanctarum,

Miferere nobis.

Sacramentum panis, & communicatio carnis & sanguinis Christi,
Sacra oblatio & sacrificium omnium sanctissimum,
Salutiferum & omni suauitate repletum conuiuium,
Stupendum supra omnia miraculum,
Sacratissima Dominicæ passionis commemoratio,& Eucharistia,
Sacrosanctum & augustissimum mysterium,
Sanctus cibus & incorruptum epulum,
Signum vnitatis, & spiritalis animarũ cibus,
Spiritus dulcedo in proprio fonte degustata,
Symbolum gratiarum actionis,diuinorum mysteriorum corporis & sanguinis Christi,
Transelementatio panis & vini in corpus & sanguinem Christi,
Transsubstantiatus panis,
Tremendum, impollutum, vitaleque sacramentum,
Verbum caro factum habitans in nobis,
Verum Ecclesiæ sacrificium,
Ve[illegible] propitiatorium pro viuis & defunctis,
Viaticum animarũ, & in Domino morientium,
Vinculum charitatis,
Vitale sacramentum & impollutum,
Viuifica sanctificatio,

Miserere nobis.

lib.8.Tri. Aug.26. in Ioan.
Dio.Hier. eccl.cap.3. & cap.2. Aug. 26. in Ioan. Conc.Trid. Cle.libr.6. const.c.23.
Theph. in 14. Matt. Concil.Lateran.c.1. Io.1.ca. August.lib. 10.Ciuit. cap.20. Pauli.in vitas, Ambros. Aug.26. in Ioan. Cyril.lib. 4. in Io. cap.17. Zach.9.

Vinum

Vinum germinans virgines, Miser.
Propitius esto, Parce nobis Domine.
Propitius esto, Exaudi nos Domine.

Ab indigna corporis & sanguinis tui sumptione,
A concupiscentia carnis,
A concupiscentia oculorum,
A superbia vitæ,
Ab omni peccandi occasione,
Per desideriũ illud, quo hoc pascha cũ Discipulis manducare desiderasti,
Per summam humilitatem qua discipulorum pedes lauasti,
Per ardentissimam charitatem qua hoc diuinum Sacramentum instituisti,
Per Sanguinem tuum pretiosum quem nobis in altari reliquisti,
Per quinque vulnera huius tui corporis sacratissimi, quæ pro nobis suscepisti,

Libera nos Domine.

Peccatores, Te rogamus audi nos.

Vt nobis fidem, reuerentiam, deuotionem huius admirabilis Sacramenti augere, & conseruare digneris, Te rog.
Vt ad frequentem vsum Eucharistiæ per veram peccatorum confessionem nos perducere digneris, Te rogam.
Vt nos ab omni hæresi, perfidia, ac cordis cæcitate liberare digneris, Te rogamus audi nos.
Vt sanctissimi huius Sacramenti pretiosos

& cœleſtes fructus nobis impertiri di-
gneris, Te rog.
Vt in hora mortis noſtræ hoc cœleſti viati-
co nos confortare, & munire digneris,
Te rogamus audi nos.
Fili Dei, Te rog.
Agnus Dei qui tollis pecc.&c.

PSALMVS 22.

DOminus regit me, & nihil mihi deerit,
in loco paſcuæ ibi me collocauit.
Super aquam refectionis educauit me: ani-
mam meam conuertit.
Deduxit me ſuper ſemitas iuſtitiæ, propter
nomen ſuum.
Nam & ſi ambulauero in medio vmbrę mor-
tis non timebo mala, quoniam tu mecum
es.
Virga tua, & baculus tuus: ipſa me conſolata
ſunt.
Paraſti in conſpectu meo menſam: aduerſus
eos qui tribulant me.
Impinguaſti in oleo caput meum, & calix
meus inebrians quàm præclarus eſt?
Et miſericordia tua ſubſequetur me: omni-
bus diebus vitæ meæ.
Et vt inhabitem in domo Domini, in longi-
tudinem dierum.
Gloria Patri, &c.
Verſ. Panem cœli dedit eis.
Reſp. Panem Angelorum manducauit ho-
mo.

ORATIO.

DEus qui nobis ſub ſacramento mirabili paſſionis tuæ memoriam reliquiſti, tribue quæſumus, ita nos corporis & ſanguinis tui ſacra myſteria venerari, vt redemptionis tuæ fructũ in nobis iugiter ſentiamus. Qui viuis, &c.

LITANIAE DE SANGVINE D. N. IESV Chriſti.

† In nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti, Amen.

Antiph. *Nolite flere ſuper me, ſed ſuper voſipſas flete, & ſuper filios veſtros, &c. ſi in viridi ligno hæc faciũt, in arido quid fiet? Luc.c.23.*

KYrie eleiſon, &c.
Ieſu ſaluator mundi, Miſerere nobis.
Ieſu crucifixe, Miſerere nobis.
Ieſu ſponſe ſanguinum, Miſerere nobis.
Sanguis Chriſti dulciſſime,
Lætifica nos.
Sanguis noui & æterni teſtamenti ſalua nos.
Sanguis ſpes noſtra, confirma nos.
Sanguis æternæ vitæ pignus, corrobora nos.
Sanguis animarum lauacrum, laua nos.
Sanguis piſcina languentium, ſana nos.

Sanguis dura corda mollificans, Conuerte nos.
Sanguis fons puritatis, Irriga nos.
Sanguis fons charitatis, Inebria nos.
Sanguis misericordię pelagus, Ablue nos.
Sanguis super niuem dealbans, Dealba nos.
Sanguis sine quo non fit remissio, Redime nos.
Sanguis ablutio scelerum, Purifica nos.
Sanguis cæcos illuminans, Illumina nos.
Sanguis elisos erigens, Erige nos.
Sanguis mortuos viuificans, Viuifica nos.
Sanguis mundi medicina, Sana nos.
Sanguis iustorum consolatio, Consolare nos.
Sanguis peccatorum refugium, Foue nos.
Sanguis pretium redemptionis nostræ, Redime nos.
Sanguis holocaustorum consummatio, Suscipe nos.
Sanguis Angelorum admiratio, Exhilara nos.
Sanguis sanctorum glorificatio, Glorifica nos.
Sanguis Seraphin iubilatio, Accende nos.
Sanguis Martyrum fortitudo, Conforta no
Sanguis Confessorum portus, Recipe nos.
Sanguis virginum dulcedo, Consolare nos.
Sanguis victoria nostra, Corona nos.
Propitius esto, Parce nobis Domine.
A viro sanguinũ & doloso, Libera nos Dñe.

A cõmunicatione carnis & ſanguinis,
A colluctátione aduerſus carnẽ & ſanguinem,
Per ſanguinem tuum pretioſum in circumciſione effuſum,
Per ſanguineum ſudorem tuum,
Per ſanguinem quem flagellatus effudiſti,
Per ſanguinem ſpinarum violentia expreſſum,
Per ſanguinem à clauis & lancea effuſum. — Libera nos Domine.

Peccatores, Te rogamus audi nos.
Vt propè fiant in ſanguine tuo, qui longè ſunt, Te roga.
Vt ſanguis tuus viſceribus noſtris ſemper adhæreat, Te rog.
Vt lauentur ſtolæ noſtræ in ſanguine tuo, Te rogam.
Vt per te regatur Eccleſia ſanguine tuo acquiſita, Te rog.
Vt per ſanguinem tuum mereamur reſiſtere vſque ad ſanguinem, Te rog.
Vt ſanguis tuus nos inebriet, Te rogamus audi nos.
Vt ſanguis tuus conſcientias noſtras emundet, Te rog.
Vt per ſanguinem tuum de ſanguinibus liberemur, Te rog.
Vt ſanguis tuus corda noſtra viuificet, Te rogamus audi nos.
Chriſte audi nos, &c.

VIRGO Maria meruit exaltari super choros Angelorum, quoniam, vt credimus, in dextera patris subleuata in cœlis, regni solio post Christum gloriosa resedit. Hæc virgo significata fuit per virgam Aaron, quæ post triduum edidit amigdala. Nam beata Virgo tertio sæculo edidit Christum in vna persona Deum & hominem. O fœlix Maria, ô lux gentium, spes fidelium, cui Apostoli reddunt obsequium, ad cuius Angeli canunt triumphum. Quam Christus amplexatur, quæ de terris ad cœlestem vitam lata est ab Angelis. S. Hildefonsus Archiepis. Tolet. serm. de B. Virg. 8. & 11.

OPVS EST MEDIATRICE AD Mediatorem istú, nec alia vtilior quã Maria. Quidquid ergo illud est quod offerre paras, Mariæ commendare memento, vt ab eodem alueo ad largitorem gratiæ, gratia redeat quo influxit. *Bern. serm. de B. Maria. Idem alio serm. de aquæductu.*

MODVS PIE RECITANDI Rosarium Beatissimæ Virginis Mariæ, aut coronam eiusdem.

ROSARIVM Deiparæ virginis recitaturus (quod quinquies orationem Dominicam, & quinquagies salutationẽ Angelicam complectitur) dicto Pater noster, subiungat decem Aue Maria, & vbi in singulis deuenerit ad illud Iesus, vnum ex infrà

ſcriptis myſterijs quæ in cuiuſque Roſarij decade proponuntur, addat, & pia cogitatione reuoluat: ſi quis verò coronam Diuæ Virginis (quæ 63. Aue Maria & 7. Pater noſter continet) recitare voluerit, ad ſextam decadem eadem myſteria repetere, & ad tria vltima Aue Maria virtutes ſubiectas, vel alias pro cuiuſque deuotione, per interceſſionem glorioſiſsimæ Virginis à Deo poterit depoſcere. In fine autem, vel in principio addatur Symbolum.

PRIMVM ROSARIVM Gaudioſum.

Ad decadē.	1.	*quæ*	*Virgo concepiſti Ieſum,*	*S. Maria mater Dei ora pro nobis peccatoribus nunc & in hora mortis noſtræ. Amen.*
	2.		*Viſitando Elizabeth portaſti.*	
	3.		*Virgo genuiſti,*	
	4.		*In Templo præſentaſti,*	
	5.		*In Templo inueniſti.*	

Repete prædicta quinque myſteria.

Tria aue	*qui nobis augeat*	*Fidem rectam.* *Spem firmam.* *Charitatem perpetuam.*

2. ROSA-

2. ROSARIVM DOLOROSVM.

Ad decadē.

1. 2. 3. 4. 5. *qui pro nobis*

- *Sanguinem sudauit,*
- *Flagellatus est,*
- *Spinis coronatus est,*
- *Crucem baiulauit,*
- *Crucifixus est.*

S. Maria mater Dei ora pro nobis peccatoribus nunc & in hora mortis nostræ. Amen.

Sextam. Repete quinque prædicta mysteria.

Tria Aue qui nobis

- *Intellectum illuminet,*
- *Voluntatem perficiat,*
- *Memoriam roboret.*

3. ROSARIVM GLORIOSVM.

Ad decadē.

1. 2. 3. 4. 5. *qui*

- *Resurrexit à mortuis,*
- *Cælos ascendit,*
- *Spiritum sanctum misit,*
- *Te assumpsit,*
- *Te in cælis coronauit.*

S. Maria mater Dei ora pro nobis peccatoribus nunc & in hora mortis nostræ. Amen.

Sextam. Repete prædicta quinque mysteria.

Tria Aue qui

- *Dirigat cogitationes,*
- *Regat verba,*
- *Gubernet opera.*

P. Aedm. Campianus S.I.

Litan. B.V. Mariæ.

Sancta Dei genitrix Virgo Maria sacra,
O Rube, qui medio sospes in igne fuit,
Turris Dauidicæ gloria, mentis apex,
Vellera Gedeonis, flumina dulcis aquæ,
Fons occluse, Domus aurea, porta Sion,
Lectule pro thalamis, & Salomonis ebur,
Hortule, flos campi, lilia, stella maris,
Pulchra carens næuo, sponsa, columba Dei,
Sol electe, nitens luna, ruina stygis,
Palma triumphalis, pacis oliua, scala,
Fusa procul platanus, deliciumque rosæ,
Virtutis speculum, perpetuaque Cedre.

LITANIAE BEATISSIMAE DEI genitricis Mariæ, in sacra æde Loretana per dies Hebdomadæ dici & cantari solitæ.

Litaniæ primæ pro die Dominica.

† In nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Amen.

Ant. Beatam me dicent omnes generationes. Quia fecit mihi magna qui potens est, & sanctum nomen eius.
Kyrie eleison.
Christe eleison,
Kyrie, &c.
Christe audi nos.
Christe exaudi nos.
Pater de cœlis Deus.
Fili redemptor mundi Deus.

Spiritus sancte Deus.
S. Trinitas vnus Deus.
Sancta Maria.
S. Dei genitrix.
S. virgo virginum.
Mater Christi.
Mater diuinæ gratiæ.
Mater purissima.
Mater castissima.
Mater inuiolata.
Mater intemerata.
Mater amabilis.
Mater admirabilis.
Mater creatoris.
Mater saluatoris.
Virgo prudentissima.
Virgo veneranda,
Virgo prædicanda,
Virgo potens,
Virgo clemens,
Virgo fidelis.
Speculum iustitiæ,
Sedes sapientiæ.
Causa nostræ lætitiæ.
Vas spirituale.
Vas honorabile.
Vas insigne deuotionis,
Rosa mystica,
Turris Dauidica,
Turris eburnea,
Domus aurea,
Fœderis arca,
Ianua cœli,
Stella matutina,

Miserere nobis. (Spiritus sancte Deus … Mater diuinæ gratiæ)

Ora pro nobis. (Mater purissima … Stella matutina)

Salus infirmorum,
Refugium peccatorum,
Consolatrix afflictorum,
Auxilium Christianorum,
Regina Angelorum,
Regina Patriarcharum,
Regina Prophetarum,
Regina Apostolorum,
Regina Martyrum,
Regina Confessorum,
Regina Virginum,
Regina Sanctorum omnium.

Ora pro nobis.

Agnus Dei qui tollis peccata mundi, &c.
Christe audi nos.
Christe exaudi nos.
Kyrie eleison.
Christe eleison.
Kyrie eleison, Pater noster, &c.
Vers. Et ne nos inducas in tentationem.
Resp. Sed libera nos à malo. Amen.
Vers. Ora pro nobis Sancta Dei genitrix.
Resp. Vt digni efficiamur promissionibus Christi.

ORATIO.

GRATIAM tuam quæsumus Domine, mentibus nostris infunde: vt qu[illegible] [illegible]gelo nunciante CHRISTI Filij tui incarnationem cognouimus, per passionem eius, & crucem ad resurrectionis gloriam perducamur. Per eundem Christum Dominum nostrum. Amen.

ANTIPHONA.

A prima Dominica Aduentus vſque ad Purificationem incluſiuè.

ALma Redemptoris mater, quæ peruia cœli
Porta manes, & ſtella maris, ſuccurre cadenti,
Surgere qui curas populo: tu quæ genuiſti
Natura mirante, tuum ſanctum genitorem.
Virgo prius ac poſterius, Gabrielis ab ore
Sumens illud Aue, peccatorum miſerere.

In Aduentu Verſ. *Angelus Domini nunciauit Mariæ.*

Reſp. *Et concepit de ſpiritu ſancto.*

ORATIO.

Gratiam tuam, &c. vt ſuprà 248.

Poſt Natiuitatem. Verſ. *Poſt partum virgo inuiolata permanſiſti.*

Reſp. *Dei genitrix intercede pro nobis.*

ORATIO.

DEVS, qui ſalutis æternæ Beatæ Mariæ Virginitate fœcunda, humano generi præmia præſtitiſti, tribue quæſumus, vt ipſam pro nobis intercedere ſentiamus, per quam meruimus authorem vitæ ſuſcipere Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum Filium tuum, Amen.

LITANIAE SECVNDAE, EX SAcra ſcriptura ſumptæ, Pro feria ſecunda.

In † nomine Patris, & Filij: & Spiritus ſancti, Amen.

Antiphona.

Beata Dei genitrix Maria, virgo perpetua, templum Domini, ſacrarium Spiritus ſancti, ſola ſine exemplo placuiſti Domino noſtro Ieſu Chriſto: ora pro populo, interueni pro clero, intercede pro deuoto fœmineo ſexu, Auguſt. ſerm. 18. de ſanctis.

KYrie eleyſon.
Chriſte eleyſon, &c.

Geneſ.3.	Sancta Maria,	ora pro nobis.
Eccl.24.	Sancta virgo virginum,	ora.
ibid.	Mater viuentium,	ora.
	Mater pulchræ dilectionis,	ora.
Geneſ.2.	Mater ſanctæ ſpei,	ora.
Prouer.9.	Paradyſus voluptatis,	ora.
	Lignum vitæ,	ora.
Geneſ.28.	Domus ſapientiæ,	ora.
& 49.	Porta cœli,	ora.
Num.35.	Deſiderium collium æternorum,	ora.
Exod.25.	Ciuitas refugij,	ora.
ibid. &	Gloria Hieruſalem,	ora.
c.30.	Sanctuarium Dei,	ora.
Geneſ.27.	Tabernaculum fœderis,	ora.
Sap.7.	Altare thymiamatis,	ora.
Cant. 2.	Scala Iacob,	ora.

Speculum sine macula, ora pro nobis. *Exod.3.*
Lilium inter spinas, ora. *Iud.6.*
Rubus ardens incombustus, ora. *3.Reg.10.*
Vellus Gedeonis, ora. *Cant.4.*
Thronus Salomonis, ora.
Fauus distillans, ora.
Hortus conclusus, ora.
Fons signatus, ora.
Puteus aquarum viuentium, ora.
Nauis institoris de longè portans panem, ora pro nobis. *Prouer.3.*
Aurora consurgens, ora. *Cant.6.*
Pulchra vt Luna, ora.
Electa vt Sol, ora.
Castrorum acies ordinata, ora.
Solium gloriæ Dei, ora. *Ierem.14.*
Regina Angelorum, ora.
Ora, &c. vt suprà, fol. 248.
A cunctis periculis, Libera nos mediatrix nostra.
Per immaculatam conceptionem tuam, Libera nos mediatrix nostra.
Per sanctam natiuitatem tuam, lib.
Per admirabilem annunciationem tuam, lib.
Per mundissimam purificationem tuam, lib.
Per gloriosam assumptionem tuam, lib.
Peccatores, Te rogamus audi nos.
Vt E[illegible]ia per te gratiisq; cœlestibus abundet, te rog.
Vt veram pœnitentiam nobis impetrare digneris, te rog.
Vt Imperatori N. Regiq; nostro N. ac Gubernatori nostro de hostibus Ecclesiæ sanctè victoriam impetrare digneris, te rog.

Vt exercitum Catholicum hic & vbique conseruare digneris, te rogamus.

Vt Societates tibi peculiari obsequio deuotas conseruare & augere digneris, te rog.

Vt Ecclesiæ sanctæ, cunctoque populo Christiano pacem ac vnitatem impetrare digneris. te rogamus.

Vt tuos misericordes oculos ad omnes infirmos afflictosq; conuertas. te rogamus.

Vt ad laudes tibi cantandas nos animes, te rogamus.

Vt tibi filioq; tuo nos cum lilio castitatis seruire facias, te rogamus.

Vt benedicto fructu ventris tui nos frui facias, te rogamus.

Vt omnibus fidelibus defunctis requiem æternam impetres. te rogamus.

Agnus Dei qui tollis peccata mundi,&c.

Pater noster,&c.

Vers. *Sub tuum præsidium confugimus, sancta Dei genitrix Virgo Maria.*

Resp. *Nostras deprecationes ne despicias in necessitatibus nostris: sed à cunctis periculis libera nos semper virgo gloriosa.*

Vers. *Domine exaudi orationem meam.*

Resp. *Et clamor meus ad te veniat.*

ORATIO.

Pietate tua, quæsumus Domine, nostrorum solue vincula peccatorum, & intercedente B. Maria cum omnibus sanctis tuis, nos famulos tuos, benefactores, atque loca nostra, in omni sanctitate custodi, omnesq; consanguinitate, affinitate, atque familiari-

tate nobis coniunctos à vitiis purga, virtutibus illustra: pacem & salutem nobis tribue: hostes visibiles & inuisibiles remoue: carnalia desideria repelle: aërem salubrem, & fertilitatem indulge: amicis & inimicis nostris charitatem largire, atque oppidum N. cum omnibus in eo habitantibus ab omni peste, infideliumque feritate, & potentia illæsum conserua, & omnibus fidelibus viuis & defunctis, in terra viuentium, vitam & requiē æternam concede: & Pontificem N. omnes prælatos, & cunctum populum Christianū ab omni aduersitate custodi, & benedictio tua sit super nos semper. Per Christum Dominum nostrum, Amen.

ANTIPHONA.

A Purificatione vsque ad Feriam v. in cœna Domini exclusiuè.

Ave Regina cœlorum,
Aue Domina Angelorum,
Salue radix sancta,
Ex qua mundo lux est orta.
Gaude gloriosa
Super omnes speciosa,
Vale valde decora,
Et pro nobis semper Christum exora.

Vers. *Dignare me laudare te virgo sacrata.*
Resp. *Da mihi virtutem contra hostes tuos.*

ORATIO.

CONCEDE misericors Deus, fragilitati nostræ præsidium, vt qui sanctæ Dei ge-

nitricis

tricis memoriam agimus: intercessionis eius auxilio, à nostris iniquitatibus resurgamus. Per eundem Christum Dominum nostrum, Amen.

LITANIAE TERTIAE PRO feria Tertia, ex SS. Patribus desumptæ.

In † nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, Amen.

Antiphona.

Missus. & serm. 12. in 1. c. Apocal. *In periculis, in angustijs, in rebus dubijs, Mariam cogita, Mariam inuoca. Non recedat ab ore, non recedat à corde: & vt impetres eius orationis suffragium, non desideres conuersationis exemplum. Amplectamur Mariæ vestigia, & deuotissima supplicatione beatis illius pedibus prouoluamur. Teneamus eam, nec dimittamus, donec benedixerit nobis, potens est enim: nempè vellus medium inter rorem & aream, mulier inter Solem & Lunam, Maria inter Christum & Ecclesiam constituta.*

LITANIA.

Bona. ca.3. spec.

S.Method. cant.c.1. Kyrie eleyson.
Christe eleyson, &c.

Bona.c.5. spec.Iust.c. de connub. S. Maria abyssus misericordiæ profundissima, ora pro nobis.
Amica Dei Patris, ora.
Ephrem. Balsamum non mixtum, ora.
Ire.lib.3.c. 33. Ber. ser. Balsamo suauior, ora.
Canticum Cherubin. ora.

Causa

Causa salutis generis humani,
Castellum Iesu,
Cisterna Bethleemitica,
Columba formosa,
Dapifera deliciarum,
Decora sicut Ierusalem,
Decus & ornamentum,
Dulcedo cordis iustorum,
AEgrotantium exultatio,
Electa ex millibus,
Fax fidelium,
Filia Dei patris,
Fons humanitatis filij Dei,
Fons perennis curationum,
Fons gratiæ & consolationis,
Forma disciplinæ Christianæ,
Fructus honoris & honestatis,
Gaudium totius Trinitatis,
Gaudium mortalium,
Genitrix tui creatoris,
Habitaculum verbo Dei dignum,
Hæreseon cunctarum interemptrix,
Ianua Regis alti clausa,
Ianua salutis,
Lactatrix saluatoris,
Lampas lucidissima orbis,
Lapis abscissus sine manibus,
Lectulus Dei floridus,
Lectulus Salomonis,
Mater filij Dei, Mater tui patris,
Magistra gentium, Magistra virtutum,
Nauis mercibus referta,
Nectare dulcior,
Nubes diei splendidissima,

Ora pro nobis.

4. sup. psal. Meth. Ber. ser. 2. de assump. B. ep. 144. Brun. ser. de lau. Mar. Cyril. hom. 6. Io. Nu. Be. de verb. Apos. Ephe. Bernard. Method. Atha. serm. de Deip. Method. Damas. de Assumpt. Ephr. Hie. ser. 1. de assumpt. Bon. in ca. Brig. serm. Aug. Nazi. in tract. Chrys. hom. de annunc. Ber. de Na. Hildep. 5. Anselm. Iren. lib. 2. contra hær. In spec. cap. 10. Cant.

3.Meth.	Nubes cœleſtis clariſſima,	Ora pro nobis.
Dam. li.4.	Obſes fidei noſtræ apud Deum.	
de incar. S.	Odor agri pleni,	
Br.or.Lau.	Officina medicinæ,	
iuſ.de Nat.	Oliua in domo Dei fructifera,	
Heſ.Ser.de	Oliua ſpecioſa in campis,	
B. Mar.	Palatium Regis Angelorum animatum	
Laur.de	& conſecratum,	
connu. ca.9	Palma florens,	
Hieron. in	Palma in Cades,	
Pſalm. 77.	Palmes vitis veræ,	
Epiph.lib.	Paradyſus ſpiritualis,	
Aug.ſerm.	Peccatorum & miſerorum ſpes,	
6. de Nati.	Radix bonorum omnium,	
Hilar. in	Radix ſancta ex qua mũdo lux eſt orta,	
Pſalm. 118.	Raptrix cordium,	
Dam.Hild.	Regina creaturarum omnium,	
ſerm.4. de	Sacrarium ſpiritus ſancti,	
aſſ.Eccl.24	Sacra & animata arca Dei,	
Andr. Hie.	Sancta Sanctorum,	
Pſalm. 91.	Salus deſperantium,	
Eccl.24. et	Salix virens,	
Hild. Bo-	Scala peccatorum, & ſanctorum om-	
nau. Iac. in	nium,	
lib. Bona.	Scabellum Dei, ſpeculum Angelorum,	
Bern.c.174	Super omnes Angelos glorificata,	
& Fulg. de	Supra omnes creaturas prope tuum Fi-	
lau.Mariæ.	lium in cœleſtibus exaltata,	
Idẽ ſerm.4	Trinitatis habitatio conſecrata,	
de aſſumpt.	Virgo fœcunda,	
Greg. Naz.	Virgo virginum,	
Chry. hom.	A cunctis periculis, vt ſuprà 250.	
in hipop.	Agnus Dei, &c.	
Chryſoſt. in	*lib. Bernard. de Aſſumpt.*	

ORATIO. 250.

DOmine IESV Christe verbum patris, splendor gloriæ, & figura substantiæ eius, qui ad reparandam abiectionis nostræ ruinam, in purissimis beatæ Virginis visceribus frater & caro nostra fieri dignatus es, te supplices exoramus, vt eiusdem Virginis precibus & meritis inueniamur apud te semper, & castitate nitidi, & charitate feruentes. Qui viuis & regnas Deus in secula seculorum, Amen.

ANTIPHONA.

A tempore Paschali vsque ad octauam Pentecostes exclusiuè.

Regina cœli lætare, Alleluia.
Quia quem meruisti portare, Alleluia.
Resurrexit sicut dixit, Alleluia.
Ora pro nobis Deum, Alleluia.
Vers. *Gaude & lætare virgo Maria, Alleluia.*
Resp. *Quia surrexit Dominus verè, Alleluia.*

ORATIO.

DEVS qui per resurrectionem filij tui Domini nostri Iesu Christi familiam tuam lætificare dignatus es: præsta quæsumus, vt per eius genitricem virginem Mariam, perpetuæ capiamus gaudia vitæ. Per eundem Christum Dominum nostrum.

LITANIAE QVARTAE PRO FEria Quarta, ex scripturis sacris, & SS. Patribus sumptæ, de eius Præelectione, Concept. & Natiuit.

In † nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, Amen.

Antiphona.

Sub tuum præsidium confugimus S. Dei genitrix, nostras deprecationes ne despicias in necessitatibus, sed à periculis cunctis libera nos semper virgo gloriosa & benedicta.

1. Præelectio.

Prouer. 3. Kyrie eleyson, &c.
Cant. 6. S. Maria ab æterno ordinata,
Genes. 3. & 8. Inter omnes præelecta,
Patribus cœlitus promissa,
Cant. 4. Mysticis præfigurata miraculis,
Genes. 3. Oraculis prænunciata Propheticis.
Prouer. 13.
Genes. 47. 2. Conceptio.
Cyril. hom. 6. in Nesto. S. Maria sine peccato concepta,
Serpentis caput conterens,
Lucerna inextincta,
Terra sacerdotalis & immunis,
Mater Dei sancta,
Hildep. 10. Vas Sanctificationis,
de virgin. Vas electionis,
Cypr. serm. de Natiui. Vas solidum auri ornatum lapide pretioso.

Ora pro nobis.

Mater Dei penitus incontaminata.

3. Natiuitas.

Sancta Maria Regali ex progenie exorta,
Virgo de radice Iesse,
Stella Iacob.

4. Præsentatio in templo.

S. Maria in templo præsentata,
Vniuersas filias superegressa,
Singulare virginitatis exemplar,
Candelabrum aureum, & facula super ipsum,
Altare thymiamatis, & Nardus odorifera,
Balzamum aromatizans,
Virgula fumi ex vniuersis aromatibus,

5. Virtutes.

Sancta Maria fide conspicua,
Filia Hierusalem pulchra & decora,
Flos cœlestis,
Flos Campi,
Flos flo[illegible]m, & gemma mulierum,
Virtutum omnium abyssus,
A cunctis periculis, vt suprà fol. 250.
Kyrie eleyson, &c. Pater noster, &c.

Ora pro nobis.

Chr. Eph[illegible]
Chrys. in liturg.
Matth. 1.
Isa. 11.
Num. 24.
Nyssen.
Prouer. 2[illegible]
Hildeph.
Exod. 25[illegible]
& Epiph[illegible] de lau. M[illegible]
Exod. 21.
&
Cant. 1.
Eccles. 24[illegible]
Cant. 3.
Luc. 1.
Method.
Bon. in ca[illegible]
Augustin. serm. 8. de[illegible]
SS. Bon. & supr.

ORATIO.

PReces nostras quæsumus Domine apud Clementiam tuam DEI genitricis com-

mendet oratio: quam idcircò de præsenti seculo trāstulisti, vt pro peccatis nostris apud te fiducialiter intercedat, per eundem Dominum nostrum Iesum Christum, &c.

Antiphona.

Ab octaua Pentecostes vsque ad Aduentum exclusiuè.

Salue Regina, Mater misericordiæ, vita, dulcedo, & spes nostra salue. Ad te clamamus exules filij Euæ. Ad te suspiramus gementes & flentes in hac lachrymarum valle. Eia ergo Aduocata nostra, illos tuos misericordes oculos, ad nos conuerte. Et Iesum benedictum fructum ventris tui nobis post hoc exilium ostende. O clemens, ô pia, ô dulcis virgo Maria.

V. *Ora pro nobis sancta Dei genitrix.*

R. *Vt digni efficiamur promißionibus Christi.*

ORATIO.

OMnipotens sempiterne Deus, qui gloriosæ virginis matris Mariæ corpus & animam, vt dignum filij tui habitaculum effici mereretur, spiritu sancto cooperāte præparasti: da, vt cuius commemoratione lætamur, eius pia intercessione, ab instantibus malis, & à morte perpetua liberemur. Per eundem Christum Dominum nostrum, Amen.

LITANIAE QVINTAE PRO FEria v. ex sacra scriptura, & SS. Patribus sumptæ, de eius Desponsatione, Annunciat. Visitatione, Partu & Virginitate.

In † nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, Amen.

Antiph. *Recordare virgo mater, dum steteris in conspectu Dei, vt loquaris pro nobis bona.*

Desponsatio, Annunciatio, Visitat.

Kyrie eleyson,
Christe eleyson, &c.

Sancta Maria iusto Ioseph desponsata, ora pro nobis. *Matt.1.c.* *Isai.2.*
Mons Domino in vertice montium præparatus, ora. *Luc.1.*
Ab Angelo humiliter salutata, ora.
Gratia plena, ora.
Inter mulieres benedicta, ora. *Cant.4.*
Sponsa Dei, ora. *Luc.1.*
Sancto Spiritu adumbrata, ora. *Ierem.3.*
Ancilla Trinitatis humillima, ora. *Psalm.4.*
Mulier circundans virum, ora. *3.Reg.8.*
Ciuit[illegible] Dei, ora. *Exod.15.*
Templum Domini, ora.
Sacrarium Spiritus sancti, ora.
Tabernaculum Dei cum hominibus, ora.
Tabernaculum tui creatoris, ora. *Eccl.24.*
Arca testimonij, ora. *Exod.25.*
Vas aureum cœleste manna continens, ora. *& 16.*
Quæ Elizabeth cognatam visitasti. *Luc.2.*

PARTVS.

Isa. 45. S.Maria terra germinãs saluatorem, ora pro
Num. 17. nobis.
Exod. 25. Virga florens Aaron, ora.
Cant. 1. Mensa panis propositionis, ora.
Ester. 10. et Botrus Cypri, ora.
Aug. ser. 18. Fons lucis omnem hominem illuminans,
de sanctis. ora pro nobis.
Aug. ser. 2.
de assumpt.

VIRGINITAS ANTE PARTVM, in partu & post partum.

Hila. ser. 6
de assumpt.
Dan. 2. S. Maria Virgo perpetua, Deiq; genitrix glo-
Ezech. 44. riosa, ora pro nobis.
Isio. c. 17. Candidata virtutibus, ora.
de offic. di. Mons de quo sine manibus scissus est lapis,
Hildep. c. 1. ora.
& 10. de Porta orientalis clausa, ora.
virg. Virginum caput, gloria & magistra, ora.
Ambr. li. 2. Virgo augustissima, ora.
de virg. ca. Virginitatis æternitas, ora.
6. Bern. in Virginitatis imago, ac corona, ora.
12. Apocal. Virginitatis primiceria, ora.
Cyr. hom. 6 Virginum regina, ac mater, ora.
Hie. lib. 1. Virgo sancta corpore & spiritu, ora.
contr. Ioui. Virgo perpetua & mater, ora.
Ier. 1. de as- Virgo ineffabilis, ora.
sump. & in A cunctis periculis, &c. vt suprà fol. 250.
apol. pro li.
Dam. ser. 2.
de Nat.

ORATIO.

Famulorum tuorum quęsumus, Domine, delictis ignosce, vt qui tibi placere de a-

ctibus

ctibus nostris non valemus, genitricis filij tui Domini nostri intercessione saluemur. Per eundem Christum Dominum nostrum.

ANTIPHONA.

AVe candidum lilium fulgidæ, semperq; tranquillæ Trinitatis. Aue rosa fulgida cœlicæ amœnitatis, de qua nasci, & cuius lacte pasci Rex cœlorum voluit, Diuinis influxibus animas nostras pasce.

Vers. *Positus est hic in ruinam, & resurrectionem multorum.*

Resp. *Et tuam ipsius animam pertransibit gladius.*

ORATIO.

OMnipotens sempiterne Deus, maiestatẽ tuam supplices exoramus, vt sicut vnigenitus filius tuus, cum nostræ carnis substantia in templo est præsentatus, ita nos facias purificatis tibi mentibus presentari. Per eundem Christum Dominum nostrum.

LITANIAE VI. PRO FERIA VI. ex sacra script. & SS. Patribus desumptæ de eius conuersatione, &c.

In ✝ nomine Patris, & Filij: & Spiritus sancti. Amen.

Antiphona.

Ad sanctissimam virginem & Dei matrem accurrentes, eius patrocinijs vtilitatem assequamur. Itaque quotquot estis virgines ad matrem Domini confugite. Illa enim pulcherrimam, pretiosissimam, & incorruptibilem possessionem patrocinio suo vobis conseruabit. Chrysost.

CONVERSATIO CVM FILIO.

Kyrie eleyson, &c.

Luc. c.2. Sancta Maria à pastoribus & Magis cum filio inuenta.

S. Maria legi Purificationis sponte subiecta,

Matth.2. Nubes Domini leuis,

Isa.19. Aegyptum cum filio ingressa,

Matth.2. Ex Aegypto in Nazareth reuersa, & cũ

Luc.2. filio dulciter conuersata,

Quæ filium triduũ quæsiuisti, & in templo inuenisti,

Ioan. 2, & 9. Deficiẽte in nuptiis vino filium deprecata,

Quæ stabas iuxta crucem filij, & Ioanni virgini fuisti commendata,

Luc. 2. Doloris gladio transfixa,

Nyssen. Filij resurrectione exhilarata,

Actor. 2. In die Pentecostes sancto Spiritu repleta,

Ora pro nobis.

ASSVMPTIO ET CORONATIO.

Cant. 8. Sancta Maria deliciis spiritualibus affluens, ora pro nobis,

Offic. eccle. Super dilectum tuum innixa, ora.

Iacob. & Super choros Angelorum exaltata, ora.

Chrysost. in Mater honoratior quàm Cherubin, ora.

Liturg. Mater gloriosior quàm Seraphin, ora.

Apoc.12. Mater honorificata, ora.

Mulier

Mulier amicta sole, ac omnium mulierum decus, ora. — *& Hildep.*
Duodecim stellis coronata, ora.
Regina cœlorum, Regina à dextris filij adstans, ora. — *August. ser. de Assump.*
In vestitu deaurato varietate circumdata, ora. — *Psal. 44. Off. Eccl.*
Quam laudant astra matutina, ora. — *Psal. 44.*
Cuius pulchritudinem sol & luna mirantur, ora. — *Ber. Epist. 74.*
Cuius vultum deprecantur omnes diuites plebis, ora. — *2. Cor. 11. Ber. ser. 1. de circun.*
Virgo & mater veris cumulata honorum titulis, ora.
Virgo castissima, electa, admiranda, deuota, ora. — *Cant. 6. & Homil. 1. & 2.*
Regia, ac vni Christo desponsata, ora.
Via regia saluatoris, ora.
Via errantibus, ora. — *Su. miss.*
Via reconciliationis, ora. — *Ber. ser. 2. de adu.*
Vexillum fidei, & vexatorum portus, ora.
Vrbs fortitudinis, & vnicum molestiarum omnium leuamen, ora. — *Am. lib. 2. virg.*
Vigilantissima custos omnium te diligentiũ, & pio affectu colentium, ora. — *Apon. lib. 4. in cant.*
Regina Angelorum, &c. ora. — *Num. 25.*
A cunctis periculis, libera nos mediatrix nostra. — *Dam. de do. B. M.*
Kyrie eleison, &c. vt suprà. — *Collect. huius lita.*

ORATIO.

O Domina mea Sancta Maria, me in tuam benedictam fidem, ac singularem cu-

ſtodiam, & in ſinum miſericordiæ tuæ, hodie & quotidiè, & in hora exitus mei animam meam & corpus meum tibi commendo: omnem ſpem & conſolationem meam, omnes anguſtias, & miſerias meas, vitam, & finem vitæ meæ tibi committo: vt per tuam ſanctiſſimam interceſſionem, & per tua merita, omnia mea dirigantur & diſponantur opera, ſecundùm tuam, filijque voluntatem. Amen.

LITANIAE SEPTIMAE PRO SABBATO DESVMPTAE EX ſacra ſcriptura, & ſanctis Patribus.

† In nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti, Amen.

Dam. lib. 10. de aſſumpt. Cant. 7. & Epiph. ſer. de B. Virg. Bern. epiſt. 174. Epi. Anſel. in orat. And. Hier. Auguſt. ſerm. 83. de aſſumpt. Ephrem Off. Eccl.

Antiph. *Per te acceſſum habeamus ad filium, O benedicta, Inuentrix gratiæ, Genitrix vitæ, mater ſalutis, vt per te nos ſuſcipiat, qui per te datus eſt nobis. Excuſet apud ipſum integritas tua culpam noſtræ corruptionis, & humilitas Deo grata noſtræ veniam vanitati. Copioſa charitas tua noſtrorum cooperiat multitudinem peccatorum, & fœcunditas glorioſa fœcunditatem nobis conferat meritorum, Bernard. ſerm. 2. de Aduentu.*

PRAECONIA B. VIRGINIS MARIAE.

KYrie eleyſon, &c.

Abyſſus miraculorum, ora.

Aceruus tritici vallatus lilijs, ora.

Sancta Maria,

Aduocata nostra, & omnium iniquorum,
Adiutrix destitutorum,
Aditus recuperationis,
Ager Dei amplissimus,
Altior cœlo;
Alabastrum vnguenti,
S. Maria Angelis superior,
Ancilla Domini,
Ancilla cui Dominus Leuiathan ligauit,
Anchora fida & sacra his qui tempestate iactantur,
Aquæductus cœlestiũ gratiarum,
Aquila grandis magnarũ alarum,
Arca Noe salutaris,
Arca Dei, & sanctificationis,
Arca noui testamenti,
Armarium vitæ,
Arcus fœderis in nubibus cœli,
Affectatrix Iesu perpetua,
Aurum purum ac aula diuinorum mysteriorum.
Benedicta in mulieribus,
Botrus vitis,
Cedrus in Libano exaltata,
Circumscriptio incircumscripti,
Cinamomum aromatizans,
Clauis cœlorum,
Claustrum pudoris integrum,
Clypeus omnib⁹ in te sperãtibus.
Clibanus in quo sacrificium coquitur,
Cœlum animatum,

Ora pro nobis.

Bruno ser. de Nat. Mat. Phil-lad. Eccl. 24. Bern. ser. 3. de ascens. Gen. 6. Exod. 25. Damas. serm. 1. de do. Hild. serm. 1. de assumpt. Chrysip. Bonau. Idem in carm. Epiph. S. 78. Damas. de assumpt. Ansel. in orat. Luc. 1. Bona. in Psal. Eccl. 24. Method. Bern. serm. 4. supr. salue. Ep. Hildep. Off. Eccl. Leuit. 2. Damas.

de assumpt. Hier. serm. de assump.	Sancta Maria,	Columba speciosa desuper riuos aquarum,	Ora pro nobis.
Bona. Cyr.		Columba Noe fidelissima,	
Sophro. de ass. Bona.		Continens eum qui nusquàm contineri potest,	
In carm.		Contritio prauitatis hæreticæ,	
Ambr. de		Confortatrix Martyrum,	
vir. c. 14.		Concha Gedeonis rorida,	
Eph. Cāt. 6.		Crátis tornatilis,	
Laur. Iust.		Crux quæ in vlnis Dñm portasti,	
de connub.		Cupressus in monte Sion,	
Herm. Ar-		Currus ignis,	
chie. const.		Curatio vulnerũ immedicabiliũ,	
Ephr. Rup.		Custos hominum,	
Cant. 10.		Custos in vineis,	
Bon. in spe.		Desertum speciosum,	
16. Ephr.		Desiderata gentibus,	
Ambr. de		Disciplina omnium,	
vir. libr. 2.		Dioptra perspectiua,	
And. Hier.		Domus impleta gloria Domini,	
Method. Bona su.		Domus septem columnarũ à Deo facta,	
& in ps. 53.		Domina Angelorum,	
Off. Eccl.		Domina Regum,	
Hil. de ser. 4. de ass.		Domina cœli & terræ, ac rerum omnium,	
Ansel. c. 12.		Exemplum perfectionis,	
de B. virg.		Exemplar confessorum,	
Damas. lib. 4. fid. c. 15.		Expectatio præmiorum nostrorum,	
Hie. de ass.		Fenestra cœli,	
Bona. Aug.		Ferculum Salomonis,	
serm. 2. de an. Off. eccl.		Festiuitatis nostræ principium & finis,	
Meth.			

Fili-

Sancta Maria,		Ora pro nobis.	
	Filia Hierusalem pulchra & decora,		Method. Bern.ser.3.
	Firmamentum diuidens aquas ab aquis,		in salue Bo. c.1.spec.
	Fluuius de loco voluptatis egrediens,		Method. Gen.2.Hil.
	Fons vberrimus totius Trinitatis,		dep. Chry-
	Fons vniuersam terram irrigans,		sost. Bern.
	Gloria & corona iustorum,		epist.51.
	Gloria Prophetarum,		Eph. Iac.
	Gloria virginum & omnium piorum,		in Litur. Cuc.1.
	Gratia plena,		Ath.Bern.
	Hera nostra,		in carm.
	Hester populum liberans,		Cant.6.
	Honorificentia populi nostri,		Ephr. Bon.
	Honor Martyrum,		spec.c.12.
	Hortus plantationum,		Lau.Iust.
	Hortus non seminatus,		Ansel.de
	Humilitatis forma,		præp. ad
	Ianua salutis,		Vir. Bon.c.
	Illuminatrix cordium,		10.spe.Ber.
	Imago veri solis expressa,		serm.1.de
	Infirmorum solatium,		adu.Bon.
	Inuentrix gratiæ,		in car.Eph.
	Innixa super dilectum,		Greg.Nico.
	Iudith pulcherrima,		Bo.in car.
	Lætitia generis humani,		Rup.cant.
	Liber obsignatus,		4.Bona.vt
	Lignum plantatũ secùs decursus aquarum,		sup. Laud. de com.ca.
	Lignum Libani ex quo sibi Salomon ferculum præparauit,		9.Bon.Ber. serm.1.&
	Lignum vitæ singulis mentibus		3.Sup.sal.

Ambr. ser. 3. in Psal. 21. Hildep. c. 2. de B. ma. Catha. sen. orat. 11. Method. August. lib. 1. Trin. cap. 10. Damas. in hymn. de assumpt. And. Hil. Bonau. in spec. c. 9. Eccl. 24. Ephr. de lau. Mar. Off. Eccl. S. Brigid. And. Cre. orat. 2. de Mar. Ber. sup. mi. 1. Reg. 15. Hild. bon. in ps. Cyril. Al. hom. 6. c. Nesto. Ansel. or. ad Mar.	Sancta Maria,	reddens fructum suum, Lilium conuallium, Lucerna à Domino illuminata, Lumen cæcorum, Luna plena, Lux carens fuligine culpæ, Magnum mundi miraculum, Manna suaue, Mansio cœlestis Imperatoris, Mare pacificum, Margarita pretiosa cœlestis, Martha excipiẽs Christum in domum suam, Mater Domini præ omnibus gloriosa, Mater misericordiæ, Mater omnium fidelium vniuersalis, Mater timoris & magnitudinis, Mediatrix Dei & hominum, Per quam post Deum totus viuit orbis terrarum, Microkosmos, Miraculorum effectrix, Mirthus electa, Mons Ephraim, Mons pinguis, Mortis destructio, & vitæ introductio, Norma castitatis, Norma rectæ fidei, Nutrix panis cœlestis, & omnia nutrientis salutis, Opus digitorum Dei,	Ora pro nobis.

Sancta Maria,

Ornamentum clarum naturæ nostræ,
Ortus solis nullum ferens occasum,
Ordinata ab æterno,
Orphanorum susceptio,
Pauor spiritualibus nequitijs,
Pax & gaudium mundi,
Pincerna cœlestis curiæ,
Platanus iuxta aquas,
Plantatio rosæ in Iericho,
Porta fulgida lucis & vitæ,
Portus tranquillus,
Pratum totius fragrantiæ Spiritus sancti,
Præconium Apostolorum,
Præses vitæ nostræ,
Princeps regum & regnorum,
Prodigium cœleste,
Promptuarium diuinæ charitatis,
Propitiatorium vniuersæ terræ,
Propugnaculum fidei Christianæ,
Pudicitiæ ornamentum,
Purgatrix criminum,
Purpura Regia,
Rebecca pulcherrima,
Refugium tui gregis,
Regeneratrix nostra
Regina misericordiæ,
Reparatrix parentum,
Resurrectio Adami,
Rosa recens ac redolēs sine spina.
Sceptrum rectæ doctrinæ & fidei orthodoxæ,

Ora pro nobis.

Bon. spec. c.7. Hesich. ser. de Mar. Chrysip. de Deip. Damas. libr.4.c.8. Ephr. Laur. de comb. cap.9. Ephr. Bona. in Li. Eccl.24. Ans. & off. eccl. Ephr. Chrysip.

Cyrill. Gregor. Nazian. in Dia. Bona. in psal. Ignat. epist.10. Method. And. Cre. de dorm. B.Virg. Exod.25. Laur. vt sup. Hier. epist. 10.

Ber. ser. 5. de B. Virg. Ber. vt sup. Bern. hom. 2. sup. Miss. Aug. serm. 24. de nat. Chr. Ephr. & Bona. in car. Cyril. hom. 8. ca. Nest. Am. li. 2. Virg. Hie. lib. 1. c. Ioui Eccl. 24. Hil. Apoc. 12. Aug. serm. 6. de Natu. arn. Psal. 49. Laur. iust. hier. in Psal. 18. Off. Eccl. Ephr. Epipha. Eph. Hild. Cōc. Ephe. 1. Damas. lib. 3. c. 12. Iacob. in liturg. 2. par. 20. Eccl. 23. Hier. in	Sancta Maria,	Secretum verecundiæ, Sepulchrum nouum & signatum Christi, In qua omnis spes vitę & virtutis, Cuius spiritus super mel dulcis Signaculum fidei, Sion sancta, & signum magnum, Soror & sponsa Dei, Species Iacob, & spes nostra, Speculum passionis Christi, Stella vitæ, & à sole illuminata, Stella maris, ac lumen studiosorum, Thalamus Dei & cœlestis sponsi, Thalamus flagrans virginitatis, Tabernaculum testamenti, Tabula scriptam legem ferens, Thesaurus vitæ immortalis, Theotocos, S. Mater Dei, Thronus Dei, Templum Salomonis sanctificatum, Templum indissolubile Spirit⁹ S. Vallis benedictionis, Vas admirabile opus excelsi, Vaticinium Prophetarum, Vestimentum Dei impollutum, Virga virtutis Dei, Vita nostra, Vitis vuarum ferax, Vmbraculum Spiritus sancti,	Ora pro nobis.

A cunctis periculis.

Pater noster, vt suprà fol. 250.

6. Mich. Psal. 109. Bon. in spe. c. 3. Off. Ecc.

SEQVENS CANTICVM ET PSALMOS, QVIDAM DEVOTVS *B.Virginis seruus olim legere cõsueuit, vt sic ipsum quoque nomen Maria (quod quinque constat litteris) pio prosequeretur cultu. Huius rei exstat monumentum in celeberrimi monasterij S.Bertini, quod Audomaropoli cernitur, templo. Hæc deuotio Anno 1163. tempore Leonis Abbatis, & Theodorici Comitis Flandriæ insigni miraculo, quod eidem Dei seruo, Ioscio dicto, iam mortuo accidit, confirmata fuit, dum ex illius ore flos exijt, ex auribus duo, & ex oculis totidem: in quibus inscriptum, MARIA.*

CANTICVM B. MARIAE Virginis. Lucæ cap. 1.

M.

MAgnificat anima mea Dominum. &c. vt suprà, fol. 199. Aue Maria gratia plena, &c.

A.

AD te leuaui oculos meos, qui habitas in cœlis. *Psal. 122.*

Ecce sicut oculi seruorum, in manibus dominorum suorum.

Sicut oculi ancillæ in manibus Dominæ suæ, ita oculi nostri ad Dominum Deum nostrum donec misereatur nostri.

Miserere nostri Domine, miserere nostri, quia multum repleti sumus despectione.

Quia multum repleta eſt anima noſtra: opprobrium abundantibus & deſpectio ſuperbis.

Gloria Patri, & Filio. Aue Maria. &c.

R.

Pſal.118. RETribue ſeruo tuo, viuifica me, vt cuſtodiam ſermones tuos.

Reuela oculos meos, & conſiderabo mirabilia de lege tua.

Incola ego ſum in terra: non abſcondas à me mandata tua.

Concupiuit anima mea deſiderare iuſtificationes tuas in omni tempore.

Increpaſti ſuperbos: maledicti qui declinant à mandatis tuis.

Aufer à me opprobrium & contemptum: quia teſtimonia tua exquiſiui.

Etenim ſederunt Principes, & aduerſum me loquebantur.

Seruus autem tuus exercebatur in iuſtificationibus tuis.

Nam & teſtimonia tua meditatio mea eſt, & conſilium meum iuſtificationes tuæ.

Adhæſit pauimento anima mea, viuifica me ſecundùm verbum tuum.

Vias meas enunciaui, & exaudiſti me, doce me iuſtificationes tuas.

Viam iuſtificationum tuarum inſtrue me: & exercebor in mirabilibus tuis.

Dormitauit anima mea præ tædio: confirma me in verbis tuis,

Viam iniquitatis amoue à me: & de lege tua miserere mei.

Viam veritatis elegi: iudicia tua non sum oblitus.

Adhæsi testimonijs tuis Domine, noli me confundere.

Viam mandatorum tuorum cucurri, cùm dilatasti cor meum.

Gloria Patri, &c. Aue Maria, &c.

I.

IN conuertendo Dominus captiuitatem Sion: facti sumus sicut consolati. *Psal. 125.*

Tunc repletum est gaudio os nostrum: & lingua nostra exultatione.

Tunc dicent inter gentes: Magnificauit Dominus facere cum eis.

Magnificauit Dominus facere nobiscum: facti sumus lætantes.

Conuertere Domine captiuitatem nostram: sicut torrens in austro.

Qui seminant in lachrymis: in exultatione metent.

Euntes ibant & flebant, mittentes semina sua.

Venientes autem venient cum exultatione: portantes manipulos suos.

Gloria Patri, &c. Aue Maria, &c.

A.

AD Dominũ cùm tribularer clamaui, & exaudiuit me. *Psal. 119.*

Domine libera animã meam à labijs iniquis, & à lingua dolosa.

Quid detur tibi aut quid apponatur tibi ad linguam dolosam?

Sagittæ potentis acutæ: cum carbonibus desolatorijs.

Heu mihi quia incolatus meus prolongatus est, habitaui cum habitantibus Cædar, multùm incola fuit anima mea.

Cum his qui oderunt pacem eram pacificus: cum loquebar illis, impugnabant me gratis.

Gloria Patri, &c. Aue Maria, &c.

Vers. *Diffusa est gratia in labijs tuis.*

Resp. *Propterea benedixit te Deus in æternum. &c.*

ORATIO.

1. CONcede nos famulos tuos quæsumus, Domine Deus perpetua mentis & corporis sanitate gaudere, & gloriosa beatæ Mariæ semper Virginis intercessione, à præsenti liberari tristitia, & æterna perfrui lætitia.

2. DEvs qui corda fidelium Sancti spiritus illustratione docuisti, da nobis in eodem spiritu recta sapere, & de eius semper consolatione gaudere.

3. ECclesiæ tuæ quæsumus Domine preces placatus admitte, vt destructis aduersitatibus, & erroribus vniuersis, secura tibi seruiat libertate.

DEVS omnium fidelium pastor & rector, famulum tuum N. quem pastorem Ecclesiæ tuæ præesse voluisti, propitius respice, da ei quæsumus, verbo & exemplo quibus præest proficere, vt vnà cum grege sibi credito ad vitam perueniat sempiternam. 4.

OMnipotens sempiterne Deus, qui facis mirabilia magna solus, prætende super famulos tuos, & super congregationes ipsis commissas spiritum gratiæ salutaris, & vt in veritate tibi placeant, perpetuum eis rorem tuæ benedictionis infunde. 5.

DEVS largitor pacis, & amator charitatis, da famulis tuis veram cum tua voluntate concordiam, vt ab omnibus quæ nos pulsant tentationibus liberemur, Per Christum Dominum nostrum, Amen. 6.

ORATIO D. GREGORII Nazianzeni.

O Ter beata mater, O lux Virginum
Quæ templa cœli lucidissima incolis.
Mortalitatis liberata sordibus
Ornata iam immortalitatis stola,
Meis benignam ab alto aurem exhibe verbis.
Manens [illegible]e virgo suscipe obsecro preces.
Nam solus est honor sic tibi à mortalibus.
Quæ facta verbi mater es diuinitùs
Confisus vnde verba persoluo tibi,
Plexamque de prato coronam florido
Tibi offero Regina, quòd me plurimis
Dignata quondam gratijs, varijs ad hæc

Me liberas semper calamitatibus,
Multisque defensas ab aduersarijs,
Tam qui videntur, quàm videri qui haud queant.
Me flecte tandem, quomodo in vita auctior
Virtute fiam, teque semper præsidem
Vitæ meæ, ac demùm benignam, ac sedulam
Habeam aduocatam filio coràm tuo.
Cum cæteris charis Deo virgunculis,
Ne me ergo tradier sinas tortoribus.
Aut perditori hominum fieri ludibrio,
Aßiste, & à tenebris & igne libera,
Fac vt fide tuaque saluer gratia.
Quare hunc tibi hymnum pango Charisterion,
Salue puella gratiosa, mater &
Virgo omnium castißima ac pulcherrima,
Exercitibus præstantior cælestibus,
Regina mundi, gaudium mortalium,
Semper benignam te exhibe mortalibus,
Mihique sit salus vbique maxima.

ORATIO PRO PERSEVERANTIA in cultu Dei, ac Beatæ Virginis Mariæ.

DEVS qui nos à seculi vanitate conuersos ad brauium supernæ vocationis accendis, pectoribus nostris purificandis illabere, & gratiam nobis, qua in te, & seruitio sanctissimę matris tuæ Marię perseueremus, infunde, & protectionis vestræ muniti præsidijs, quod te Domine donãte promisimus, impleamus: & nostræ professionis executores effecti, ad ea quæ perseuerantibus in te promittere dignatus es, pertingamus.

ALIA ORATIO.

Beatæ & gloriosæ, semperque Virginis Mariæ, quæsumus Domine, intercessio gloriosa nos protegat, & ad vitam perducat æternam. Per Dominum nostrum, &c.

LITANIAE PRO INFIRMIS & afflictis, Ex Sacris literis depromptæ.

† In nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Amen.

Antiph. *Signa autem eos qui crediderint, hæc sequentur: In nomine meo Dæmonia eijcient, linguis loquentur nouis, serpentes tollent: & si mortiferum quid biberint, non eis nocebit. Super ægros manus imponent, & benè habebunt. Mar. 16.*

Kyrie eleyson.
Christe eleison.
Kyrie eleison, &c.

Miserere nobis.

Qui Iob vlcere pessimo percuti in exemplum patientiæ permisisti, *Iob. 2. c. 5.*
Qui vulneras, & mederis, percutis & sanas, *Exo. 4. c. 9.*
Qui Moysis lepram sanasti,
Qui AEgyptios ob peccata vlceribus percussisti,
Qui populum Israel de AEgypto eductum ab infirmitate seruasti, *Psal. 104.* *Num. 12.*
Qui Mariam à lepra mundasti, *c. 21.*
Qui à serpentibus percussos ænei serpentis aspectu sanasti. *Exod. 15.*

1.Reg.2. Qui ſanctæ tuæ Legis tranſgreſſoribus varias infirmitates prænunciaſti,
Qui mortificas & viuificas, deducis ad inferos & reducis,
2.Reg.24. Qui populum tuum ob Dauidis peccatum afflictum, eiuſdem precibus à peſte liberaſti,
Qui orantes te in ſua infirmitate curare conſueuiſti,
Eccl.38. Qui ſanas contritos corde,
Pſal.146. Qui propter miſericordiam tuam in te ſperantes ſaluos facis,
Pſal.1.& 16. Qui Regi Ieroboam aridam manum ſanam reſtituiſti:
3.Reg.13.
3.Reg.17. Qui viduæ filio ad Eliæ preces vitam reddidiſti,
4.Reg.20. Qui Ezechiam Regem ad te humiliter recurrentem, à graui morbo liberaſti,
Tob.2.c.11. Qui Tobiam in exemplum patientiæ cæcum fieri permiſiſti,
Qui eundem per Angelum tuum lumē cœli videre feciſti,
c.12. Qui Dæmonium à Sara compeſcuiſti,
Exod.9. Qui varios languores, morbosque in
2.Reg.24. pœnā peccati immittere conſueuiſti,
Mat.8. Qui febricitantes, & complures à malignorum ſpirituum vexatione exemiſti,
Luc.4.6. 8.9. Qui omnes malè habentes curaſti,
Matt.8. 12. Qui paralyticos, aridos, leproſos, liberaſti,
Luc.5. Qui omnes infirmos tangētes ſaluaſti,
Matt.14. & 15. Qui ſurdos audire, mutos loqui, claudos progredi, cęcos illuminari feciſti,

Miſerere nobis.

Qui

Qui mulierem à sanguinis fluxu,& contractam liberasti, & curasti, & mortuos resuscitasti. 9. & Luc. 13.

Qui infirmos visitari,& consolationem accipere voluisti, Matth.25. 2.Corint.1.

Qui per Apostolos tuos,claudos ambulare fecisti,Petri vmbra omnes ab infirmitatibus suis liberasti, Act.3.14. 5.& 28.

Christe fortitudo nostra,firmamentum & refugium nostrum, Psalm.17.

Adiutor & protector, liberator & susceptor,ac cornu salutis nostræ, Sap.16.

Saluator omnium,

Agnus Dei,&c.

Pater noster, &c.

Miserere nobis.

PSALMVS.

DIlexi, quoniam exaudiet Dominus vocem orationis meæ.

Quia inclinauit aurem suam mihi: & in diebus meis inuocabo.

Circundederunt me dolores mortis: & pericula inferni inuenerunt me.

Tribulationem & dolorem inueni: & nomẽ Domini inuocaui.

O Domine libera animam meam, misericors Dominus & iustus: & Deus noster miseretur.

Custodiens paruulos Dominus: humiliatus sum,& liberauit me.

Conuertere anima mea in requiem tuã, quia Dominus benefecit tibi.

Quia eripuit animam meam de morte: ocu-

los meos à lachrymis, pedes meos à lapſu.
Placebo Domino in regione viuorum.
Gloria patri, & filio, &c.
Verſ. *In tua infirmitate ne deſpicias teipſum.*
Reſp. *Sed ora Dominum, & ipſe curabit te.*
V. *Clamauerunt ad Dominum cum tribularentur.*
R. *Et de neceſſitatibus eorum eduxit eos.*
V. *Domine exaudi orationem meam.*
R. *Et clamor meus ad te veniat.*

ORATIO PRO INFIRMIS.

OMnipotens ſempiterne Deus, ſalus æterna credentium, exaudi nos pro famulo tuo infirmo N. pro quo miſericordiæ tuæ imploramus auxilium, vt reddita ſibi ſanitate, gratiarum tibi in Eccleſia tua referat actiones.

ALIA ORATIO INFIRMO dicenda.

DOmine Ieſu Chriſte fili Dei viui, per amariſſimas anguſtias, quæ te in Monte Oliueti tantoperè coarctârunt, & per admirabilem illum horrorem ac tremorem, qui carnem tuam ſanctiſſimam ita conſtrinxerunt, vt diceres: Triſtis eſt anima mea vſque ad mortem, te humili corde ac corpore ad terram vſq; proſtrato rogamus, vt in vltimo illo tranſitu, quo ex hac vita migrãdum erit, cùm timor ac tremor cor noſtrum ac intellectum occupabunt, ſuccurrere, & in tam triſti agonia fortitudinem ac ſpem de tua miſeri-

cordia largiri digneris. O dulcissime Magister, ne nos in tam horribili certamine deseras: ac sicut pater tuus cęlestis angelũ de cęlo misit, qui te consolaretur, ita nobis angelũ mittas, qui eo tempore nos comitetur, muniat ac corroboret aduersus omnes insultus inimici, & in omnibus adiuuet: nec cõsentiat vt prauorum spirituum exercitus aduersum nos præualeant, aut tentationibus suis & mendacibus persuasionibus nos decipiant prosternantque. Arma quoque cor nostrum virtute pasSionis tuæ, & confirma, ne vlla aduersitas aut infirmitas, quantumuis diuturna ac vehemens, impatientiam aut fastidium, aut murmurationem in nobis pariat. Sed in omnibus, ac per omnia, anima nostra se subiiciat ac offerat sanctissimæ tuæ voluntati, siue illa infirmitatẽ, siue sanitatem, siue aduersitatẽ, siue vitã concedat: eo planè modo, quo tu Domine naturalem tuã voluntatem patris tui cæleſtis voluntati postposuisti, cum diceres: Non mea voluntas fiat, sed tua. Non tibi supplicamus ô Domine, vt dulcem concedas mortem, aut exiguos dolores, aut facilem denique ægritudinem. Hæc enim tuo relinquimus nutui ac beneplacito, vt de iis disponas, non pro nostro arbitrio inquam, sed pro nostra necessitate ac vtilitate. Hæc verò gratia potissima est quam efflagitamus, vt scilicet in quibuscunque casibus, des nobis talem fortitudinem, animique robur, quæ nullo pondere flectatur, sed stare potius nos faciat fortes & immobiles vsque ad extremum vitæ momentum: vt ex

hac ſocietate, quæ per diuinam tuam gratiam nobis tecum communis eſt, ad illã tranſire mereamur, quam tecum habent ſancti per gloriam.

Granat. in tractat. de paßione.

ORATIO AD CHRISTVM cruci affixum.

O Domine IESV Chriſte, qui præ amore tuo erga me tibi ipſi parcere noluiſti, quæſo vt ſic cor meum, tuis ſacris vulneribus transfigas, animamq́ue meam ſanguine tuo inebries, vt quocunque oculos conuertero, te cruci videam affixum, & quamcunque rem intuitus fuero, ea videatur mihi roſeo illo tuo ſanguine tincta, quo nempè totus in te transformatus, nihil inueniam extra te, ac nihil videam præter plagas tuas. Hæc ſit cõſolatio mea, in hac quam patior infirmitate, vt tecum ſim confixus cruci, hæc ſit maxima afflictio mea, cogitare aliquid extra te, quod non ſit propter te, ſaluator mundi: Obſecro te vt me cum Apoſtolo tuo B. Andrea clamantem exaudias & dicentem: O bona crux, quæ decorem ex membris Domini ſuſcepiſti diu deſiderata, ſollicitè amata, ſine intermiſſione quæſita, & aliquando cupienti animo præparata, accipe me ab hominibus, & redde me magiſtro meo, vt per te me recipiat, qui per te me redemit, qui viuit & regnat in ſecula ſeculorum, Amen.

LITANIAE PRO FIDELIbus defunctis.

Mortuo non prohibeas gratiam, Eccles. cap. 7. Vnde D. Augustin. Temporarias pœnas alij in hac vita tantùm, alij post mortem, & nunc & tunc, veruntamen ante iudicium illud seuerissimum, nouissimumque patiuntur, Lib. 21. de ciuit. Dei, cap. 13.

Loca quædam, quib^9 probatur oratio pro defunctis.

Qui dixerit verbum contra Spiritum sanctum, non remittetur ei, neque in hoc seculo, neque in futuro. Matth. cap. 12.

Quod non dixisset Dominus (ait D. August.) si nulla peccata remitterentur in iudicio illo nouissimo. *Lib. 6. cotr. Iulia. ca. 5.*

In † nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, Amen.

Antiphona.

Sancta & salubris est cogitatio pro defunctis orare vt à peccatis soluantur, Lib. 2. Machab. cap. 12.

Kyrie eleyson.
Christe eleyson, &c.
Sancta Maria, &c. ora pro fidelibus defunctis.
S. Michaël, &c. ora pro fidelibus defun.
Omnes sancti Angeli & Archangeli, orate pro, &c.
Sancte Petre, &c. vt suprà in communibus Litaniis Romanis, ora pro fidelibus defunctis.
Propitius esto, Parce eis Domine.
Propitius esto, Exaudi nos domine.
Ab omni malo, Libera nos domine.

Ab ira tua, Libera nos domine.
A potestate Diaboli, Libera nos domine.
A flamma ignis, Libera nos domine.
A pœnis purgatorij, Libera nos domine.
A regione vmbræ mortis, Libera nos.
Per natiuitatem tuam, Libera nos.
Per dulcissimum nomen tuum, Lib.
Per multitudinē miserationum tuarum, Lib.
Per acerbissimam passionem tuam, Lib.
Per sanctissima vulnera tua, Lib.
Per pretiosissimum sanguinem tuum, Lib.
Per ignominiosam mortem, qua nostrā moriendo destruxisti, Lib.
Peccatores, Te rogamus audi nos.
Qui Mariam absoluisti & latronem exaudisti, te rogamus.
Qui saluandos saluas gratis, te rogamus.
Vt parentes, propinquos & benefactores nostros à pœnis inferni eripere digneris, te rogamus.
Vt omnes fideles defunctos ab æterna damnatione liberare digneris, te rogamus.
Vt desiderium ipsorum adimplere digneris, te rogamus.
Vt Angelorum cœtus eis splendidus subueniat, te rogamus.
Vt eis Patriarcharum & Prophetarum cuneus occurrat, te rogamus.
Vt omnium fidelium defunctorum quorum specialis in terra memoria non habetur, misereri digneris, te rogamus.
Vt eis omnibus parcere & indulgere digneris, te rogamus.
Vt eos gloriosus Apostolorum chorus excipiat,

piat, te rogamus.
Vt candidatorum martyrum triumphans exercitus eos lætus excipiat, te rogamus.
Vt eos ſanctorum Confeſſorum agmen deducat, te rogamus.
Vt iubilantium virginum eos corona comitetur, te rogamus.
Vt ad autorem ſuum qui eos de limo terræ formauit, redire valeant, te rogamus.
Vt mitis atque dulcis Ieſu tunc eis aſpectus benignus appareat, te rogamus.
Vt ad dexteram in electorum cõſortium eos recipiat, te rogamus.
Fili Dei, fons pietatis, te rogamus.
Rex tremendæ maieſtatis, te rogamus.
Qui claues habes mortis & inferni, te rog.
Agnus Dei qui tollis peccata mundi, dona eis requiem.
Agnus Dei qui tollis peccata mundi, dona eis requiem.
Agnus Dei qui tollis peccata mundi, dona eis requiem ſempiternam.
Chriſte audi nos, &c. Pater noſter, &c.

PSALMVS. 129.

DE profundis clamaui ad te Domine: Domine exaudi vocem meam.
Fiant aures tuæ intendentes: in vocem deprecationis meæ.
Si iniquitates obſeruaueris Domine: Domine quis ſuſtinebit?
Quia apud te propitiatio eſt, & propter legẽ tuam ſuſtinui te.

Suſtinuit anima mea in verbo eius: ſperauit anima mea in Domino.

A cuſtodia matutina vſque ad noctem: ſperet Iſraël in Domino.

Quia apud Dominũ miſericordia, & copioſa apud eum redemptio.

Et ipſe redimet Iſraël ex omnibus iniquitatibus eius.

Verſ. Requiem æternam dona eis Domine.

Reſp. Et lux perpetua luceat eis.

Verſ. A porta inferi, Reſp. Erue Domine animas eorum.

V. Abſolue Domine animas omnium fidelium defunctorum.

R. Ab omni vinculo delictorum.

V. Ne abſorbeat eas tartarus, nec cadant in obſcurum.

R. Sed ſignifer S. Michaël repræſentet eas in lucem ſanctam.

V. Domine exaudi orationem meam.

R. Et clamor meus ad te veniat.

ORATIONES.

FIdelium Deus omnium conditor & Redemptor, animabus famulorum famularumque tuarum remiſſionem cunctorum tribue peccatorum, vt indulgentiam, quam ſemper optauerunt, piis ſupplicationibus conſequantur.

DEvs veniæ largitor, & humanæ ſalutis amator, quæſumus immenſam clementiam tuam, vt noſtræ congregationis fratres, propinquos & benefactores, qui ex hoc ſæculo

culo transierunt, Beata Maria semper Virgine intercedente, cum omnibus sanctis tuis, ad perpetuæ beatitudinis consortium peruenire concedas.

ORATIO PRO PATRE & Matre.

DEVS qui nos Patrem & Matrem honorare præcepisti, miserere clementer animarum patris ac matris meę, eorumque peccata dimitte, meque eos in æternæ claritatis gaudio fac videre.

ORATIO PRO RECENTER defuncto.

INclina Domine aurem tuam ad preces nostras, quibus misericordiam tuam supplices deprecamur, vt animã famuli tui N. quã hodie de hoc seculo migrare iussisti, in pacis ac lucis regione constituas, & Sanctorum tuorum iubeas esse consortem.

SEQVENTIA.

DIes iræ, dies illa
Soluet seclum in fauilla,
Test. Dauid cum Sibilla.
Quantus tremor est futurus,
Quando iudex est venturus,
Cuncta strictè discussurus?
Tuba mirum spargens sonum,
Per sepulchra regionum,
Coget omnes ante thronum.

Mors stupebit & natura,
Cùm resurget creatura,
Iudicanti responsura.
Liber scriptus proferetur,
In quo totum continetur,
Vnde mundus iudicetur.
Iudex ergo cùm sedebit,
Quidquid latet apparebit,
Nil inultum remanebit.
Quid tum miser sum dicturus?
Quem patronum rogaturus?
Dum vix iustus sit securus?
Rex tremendæ maiestatis,
Qui saluandos saluas gratis,
Salua nos fons pietatis.
Recordare Iesu pie,
Quòd sum caussa tuæ viæ,
Ne me perdas illa die.
Quærens me sedisti lassus,
Redemisti, crucem passus,
Tantus labor non sit cassus.
Iustæ iudex vltionis,
Donum fac remißionis,
Ante diem rationis.
Ingemisco tanquam reus,
Culpa rubet vultus meus,
Supplicanti parce Deus,
Qui Mariam absoluisti,
Et latronem exaudisti,
Mihi quoque spem dedisti.
Preces meæ non sunt dignæ,
Sed tu bonus fac benignè,
Ne perenni cremer igne.
Inter oues locum præsta,

Et

Et ab hædis me sequestra,
Statuens in parte dextra.
Confutatis maledictis,
Flammis acribus addictis,
Voca me cum benedictis.
Oro supplex & acclinis,
Cor contritum quasi cinis,
Gere curam mei finis,
Lachrymosa dies illa,
Qua resurget ex fauilla,
Iudicandus homo reus.
Huic ergo parce Deus,
Pie Iesu Domine,
Dona eis requiem,

AMEN.

ORATIO COMMVNIS.

DOmine Deus omnipotens, miserere famulorum, famularumque tuarum, & gratiam quam de te per Christum sperauerunt, remissis criminibus ipsorum propitius tribue, ne in iudicio cum eis contendas, ne ęternis cruciatibus eos adiudices, sed eos tecum in sempiternam quietem recipias, vbi ea omnia fœliciter percipiãt, quæ hic firmiter crediderũt. Per Christum Dominum nostrum, Amen.

ORATIONES SELECTAE R. P. F. Ludouici Grana.& P.Petri de Ribadeneyra, Societatis IESV, recens nunc in Latinũ ſermonem conuerſæ,quibus nobiliſsimarum virtutum actus exercentur, diſtributæ in ſingulos hebdomadæ dies.

DIE DOMINICA.

Prima Oratio in qua excitatur animus ad Dei timorem.

Timor Dei. *Luc.18.* *Cap.7.* *Geneſ.18.*

SI Publicanus ille Euangelicus non audebat oculos ſuos ad cœlum leuare, ſed à longè ſtans percutiebat pectus ſuum, dicens: Deus propitius eſto mihi peccatori. Et ſi peccatrix illa ſancta, non auſa eſt in conſpectum Domini venire, ſed ſtans retrò ſecus pedes eius, profuſis lachrymis veniam obtinuit delictorum: Si ſanctus ille Patriarcha Abraham volens cum Deo ſermonem miſcere dixit: Loquar ad Dominum meum cùm ſim puluis & cinis, ſi iſti tales ac tanti, tantoperè ſe abiecerunt, ac ſubmiſerunt, cùm ſe coram tua maieſtate ſiſterent, quid faciet pauper & miſerrimus peccator, qualis ego ſum? Quid faciet puluis & cinis? Quid faciet abyſſus peccati & miſeriæ? At quia mi Domine non poſſum habere timorem illum ac reuerentiã tantæ debitam maieſtati, niſi tu in me reſpicias, da veniã, vt ſic mihi liceat caliginoſos eleuare oculos, vt ſplendor gloriæ tuæ viſus

mei debilitatem nequaquam obtundat. Ac cùm veræ ſapientię principium ſit timor ſancti nominis tui, ab eo nunc Domine exordium ſumam. Dona ergo mihi hanc gratiam, placeatque infundere animæ meæ donum timoris, mediante ſancto tuo ſpiritu, quo ſine parum proderunt conſiderationes iſtæ, quas hoc loco ſtatutũ eſt adducere. Ad hunc quippè timorem nos excitas, cùm ais: Ne terreamini ab his qui occidunt corpus, & poſt hęc non habent amplius quod faciant. Timete eum qui poſtquam occiderit, habet poteſtatem mittere in gehennam: ita dico vobis, hunc timete. Hoc ipſum nos docet Eccleſia S. cùm hunc in modum cantat: In conſpectu gentium nolite timere: vos verò in cordibus veſtris adorate, & timete Dominum, quia angelus eius vobiſcum eſt, vt liberet vos. Fac igitur Domine, vt anima mea & cor meum te timeat. Nam in te (qui omnia es) non minor eſt ratio cur timearis, quàm ameris, cùm ſis vti infinitè miſericors, ita etiam infinitè iuſtus: & vt opera miſericordiæ tuę abſque numero ſunt, ita & iuſtitiæ. Quod verò ſupra modum timorem ingenerat, eſt, plura eſſe vaſa iræ, quàm miſericordiæ Timeam ergo te ob magnitudinem iuſtitiæ tuæ, ob profunditatem iudiciorum tuorum, ob celſitudinem Maieſtatis tuæ, ob immenſitatem amplitudinis tuæ, ob innumera peccata & præſumptiones meas, ac ſuper omnia rebellionem continuam, qua ſanctis tuis inſpirationibus reluctatus ſum. Timeam te ac trepidè ante faciem tuam, in cuius conſpectu tremũt

Luc.12.

Poteſtates, columnæ cœli concutiuntur, & vniuerſæ terræ ambitus obſtupeſcit. Et quis obſecro te nõ timeat Regem Gentium? Quẽ non terreant verba Prop ıetæ, nomine tuo

Ierem.5. loquentis, cùm ait: *Me non timebitis, et à facie mea non dolebitis? Qui poſui arenam terminum mari, præceptum ſempiternum quod non præteribit, & commouebuntur, & non poterunt, & intumeſcent fluctus eius, & non tranſibunt illud.* Si omnes creaturæ tuæ, quæ vel in cœlis, vel in terra ſunt, ita tibi morem gerunt, & ob magnitudinem Maieſtatis tuæ formidant, quid ego viliſſimus peccator puluis & cinis facturus ſum?

Si Spiritus illi Angelici cùm te adorant, & laudes tuas decantant, ita contremiſcant: cur labia mea & cor meum ſimili intenta officio præ ſtupore ac reuerentia non deficiũt? Ah miſerum me, cuius anima ſic induruit, quomodo exſiccati ſunt fontes oculorum meorum, vt amplius non fluant lachrymæ meæ, cùm ſeruus loquar cum Domino, creatura cum creatore, homo cum Deo, luteum vaſculum cum eo, qui cuncta ex nihilo creauit? Volo, ſed non valeo, nec enim exequi valeo quæcunque deſidero.

Tu Domine, confige timore tuo carnes meas, lætetur cor meum, vt timeat nomen ſanctum tuum.

Timeam te quoque, Domine, propter iudiciorum tuorum, quæ ab initio mundi vſque huc exercuiſti, magnitudinem & profunditatem. Magnum fuiſſe iudicium clamat primi Angeli lapſus, tot virtutibus ornati: Magnum parentis noſtri Protoplaſti vnicum

delictum: Magnum Cataclismus, qui vniuersum mundum inuoluit. Magnum planè iudicium electio Iacob, & Esau reprobatio, derelictio Iudæ, & Apostoli Pauli vocatio, reiectio populi Iudaici, & Gentium adoptatio, aliaq; similia, quæ nobis insciis secretissimè indies accidunt. Præter hæc omnia, est quod horrorem incutit maximum, tot scilicet videre nationes versari super faciem terræ in regione & vmbra mortis, ac è tenebris infidelitatis ad alias tenebras, è molestiis temporariis ad tormenta properare æterna. Timeam te meritò Domine ob hæc tua iudicia tam profunda, tam occulta, iureque verear, ne cum tot populis ipse quoq; reprobus efficiar. Si enim vix iustus saluabitur, impius & peccator vbi parebunt? si innocentissimus Iob à furore iræ tuæ tremat, quomodo non formidabit ab impetu tumentium fluctuum, qui à sancti viri innocentia tanto distat interuallo? si Ieremias in vtero matris sanctificatus, adeò timuerit iram tuam, vt non inueniret angulum in quem se abderet, quò se vertet, qui in peccatis conceptus & natus, reliquum deinde vitæ tot criminibus contaminauit & exegit?

1. Petr. 4.

Iob 31.

Timeam te insuper ob multitudinē peccatorum meorum, quæ infinita sunt, quibuscum sistendus sum ante tribunal tuum, quando in conspectu tuo ignis exardescet, & in circuitu tuo tempestas valida ingruerit, cùm aduocaueris cœlum desuper, & terrā discernere populū tuum. Ibi in conspectu tot gentium ac tot Angelorū detegentur ac innore-

Aug. c. 4. Medit.

ſcent ſcelera mea, non verbis modò, ac opere, ſed & mentis cogitatione commiſſa: Ibi tot habebo iudices, quot me præceſſerunt bonis operibus præſtantiores: tot aduerſum me exurgent teſtes, quot mihi fuêre ad virtutem exhortatores. Et tamen cùm certus ſim de tali iudicio, nondum vitiis meis, vt par eſt, frænum, modumque pono, ſed potius in peccatorum fæcibus computreſco: Nam gula me viliſſimum reddit, ſuperbia vanum, auaritia ſtringit, conſumit inuidia, murmuratio lacerat, ambitio eleuat, ira perturbat, effundit leuitas, torpor opprimit, triſtitia deiicit, fauor attollit. Hic complices cerno quibuſcum natus huc vſque vixi, hi ſunt amici, quos habui familiares, magiſtri quibus parui, Domini quibus ſeruiui. Ne intres tamen,

Pſalm. 14. ô Domine, in iudicium cum ſeruo tuo: quia non iuſtificabitur in conſpectu tuo omnis viuens. Quem enim iuſtum reperies, ſi remota pietate iudicaueris eum? Proinde ad pedes tuos proſtratus, corde humili & contrito

Pſalm. 6. plorabo cum Propheta, & dicam: Domine ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me. Miſerere mei Domine, quoniam infirmus ſum: Sana me Domine quoniam conturbata ſunt oſſa mea. Et anima mea turbata eſt valde, ſed tu Domine vſque quò? Conuertere Domine, & eripe animam meam. Saluum me fac propter miſericordiam tuam. Quoniam non eſt in morte qui memor ſit tui, in inferno autem quis confitebitur tibi?

ORATIO SECVNDA DE eodem Timore Dei.

Sumpta cum Sequentibus ex P. Petro de Ribad.

DA mihi, quæso Domine, sapientiæ tuæ initium, veræ iustitiæ fundamentum, custodiam & virtutum omnium propugnaculum, sanctum timorem tuum, sine quo virtutes omnes pulueris instar à facie venti disperguntur. Et qui Angelorum de cœlo, & tot insignium tuorum familiarium in terra lego ruinam, ac robustos quotidiè deficere, ipsosque vt ita dicam, gigantes tremere video, timeam & ego debilitati meæ, & iudicia tua pertimescam, fugiam omnes ruendi occasiones, viuamque in sollicitudine, & circumspectione, cohibeam sensus, componam affectus, appetitiones mortificem, fugiam denique quidquid me potest à te tuaque gratia diuellere. Quando tua mihi adfuerit gratia, vtar illa cum animi gratitudine: quãdo abfuerit, defleam id amarè, quæram illam sollicitè, quando redierit, amplectar, & studeam conseruare: viuamque semper in sancto isto timore. *Timor Dei.*

ORATIO. III. AD MOERORE Sanctum siue tristitiam à Deo petendam.

QVi fit Domine, quòd corde non rumpor, dum hominũ in te offensiones *Tristitia.*

intueor: & quàm iniquè ab ijs tractaris, quos tuis semper ad te beneficijs inuitare non cessas? Esse enim quod eis dedisti, in te & ipsa dona tua, abutuntur. Quis non angatur animo, & tristitia consumatur, qui in suam debilitatem, ad casum propensionem, ad surgendum difficultatem, ignauiamque in legitimo pretiosissimorum donorum tuorum vsu, oculos conijcit? Quis non sanguineas fundat lachrymas, illarum memor, quas à te in crucis ligno pro se fusas videt quique sanctissimam tuam vitam ab ipso statim conceptionis initio mœrore semper plenam animaduertit? O igitur omne bonum meum, fac me tecum flere, nec pœnarum mearum quærere leuamen, illa sola con solatione contentum, quòd nullum mihi solatium sit in hac vita futurum, quòd hanc certissimam ac tutissimam ad te perueniendi viam agnoscam.

ORATIO IIII. AD VERAE POEnitentiæ petendum spiritum.

Pœnitẽtia. AEquissime Iudex, qui vt nullum opus bonum irremuneratum, ita nec prauum relinquis impunitum: quique immensa tua misericordia acceptas, si velit peccator, temporalem in hac vita pœnam, pro æterna, quam exigeres in futura: fac me quæso dignos facere pœnitentiæ fructus, vt qua mensura, sine fræno & pudore te hactenùs offendi, liberas appetitionibus meis habenas laxando, eandem sumam de meipso

vindictam, reddamque pro viribus, quod à me iustissimè requiris: vt qui toties hactenùs me illicitis rebus totum tradidi, à licitis etiam nunc, amoris tui intuitu contineam.

ORATIO V. AD PETENDVM à Deo Contritionis donum.

Conuertantur oculi mei in fontes lachrymarum, Deus, quòd tuam offenderim maiestatem, cor meum dolore rumpatur, quòd tuam sim ausus violare legem: frangantur denique viscera mea, quòd à tua declinauerim voluntate. En Deus meus, & dulcissime sponse animæ meæ, flagella illa tibi propono, quibus delicatissimum vnigeniti filij tui IESV Christi Domini mei corpus fuit laceratum: spinas quæ sacrum illius caput penetrarunt: clauos qui manus pedesque transfixerunt, crucem quæ ipsum sustinuit, lanceam quæ incensum amore cor vulnerauit, denique vulnera, quæ accepit ipse pro me: propter quæ omnia, Deus, peto confringi cor meum, vt contritum & in pulueres vera contritione redactum, tuæ charitatis igne accendatur, & in sacrificium & holocaustum suauitatis totum consumatur. *Contritio.*

O Deus meus si omnes purgatorij pœnas potiùs sustinuissem, quàm te offendissem? O si & nunc etiam infernum sustinerem potiùs, quàm te iterum offenderem? Vtinam possem sanctorum omnium Marty-

rum ferre tormenta, ne qua rationalis creatura te auderet offendere? Gratiam itaque, Deus, concede, vt præterita mea peccata ita defleam, ne in eadem vel alia recidam reliqua vita mea.

ORATIO VI. AD VERAE confeſſionis gratiam à Deo petendam.

Confeſſio. QVanta fuit Deus miſericordia, reliquiſſe te poteſtatem in terra dimittendi peccata? & per humilem pœnitudinem, puramque & perfectam peccatorum confeſſionem ignoſcere peccatori, & in tuam illum recipere amicitiam? O igitur Redemptor meus, agnoſcam me ipſum, & humilem: effundam velut aquam in conſpectu tuo cor meum: & ad Sacerdotis miniſtri tui pedes proſtratus, in amaritudine animæ meæ, & copioſis oculorum lachrymis integram, ſimplicem & perfectam omnium peccatorum meorum ſolius tui amoris intuitu faciam confeſſionem: concipiamque firmiſſimum emendationis propoſitum, ſolicitus fugere omnes relabendi occaſiones.

ORATIO VII. AD FIDEI DOnum à Deo petendum.

Fides. O Lux animæ meæ clariſſima, quæ à ſuprema oritur luce: ô veritas infallibilis, quæ ab æterna ſummaque oritur verita-

te, quæ Deus est, qui solus comprehendit, quidquid in diuino suo clauditur pectore, & solus in secretis suis mysterijs dignus est fide: Sequatur, ô Domine, anima mea in medijs ignorantiæ tenebris, & in media huius vitæ nocte constituta, fidei tuæ sanctæ ductum & lucem, qua credam quæ non video: certum sit mihi quod credo, quantumuis sit obscurum & absconditum.

Credam igitur ô gloria & beatitudo mea, quicquid de tua natura, de tua gloria, de tuis proprietatibus, & trium Diuinarum personarum in eadem essentia distinctione, de verbi æterni cum humana natura coniunctione nobis reuelasti: & cætera omnia mysteria profundissima quæ aperuisti, & dilecta tua sponsa (optima illorum omnium custos & conscia) Ecclesia Romana nos docet. Hanc ego semper magistram & matrem agnoscam, huius vocem audiam, huius doctrinam sequar. Et quoniam fides dum viua est, operatur, faciam ego opera vitæ ad meæ fidei testimonium. Ne quid in tuo conspectu (quem fides eadem vbique docet esse præsentem, verumque viuorum ac mortuorum iudicem) faciam quod in alterius mortalis conspectu facere erubescerem: sed vt tremam in eo statu viuere, in quo mori non libet. Amen.

FERIA SECVNDA.

ORATIO I. DE LAVdibus Dei.

Laus Dei. CVM tanta in me ſint quæ timoris, & lachrymarum materiam præbeant, expediebat Domine Deus, vt in hoc Sancto pœnitudinis exercitio totius vitæ curſum exigerem. Attamen magnitudo gloriæ tuæ non ſolùm nos obligat vt te adoremus, omniq́ue reuerentia colamus, ſed etiam vt laudemus & glorificemus. Te enim decet hymnus in Syon, cùm reuerà ſis inſtar pelagi omnium perfectionum, nempè ſapientiæ, omnipotentiæ, pulchritudinis, diuitiarum, magnitudinis, ſuauitatis, Maieſtatis, in quo omnium creaturarum tam cœleſtium quàm terrenarum perfectiones ſummo prorſus gradu elucent. Cuius comparatione omnis pulchritudo deformitas eſt, omnes diuitiæ, inopia ſunt, ſummaq; paupertas, omne robur debilitas, omnis ſapientia ignorantia, omnis dulcedo amaritudo. Denique quidquid vel in cœlis ſuprà, aut infrà in hoc mundo reſplendet, minus coram te eſt, quàm lumen candelæ in conſpectu ſolis. Tu ſolus ſine deformitate perfectus exiſtis, magnus ſine quãtitate, bonus ſine qualitate, fortis ſine debilitate, vbiq; locorum abſque loco, infinitus magnitudine, virtute omnipotens, bonitate ſummus, ſapiẽtia inæſtimabilis. In conſilijs terribilis, in iudicijs iuſtus,

in cogitatione ſecretus, verax in verbis, in operibus Sanctus, miſericordia copioſus. Erga peccantes patiens, & pœnitentes pius. Talem ergo Domine te confiteor, & vt talem laudo, ac glorifico nomen Sanctum tuum. Infunde lumen cordi meo, & da ſermonem ori meo, vt cogitem gloriam tuam, & dignè annunciem laudem tuam. Sed quia hæc in ore peccatoris ſpecioſa eſſe nequit, hinc cœleſtes Angelorum choros, omnemque creaturam qua poſſum humilitate inuoco, & cantico illo glorioſo, quod Sancti illi pueri in medio ignis Babylonici decantabant inuito: vt te mecum exaltent, ſuppleantque, quod meæ deeſt infirmitati, dicentes:

BEnedictus es Domine Deus Patrũm noſtrorum, & laudabilis, & ſuperexaltatus in ſecula. *Dan. c. 8.*

Et benedictum nomen gloriæ tuæ ſanctum, & laudabile, & ſuperexaltatum in omnibus ſeculis.

Benedictus es in templo Sancto gloriæ tuæ, & ſuperlaudabilis, & ſupergloriosus in ſecula.

Benedictus in throno regni tui, & ſuperlaudabilis, & ſuperexaltatus in ſecula.

Benedictus es, qui intueris abyſſos, & ſedes ſuper Cherubin, & laudabilis, & ſuperexaltatus in ſecula.

Benedictus es in firmamento cœli, & laudabilis, & glorioſus in ſecula.

Benedicite omnia opera Domini Domino, laudate, &c.

Benedicite Angeli Domini Domino.
Benedicite cœli, & aquæ omnes quæ ſuper cœlos ſunt Domino.
Benedicite omnes virtutes Domini Domino, laudate &c.
Benedicite ſol & luna Domino, laudate, &c.
Benedicite ſtellæ cœli Domino, laudate, &c.
Benedicite imber & ros Domino, laudate, &c.
Benedicite omnis ſpiritus Dei Domino, laudate, &c.
Benedicite ignis & æſtus Domino, laudate, &c.
Benedicite frigus & æſtas Domino, laudate, &c.
Benedicite rores & pruina Domino, laudate & ſuperexaltate eum in ſecula.
Benedicite gelu & frigus Domino, laudate, &c.
Benedicite glacies & niues Domino, laudate, &c.
Benedicite noctes & dies Domino, laudate, &c.
Benedicite lux & tenebræ Domino, laudate, &c.
Benedicite fulgura & nubes Domino, laudate, &c.
Benedicat terra Dominum, laudet & ſuperexaltet eum in ſecula.
Benedicite montes & colles Domino, laudate, &c.
Gloria Patri, &c.

ORATIO II. AD PETENDAM à Deo veritatis cognitionem.

AMor meus Sancte, veritas æterna, Da mihi quæso huius veritatis amorem. Splendeat illa in corde meo, in verbis, in operibus meis: vt sollicitè impleam, quæ voui tibi, & quæ promisi hominibus, iuxta sanctissimam tuam voluntatem. Tanti hanc æstimem veritatem, vt nihil sit, quod me possit ab illa diuellere: non aliorum in me propensio, non alienatio: non fauor, non offensio: non timor, non spes: non aliud quiduis, quod turbare solet, aut etiam debile cor nostrum expugnare. Nihil inquam, tantum apud me valeat, quod à tuæ veritatis confessione, propugnatione; ac defensione desistere, aut minùs candidè cum hominibus agere, aut promissis non stare me faciat.

ORATIO III. AD PETENDAM à Deo Religionis vitæve spiritualis studium.

COncede mihi quæso Domine IESV Christe, diuinum spiritum tuum, quo tandem tuus esse, religiosam vitam ducere, & verè spiritualis esse incipiã, fac me id plenè intelligere, ex me ipso nihil me boni præstare posse, vt omnem à me præsumptionem abijciam: in te verò posse me omnia: ne ita deficiam in me, quin confidam in te.

Occuper semper in vilitatis, ac profundæ miseriæ meæ attenta meditatione: cognoscam quid tandem essem, nisi manu tua sustentarer: vt sic me in tuo conspectu magis humiliem. Attendam item rationi, quam de diuinis tuis donis, deque grauissimis, & innumerabilibus peccatis meis tibi sum redditurus: timeamque ne tremam diuina tua & occulta iudicia. Æqua animi gratitudine læta suscipiam & aduersa: cum eodem vtraque amore, paternisque visceribus à te mihi mittantur: subijciatur omninò spiritui caro mea, & huius intuitu omnem asperitatem amplectatur, & pœnitentiam: repellat verò mollitiem omnem, delitias omnes. Eò verò maiorem animæ, quàm corporis curam geram, quò illa hoc est dignior ac nobilior. Hæc mea sit occupatio, hoc studium. Hæc vera sitis, tibi vniri, te frui, excutere quidquid priuare, aut diuellere me potest à tua gratia, & secreta, dulcique familiaritate tua.

Contemplatio.

ORATIO IIII. AD PETENDVM à Deo Contemplationis donum.

QVomodo ô Domine, & omne bonum meum, effunditur cogitatio mea, & per omnes creaturas liberè diuagatur? quomodo obnubilatur, & obscurescit vmbris vanitatum? cur non potiùs ad te accedit & amplectitur? Quid nouit anima mea, si te, qui totum eius es bonum, non nouit?

Quòd si te ignorat, quomodo amabit? quomodo desiderabit? quomodo laborabit pro assequendo te, aut consequetur, quem non desiderat, aut eo fruetur, aut possidebit? O ergo beatitudo, & afflictæ animæ meæ requies, ingredere tu illam quæso, & tecum illam trahe. Tædio mihi sunt omnia in hoc mundo, grauisque miseriæ huius vitæ sarcina: suspiria ex intimis ducam visceribus, affectu & dulci desiderio tui, ac cerui instar vulnerati & sitientis ad viuarũ curram fontem aquarum, omnes conculcans curas & molestas sollicitudines eius, quod non es tu: pendeamque semper & absorbear ineffabili ac suauissima tui contemplatione.

ORATIO V. AD PETENdam à Deo Maturitatis virtutem.

COlligantur quæso Domine, affectus omnes, sensus, & facultates animæ meæ in te, vt ea sic vnita, non diuidatur, aut sese ad vanitatem & multitudinem creaturarum abijciat. Cumque planctus risui præstet, cuius nobis ipse fuisti exemplo, tunc me fœlicem existimem, cùm te in lachrymis, pœnisque imitatus fuero: sitque mihi afflictio ipsa consolationi, pignusque beatitudinis & æternitatis: fugiat cor meum leuitatem, & omnem dissolutionis materiam, risum, vanaque solatia: omnes sensuum meorum claudãtur ianuæ, ad cuiusuis creaturæ ingressum: tibi soli DEVS meus *Maturitas.*

& creator, pateant, & sic in tuam transmuter immutabilitatem.

ORATIO VI. AD S. SIMplicitatis à Deo petendum Spiritum.

Simplicitas

DEVS simplicis cordis amator hominum, quibus tua facilè secreta communicas, tribue mihi columbinam simplicitatem, cum serpentina prudentia coniunctam, simulque gratiam, qua multitudinem implicationemque rerum inferiorum euitans, illud vnum eligam, partemque optimam & securissimam, quia tu Deus es, & omnia in omnibus, & omne bonum meum quęram. Amem ex corde sanctissimam tuam legem, eiusdemque me præceptis subijciam: gaudeam de bonis proximorum, doleam de malis: cogitem de omnibus benè: cùm quid affirmauero, id simplici voce, est: cùm negauero, voce, non, vtar, abhorream fugiamque fictum omne, & duplex cor.

ORATIO VII. AD SILENTII virtutem à Deo petendam.

Silentium.

IMpone Domine frænum linguæ meæ, & non solùm ab illicitis & inutilibus verbis abstineat, sed licitis etiam & vtilibus vtatur moderatè. Et quoniam difficile est feram hanc mea virtute mitescere, & serpentis huius venena impediri: eam tu, Domine comprime, tuaque gratia purifica: vt ea in-

fræna-

frænata, recolligatur & quiescat in te cor meum. Fac me profundissimum sanctissimumque illud tuum silentium imitari, quo etiam ab iniquo iudice de calumnijs, & falsis tibi impositis accusationibus, tanquàm mutus, ô verbum æternum tacuisti, nec te excusare, nec mortem responso tuo differre voluisti. Quando verò loqui me sit necesse, fac me omnes leges, & circumstantias requisitas obseruare, ac ita proloqui, vt verba mea tibi inprimis placeant: animam verò meam non lædant, aut scandalizent proximum.

FERIA TERTIA.

ORATIO I. IN QVA DEO pro acceptis beneficijs aguntur gratiæ.

Ludo. Gran.

Gratitudo.

GRatias ago tibi, Domine Deus, pro vniuersis beneficijs & gratijs in me collatis, iam inde à primo die quo in vtero matris meæ conceptus sum, vsque in hanc horam præsentem, & pro amore tuo singulari, quo ab æterno me dilexisti, statuendo me creare ad imaginem tuam, tum redimere, totumque tuum facere, & ea omnia largiri, quibus hactenùs ornatus sum. Omnia quippe quæ in me sunt, quæque firma spe expecto, tua sunt. Tuum est corpus hoc, tua sunt membra singula & sensus, tua est anima mea, & omnes quibus prædita est facultates: omnes horæ & momenta quibus ha-

ctenùs vixi, tua sunt, tuæ sunt vires, & salus mea, tuum est cœlum & terra, quæ me susten tant. Tuus sol, luna, stellæ, campi, aues, pisces, animalia, cæteræque creaturæ, quæ te iubente seruiunt mihi. Hæc omnia tua sunt Domine Deus meus, idcirco quas maximas valeo, gratias ago: sed multò maiores reddo, eò quòd ipse meus esse voluisti: totum enim te pro me obtulisti, & in remedium meum impertiuisti. Amore mei carne te humana vestiuisti, propter me in stabulo nasci voluisti, pannis inuolui, octauo die circumcidi, in Aegyptum relegari, multis modis tentari, persequutiones pati, propter me malè excipi, flagellari, spinis coronari, iniurijs & ignominijs excipi, ad mortem damnari, cruci affigi. Propter me ieiunasti, orasti, noctes insomnes duxisti, lachrymas copiosissimè fudisti, inaudita tormenta & dedecora subijsti propter me, sacramẽtorum tuorum medicamenta instituisti, confortans me liquore tui pretiosissimi sanguinis, sanctissimaque carne tua in Eucharistiæ sacramento me nutriens, in quo tu Deus meus es, vt me protegas, vt me sustentes, vt me fortifices, vt me oblectes, in quo spei meæ pignus, & tesseram amoris tui accipio. Pro his omnibus gratias ago tibi quàm possum maximas, dicens ex intimo corde meo cum Regio Propheta.

Psal. 102. BEnedic anima mea Domino, & omnia quæ intra me sunt nomini sancto eius. Benedic anima mea Domino: & noli ob-

liuisci omnes retributiones eius.

Qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis, qui sanat omnes infirmitates tuas.

Qui redimit de interitu vitam tuam: qui coronat te in misericordia & miserationibus.

Qui replet in bonis desiderium tuum, renouabitur vt aquilæ iuuentus tua.

Faciens misericordias Dominus, & iudicium omnibus iniuriam patientibus.

Notas fecit vias suas Moysi: filijs Israel voluntates suas: Miserator & misericors Dominus, longanimis, & multum misericors.

Non in perpetuum irascetur, neque in æternum comminabitur.

Non secundùm peccata nostra fecit nobis: neque secundùm iniquitates nostras retribuit nobis.

Quoniam secundùm altitudinem cœli à terra corroborauit misericordiam suam super timentes se.

Quantum distat Ortus ab Occidente: longè fecit à nobis iniquitates nostras.

Quomodo miseretur pater filiorum, misertus est Dominus timentibus se: quoniam ipse cognouit figmentum nostrum.

Recordatus est quoniam puluis sumus, homo sicut fœnum dies eius, tanquàm flos agri sic efflorebit.

Quoniam spiritus pertransibit in illo, & non subsistet, & non cognoscet ampliùs locum suum.

Misericordia autem Domini ab æterno, & vsque in æternum super timentes eum.

Et iuſtitia illius in filios filiorum: his qui ſeruant teſtamentum eius, & memores ſunt mandatorum ipſius, ad faciendum ea.

Dominus in cœlo parauit ſedem ſuam, & regnum ipſius omnibus dominabitur.

Benedicite Domino omnes Angeli eius potentes virtute, facientes verbum illius, ad audiendam vocem ſermonum eius.

Benedicite Domino omnes virtutes eius, miniſtri eius, qui facitis voluntatem eius.

Benedicite Domino omnia opera eius, in omni loco dominationis eius, benedic anima mea Domino.

Gloria Patri, & Filio, &c.

ORATIO II. AD GRATITVDInis affectum à Deo petendum.

APeri mihi Domine, qui ſis, qui tot beneficijs me velut irretis & circundas: nec dona ipſa tantùm, ſed teipſum in illis mihi communicas. Quid ab egena hac, & quæ vix eſt digna inter viliſſimos terræ vermiculos computari creatura, effuſa hac tua liberalitate prætendis? Augebitur fortè gloria tua ex hoc quòd te amem? Puriſſimum omninò deſiderium tuum de noſtro bono promouendo, & immenſa illa æternaque bonitas tua te vrget Domine, vt teipſum communices homini, quò ad te illum pertrahas, tuiq; ac beatitudinis tuæ participem facias. O itaque omne bonum meum, ſubmergar quæſo in hac tuæ bonitatis, meæque indignitatis ac vilitatis abyſſo: agno-

ſcam meam nihilitatem, & donorum tuorum magnitudinem, certuſque ſim, non minoris mihi æſtimanda quæ triſtia videntur, quàm ipſa lætiſſima; non minus quæ tribulationem, quàm quæ afferunt conſolationem: cùm omnia à benedictiſſimis iſtis manibus tuis mihi proueniant. Vtar illis ritè vt par eſt, exque ſincero & humili corde gratias pro illis agam.

ORATIO III. AD PETENDAM à Deo Humilitatem.

SVauiſſime ac dulciſſime IESV, qui cùm eſſes Deus æternus, te ipſum tamen humiliaſti, & noſtræ carnis vilitatem induiſti, in qua veræ humilitatis nobis eſſes magiſter ac concionator: Da mihi Domine, quod admirabili hoc tuo exemplo doctrinaque docuiſti. Quò verò theſaurum hunc abſconditum obtineam, inſere quæſo cordi meo meiipſius cognitionem, quæ vera eſt humilitatis radix ac fodina, fac me omnem repellere honorem, cùm meus non ſit, ſed tuus: ad omnium me pedes abiicere, & ab omnibus deſpici optare, qui omnium ſeruorum tuorum, imò & eorum, qui me nequiores eſſe videntur, ſim viliſſimus; vt qui reipſa omnibus illis deterior fuiſſem, niſi me tua manus ſuſtentaſſet: & ſi illi à te dona, quæ ego accepi, obtinuiſſent, maiori illi gratitudine, quàm ego, reſpondiſſent. Et ſiquidem ad humilitatem viam ſternit humiliatio, fac me magni æſtimare, & amplecti, quidquid me poteſt ad *Humilitas.*

illam obtinendam iuuare. Fugiat anima mea vanam omnem complacentiam, nec paruam aliorum æstimationem, propriæ appetitum, cordis leuitatem, oculorum agilitatem, & quicquid interius aut exterius superbiam sapit, aut vanitatem, admittat: vt sic humiliatus, & tua gratia verè humilis effectus, illam merear consolationem quàm verè humiles habere consueuerunt.

ORATIO IIII. AD IVSTITIAE virtutem à Deo petendam.

Iustitia.

DOmine IESV Christe, qui iustus noster es, & iustitia nostra, concede, obsecro, mihi gratiam tuam, qua nouerim laudis tibi sacrificium propter id quod in teipso es, offerre, & propter omnia beneficia, quæ in me liberalissimè contulisti, & propter omnia quæ mei gratia operatus & passus es.

Defleam quæso peccata, quæ in te admisi: negligentiamque meam in legitimo pretiosissimorum donorum tuorum vsu. Seruem & vota mea, & mandata tua: tantaque attentione & sollicitudine in quocunq; tuo opere solius tui amoris occuper intuitu, atque si ex illorum singulis tota mea felicitas, omneque bonum meum dependeret. Ne quæso in proximum meum, eorum quicquam admittam, quæ iuxta iustitię leges nollem in me admitti: & contra quicquid ex iustitia mihi fieri vellem, id etiam faciam in proximum. Extendatur etiam Domine iusti-

tia mea in eos, qui sunt vita functi, exequendo quæ illorum nomine præstare mihi incumbit, & illorum (quod in me est) pœnas, quas in Purgatorio luunt, bonis præstitis operibus eleuando. Obediat verò nõ minus anima mea consiliis & admonitionibus sancti Angeli custodis mei: ęquũ est enim tam sollicito Duci, pædagogo & magistro meo, qui omnia mihi procurat bona, promptã à me obedientiã, & humilem reuerentiã exhiberi.

ORATIO V. AD LIBERALItatis virtutem à Deo obtinendam.

Concede mihi, quæso, liberalissime Domine gratiam, qua immensam illã tuam largitatem imiter, qua tuis omnibus creaturis te ipsum communicas. Esse illis das, & conseruas, in actionibus suis illas iuuas, imò & eisdem cooperaris: & in omnibus illis ineffabili quodam modo te ipsum homini tradis, eundem carnis & sanguinis dilectissimi filij tui participem reddis: & super ipsum hostes tuos infensissimos, quo ipsi tempore te oppugnant, dona noua gratiasq; nouas (etiamsi præuideas eisdem illos ad uersum te abusuros) velut pluis largissimè: Cùm tu itaque Domine, adeò sis effusus, & veluti bonorum tuorum dissipator, cur non ego, quæ mea nõ sunt, sed tua, & in eũ finem mihi concessa, vt illis tibi fideliter seruienti noua semper conferas beneficia, fiasq; mihi ipse tuorum donorum præmium, cur in quã, *Liberalitas.*

illa

illa non dispergam omnia iuxta tuam volũtatem? Quę maior mihi gloria esse potest, atque si tibi similis & conformis appaream? Ex hoc igitur Deus meus, & Rex meus, me tibi totum consecro, & tui amore etiam in vsum proximorum offero temporalia & spiritualia, fortunas, consilium, verba, opera, sanitatem, & (si opus erit) vitam ipsam, ad gloriam sanctissimi nominis tui, & eorũ vtilitatem, quos tu Domine, sanguine proprio, vitaque impensa redemisti.

ORATIO VI. AD FORTITUDINEM À DEO IMPETRANDAM.

Fortitudo. QVàm debilis est, Domine, is qui sibi ipsi, quàm contra fortis, qui tibi innititur? Qui vel semel spiritus tui gustat dulcedinem, quàm fortis euadit, siue ad operandum bene, siue ad patiendum mala? ad resistendum carnis mollitiei, ad ferendos duros & ictus aduersos? Corrobora, ô Domine, animam meam, ac tuæ fortitudinis ac protectionis muni præsidio, quo ita sui ipsius euadat Domina, vt si quando veteris Adami senserit inordinatos motus, consentiat tamen nunquam. Comprime, Deus meus, omnia membra sensusque meos, linguam præcipuè quæ non potest sine gratia tua domari, indomita verò ignis est exardescẽs, origo & fons magnorum malorum. Fige Domine, meum in tua luce intellectum, affectum in amore: & conforta cor meum ne terreatur aduersis,

neve profperis infolefcat. Poffide Domine inferiorem meum hominem, ne vnquã exequendis iis, quæ tibi funt grata, fatigetur, aduerfisve deficiat, cùm hæc eadem, veram folidamque virtutem & comitari, & excitare cõfueuerint.

ORATIO VII. AD VERAM hominis libertatem à Deo petendam.

QVid eft, Domine Deus, quod cùm me adeò liberũ creaueris, vt nemo poffit vim vllam meæ inferre voluntati, & pretiofiffimo tuo fanguine ab ea, in quam, exigentibus meis peccatis, captiuitate incideram, redemeris, ac fanctiffima tua gratia me corroboraueris, & munieris, tam malè hac tanta vtar libertate, vt & peccati, & ipfius fathanæ mancipium meipfum conftituã, propriis vinctum appetitionibus: quæuis enim laus me extollit, deiicit ignominia, vana excæcat complacentia, corrodit inuidia, omnia denique peritura guftu fuo falfo, & fallaci blanditie captiuant cor meum. Nihil facere aliud videor, quàm te quotidie offendere, & perfuafus libertatem meam in eo confiftere, vt propriæ femper acquiefcam voluntati, habenas propriis appetitibus laxo, & incido mifer in tot dominorum captiuitatem, quot funt illa quæ diligo inordinatè. O igitur liberator meus, fine quo nemo eft verè liber, hãc mihi veram ac perfectam libertatem concede: aufer peccata, quæ illa me *Libertas Spiritus.*

ſpoliant, meque tibi coniunge, vt ignem obedientiæ tuæ diligam, ac intelligam, tunc fore me verè liberum, cum ſanctiſſimæ legi tuæ omninò ſubiectus ero.

FERIA QVARTA.

ORATIO I. IN QVA PETItur amor Dei, ac charitas.

Ludoui. Granat. Amor Dei.

SI obligatio qua benefactoribus noſtris pro acceptis beneficiis deuincti ſumus, tāta ſit, & ſingula beneficia quaſi titiones, & amoris incentiua, ſi iuxta multitudinem lignorum, ignis qui ex iis prodit, excreſcere ſolet, quantum ò Domine amoris ardorem in corde meo naſci par eſt, cùm tot habeam quaſi ligna beneficiorum, ac veluti faculas amoris tui? Si totus hic mundus tam viſibilis, quàm inuiſibilis in mei gratiam factus eſt, an non meritò flamma quæ ex illo exurgit, tanta eſſe debet, quantus eſt ipſe mundus? Atque hoc tanto magis, quia in te ſolo reperiuntur omnes amandi cauſſæ ac rationes, quæ in cunctis ſunt creaturis, & ſingulæ quidem in ſummo perfectionis gradu. Si namque bonitatem conſideremus, quis te melior inuenitur? Si pulchritudinem, quid te ſpecioſius? Si ſuauitatem ac benignitatem, quis te ſuauior magiſque benignus? Si diuitias ac prudentiam, quis te ditior atque prudentior? Si de amicitia agas, quis æquè amauit atque ille, qui tanta noſtri cauſſa paſſus

eſt?

eſt? Si de beneficiis, cuius ſunt omnia quæ poſſidemus, niſi tua? Si de ſpe atque fiducia, à quo ſperemus ea quæ nobis deſunt, niſi à miſericordi manu tua? Si tantus eſt amor quo naturæ ductu in parentes ferimur, quis magis pater dicendus eſt, quàm ille qui ait: Patrem nolite vocare vobis ſuper terram, eſt enim pater veſter, qui in cœlis eſt: ſi tanto amore diligantur ſponſi, quis eſt ſponſus animæ meæ, niſi tu? aut quis replebit ſinum cordis mei, & deſideria mea ſatiabit, niſi tu Domine? Si de vltimo fine ſermo eſt, quem aiũt philoſophi infinito amore diligi, quis principium & finis meus, niſi tu? Vnde enim originem traxi, & quò vt perficiar vadam, niſi ad te, & in te? A quo eſt omne id quod habeo, & à quo ſpero me accepturum ea, quæ deſunt, niſi à te? Denique ſi amoris cauſſa eſt ipſa ſimilitudo, ad cuius imaginem & ſimilitudinem anima mea creata eſt, niſi ad tuam? Hoc ipſum ex modo, quo operando vtitur, luce clarius conſtat. Vbi enim eſt ſimilis agendi ratio, ibi par eſt exiſtendi modus. Atque ob hanc coniunctionem quæ inter te, & hominem reperitur, aptiſſimè dixerunt philoſophi eidem, artem, ipſam naturam, atque vice verſa, naturam, artem imitari, eo quòd homo vt Deus operetur, & Deus vt homo. Vbi ergo tanta eſt in operatione conformitas, non diſſimilis eſſe debet exiſtendi modus. Age, ſi ſolus iſte titulus, & ſinguli ſupradictorum ſint ſoli per ſe amoris incentiua, quale debet eſſe id, quod ex omnibus illis ſimul iunctis deriuabitur? Certè quantum

Matth. 23.

vaſtum

vastum pelagus, singula quæ in ipsum intrāt flumina superat, tantùm hic amor cęteros omnes antecellere debet. Si porrò tot mihi suppetant Domine diligendi rationes, cur te non amem toto corde, ac intimis visceribus meis? O tota fiducia mea? O amantissime super omnia amata? O sponse floride, sponse suauis, sponse melliflue? O amabile principium meum, & summa sufficientia mea? Quando te amabo omnibus viribus, & ex tota anima mea? quando tibi in omnibus placebo? Quando morietur in me quicquid tibi contrarium est? Quando totus ero tuus? quando desinam esse meus? Quando præter te nihil in me viuet? Quando me depascent amoris tui flammæ? Quando violenter trahes? Quando immerges me, & totum in te transferes? Quando fœlicem illum videbo diem, quo sublatis omnibus impedimentis & perturbationibus, facies vt vnus spiritus tecum sim, nec in posterum à te diuellar? Ah Domine quanti constitit tibi beneficentia in me tua? Quanta aufers ex domo tua? Quantorum bonorum tuorum iacturam facis? Quare Domine cùm sis infinitæ liberalitatis & clementiæ pelagus, detines in ira tua misericordias tuas erga me? Quare iniquitates meæ tuam vincent bonitatem? Cur potius culpa mea caussa erit meæ damnationis, quā bonitas tua saluationis? Si dolorem ac animi pœnitudinem requiris, certè ita me pœnitet Maiestatem tuam offendisse, vt malim me millies mortem oppetiisse, quàm vel vnum crimē aduersus te commisisse. Si satisfactio-

nem,

nem, offero tibi hoc miserabile corpus meum, in quod omnem furorem iræ tuæ liberè ſtringas, tantùm ne deneges mihi amorem tui. Non aurum vel argentum poſtulo, imò neque cœlum, neque terram, nec aliquid aliud creatum, hæc enim abſque te animum nequeunt ſatiare meum. Omnia mihi abſque te egeſtas ſunt. Amorem quæro, amorem efflagito, ob tui amorem langueo & ſuſpiro. Da mihi amorem tuum & ſufficit. Quouſque Domine hanc gratiam differs? Cur me nocte dieque affligi permittis, & non ſuccurris? Quamdiu Domine, quamdiu obliuiſceris mei? Quamdiu auertes faciem tuam à me? Quamdiu inter tot anxietates, ac deſideria fluctuabit anima mea? Reſpice Domine, & oculos miſericordiæ tuæ ad me conuerte. Non equidem portionem illam quæ filiis in abundantia dari ſolet, peto, at ſola mica quæ de menſa tua cadet, contentus ſum. Ergo me vt pauperem & famelicum catulum coràm diuite menſa tua præſento. Hîc intuebor vultum tuum, conſiderando quo geſtu ipſemet edis, & filios tuos cœleſtis tuæ gloriæ cibo paſcis. Hîc ſubſiſto, & cor meum in mille transfero formas, vt cor tuum ad miſericordiam flectam. Nõ me ſatiant Domine res vllæ vitæ huius, te ſolum deſidero, te ſolum quæro, faciem tuam exopto, ad tui amorem ſemper & vbique aſpirabo, ac cum Propheta cantabo, dicens:

Diligam te Domine fortitudo mea: Dominus firmamentũ meum, & refugium meum, & liberator meus. Deus meus, adiutor *Pſalm. 17.*

meus, ſperabo in eum: protector meus, & cornu ſalutis meæ, & ſuſceptor meus. Laudans inuocabo Dominum: & ab inimicis meis ſáluus ero.
Gloria Patri, & Filio, &c.

ORATIO II. AD PETENdam à Deo Charitatem.

Charitas. ÆTerna Charitas, ac bonitas infinita, in qua omnes ſancti amoris cauſſæ continentur: propter immenſum & incomprehẽſibilem illum amorem, quo me ab æterno proſecutús es, peto, eundem vt animæ meæ infundas, quo te nullo mei intuitu priuatave commoditate, ſed propter temetipſum purè amem. Fac me ſupereminentem iſtam tuam, & inæſtimabilem charitatem imitari, qua Solis vim naturaliter ſuam lucem ſpargentis, infinito interuallo excedens te ipſum & diuina dona tua, nullius proprij emolumenti aut vtilitatis intuitu communicas. Fac me, Domine, mandatis tuis ſanctiſſimis, & iuſtiſſimis, omni reuerentia, & ſollicitudine parere: quorum obſeruantia manifeſtum eſt gratiæ tuæ, & diuini tui amoris indicium. Gaudeat anima mea, gratiasq́; tuæ agat maieſtati pro iis omnibus, quæ eidem placent: triſtetur verò ſemper pro iis, quæ diſplicent & offendunt. Amem item & proximum meum Domine in te, pro te, & propter te: & ex iis quæ mihi aut quæro, aut à me reiicio: diſcam, quæ illi vel optare debeam, vel auertere. Benè illi velim, qui vult mihi malè, quia

id tibi gratum est. Vincam beneficiis eum, qui est in me iniquus. Nouerim ex inimici persecutione, quàm ex amici beneuolentia potiùs fructum capere: compati patienti, cõgaudere gaudenti, vt qui eiusdem sit mecum naturæ, & tuæ similitudinis ac imaginis, & tu ipse ita fieri iubes, immortalique gloria afficis eum, qui te in hoc dulcissimo amore imitatur, & ostendit operibus ipsis se filium tali patre dignum.

ORATIO III. AD PETENdam à Deo virtutem Concordiæ.

FAC me quæso Domine, vnum tecum coniunctione vera meæ cum tua voluntate Concordiæ, velleque semper quod tu vis in prosperis & aduersis: imitari etiam te, tuosque diuinos mores in iis, quæ vilis ego creatura tua possum & debeo, Iesu Christi filij tui Domini nostri me exemplis sedulò conformando. Fac me etiam cum hominibus eandem habere concordiam, vt nulli vmquam dans iustam querelæ occasionem, sed omnibus omnia factus, omnes tibi lucrifaciam. Examinem semper occultos cordis mei angulos: ne mihi proprius amor imponat, & falsa decepto securitate persuadeat grata esse tibi mea opera, quæ sunt fortè ingratissima. Hoc denique meum sit studium, emendare ac perficere vitam meam: diuina tua iudicia, factaque reuereri: aliorum me iudicio submittere: quo veræ cõcordiæ fructu, *Concordia.*

tam erga te, quàm erga proximum frui semper valeam.

ORATIO IIII. AD COMpassionis affectum à Deo petendum.

Compaßio. PER excellentissimam illam Domine viscerum tuorum compassionem, qua nostris compassus malis, multò illa fœliciùs, quàm nos ipsi vel optare possemus, reficis ac reparas: quaque ipsas miserias nostras suscepisti, vt in crucis ligno, quæ pro nostris peccatis debebamus, ipse persolueres: humillimè supplico, vt vero dolore transfigas cor meum propter omnes offensiones, quæ tam in te, quàm in seruos tuos, in misero hoc admittuntur mundo: & propter afflictiones, siue corporis, siue animi, quibus proximi omnes mei afficiuntur, sentiamque ego dolorem de ipsorum dolore, instar membri vnius, quod alteri compatitur: idque non erga amicum modò, sed erga hostem quoque meum amoris tui præstem intuitu, si quidem omnes fratres sumus, & filij tui, veri ac cœlestis patris. Compatiar etiam animabus, quæ horrendis purgatorij pœnis tuæ iustitiæ satisfaciunt pro peccatis in hac vita commissis, nec priùs diuino tuo donantur conspectu, & amplexibus iucundissimis, nec laudare te tam perfectè possunt & intensè, atque facerent in cœlo, donec sint ex omni parte mundatæ.

ORATIO V. AD MVNDI contemptum à Deo petendum.

BEnigniſſime & dulciſſime Domine IESV Chriſte, quem ſtultus & infidelis mundus, tantis affecit iniuriis & ignominiis, concede mihi, quæſo, eundem vt agnoſcam, & ſimul contemnam. Ne ipſius me deliciæ emolliant, ne decipiant promiſſa, ne iudicia commoueant, terreantque minæ, ne dicta ipſius aut facta, fauor aut inuidia in cauſa ſint, cur vel latum à te vnguem diſcedam. Omnia ipſius arbitrer vt ſtercora, vt tuam cõſequar gratiam, tibi ſim ſeruus, tecum viuam, ſemperque fruar. *Contemptus mundi.*

ORATIO VI. AD PETENdam à Deo Conſtantiam.

QVID mihi, ô Domine, benè cœpiſſe prodeſt, ſi ſtatim ac leuiſſima occaſione deſiſtam, nec in benè cœptis conſtans perſeuerem? Ah quàm facilè deliciis emollior, timore deterreor, ſpe falſa decipior, & ventulo mouis rapior, & à te procul diuellor? Cur non me ad laborandũ, & pro te moriendum mouent tot cõſtantiſſimorum martyrum exempla? qui dum tui gratia mortem ſuſtinuerunt, ipſam vitam ſunt adepti. Cur tot delicatiſſimarum virginum virtute & cõſtantia, quæ in carne debili mundum vicerunt, ac de morte, peccato, & ipſo triumpha- *Conſtantia.*

runt inferno, non corroboratur cor meum? ô Deus meus, quî fit, quod nec confundar, nec erubescam, cùm & iniquorum videam in te offendendo obstinationem, & arctissimam cum suis vitiis & sceleribus coniunctionem: (ex quibus tamen non nisi maximã inquietudinem, cõscientiæ remorsum, æternam mortem, & turpissimam hauriunt corruptionem) & meam in tui dilectione & laudibus (ex quibus te tuaque immortali gloria fruar) remissionem & inconstantiam?

ORATIO VII. AD PETENdam virtutem discretionis.

Discretio. QVIS possit Domine tempestuosum hoc mare à profunditatis altitudinisque periculosis extremis nauigare securus, nisi nauem ipse Sanctæ discretionis dirigas gubernaculo? Hæc enim discretio est illud sal, quod omnibus sacrificiis adhiberi voluisti: hæc mensura, omniumque regula virtutum, hæc actionum bonarum perpendiculum: hæc initium, medium, finisque omnium eorum quæ grata sunt tibi, sine qua vitium est, quod virtutis specie tegitur, & oculis tuis abominabile, quod apud homines alicuius est pretij. Da igitur mihi, Deus meus, thesaurum hunc, ducem & magistrum omnium virtutum: & fac me inprimis cognoscere & æstimare, quid inter te creatorem meum, & reliquas creaturas intersit. Deinde ne in meis actionibus mihi, sed aliorum potius con-

ſilio virorum præcipuè ſpiritualium, prudentumque deferam,& vt ipſi lapſus qui mihi contingunt, interdum experimento mihi ſint & admonitioni, vt in poſterum caueam diligentiùs.

FERIA QVINTA.

ORATIO I. DE CONFIdentia in Deum.

DOmine Deus meus, omnes rationes quę me ad amorem tui obligant, etiam in te ſperare me compellunt. In quem enim ſperare debeam, niſi in eum qui me tam tenerè diligit: niſi in eum qui me tot beneficiis cumulauit: in eum qui tanta pro me paſſus eſt: in eum qui me toties vocauit, tanto tempore expectauit, mihi pepercit, & ab omni malo liberauit: in quem ſperabo niſi in eum qui eſt infinitè miſericors, pius, amabilis, benignus, patiens, & qui tam promptus eſt ad ignoſcendū: In quem ſperabo niſi in eum, qui eſt pater meus, & pater omnipotens: pater vt amet me, & omnipotens: vt opem ferat meæ neceſſitati: pater, vt benè mihi velit: omnipotens vt poſſit mihi benefacere: pater cui maior cura eſt, & prouidentia de ſuis filiis ſpiritualibus, quàm alicui patri de filiis carnalibus: in quem denique ſperabo, niſi in eum, qui in omnibus ferè ſcripturis ſuis mihi præcipit, vt appropinquem illi, ſperē in illo, & qui ſic agentibus millies fauoré, mercedemq; promittit? Et ad cōfirman-

Ludoui. Granat. Confidentia in Deum.

dum hæc omnia, dedit mihi pignoris loco veritatem, ac verbum ſuum, præterita beneficia quamplurima, tormenta quæ pro me paſſus eſt, & ſanguinem pretioſum mei cauſſa effuſum. Quid porrò nō expectabo à Deo ac Domino tam bono, tam verace, à Deo qui ſic me dilexit, qui propter me, ſe carne veſtiuit, verbera, vellicationes, & alapas ſuſtinuit, & tandem mortem in cruce oppetiit, ſolo amore mei victus? Nec illi hæc omnia ſufficiebant, niſi etiam ad vtilitatem meam ſeipſum ſub exigua hoſtia mihi vt cibum relinqueret. Quomodo igitur me fugere poterit, quando eum quæram, qui me ſic quæſiuit fugientem ſe? Quomodo petendi veniam negaturus eſt, qui mihi vt eam peterem, præcepit? Quomodo remedium negabit, pro quo nunc nihil ipſi ſoluendum eſt, cùm mihi illud prius tanto ſanguinis ſui pretio comparauit? His ergo de cauſſis in ipſum confidenter ſperabo, ac in tribulationibus meis audēter cum Propheta cantabo, dicens: Dominus illuminatio mea, & ſalus mea, quem timebo? Dominus protector vitæ meæ, à quo trepidabo? Dum appropinquant ſuper me nocentes, vt edant carnes meas. Si exurgat aduerſum me prælium, in hoc ego ſperabo. Si conſiſtunt aduerſum me caſtra, non timebit cor meum, &c.

Gloria Patri, &c.

ORATIO II. AD PETENdam à Deo virtutem ſpei.

QVIS, ô Domine, ſeipſum intuetur, & non deficit, ac diffidit ſibi? Quis contra tuam intuetur bonitatem, & non confidit, ſperatque? Cuius puſillanimitas ac diffidentia non euaneſcet, qui quantum bonitas tua ipſius malitiam, omnipotentia debilitatem excedit, animaduerterit, noueritque, quantò ſit fortior in te, quàm debilis & infirmus in ſe. In te Domine ſpes noſtra nititur, ſine cuius gratia nulla ſunt merita noſtra. Manat enim ſpes noſtra ab illo vitæ fonte, qui pro nobis eſt mortuus in cruce, ex riuulis inquam pretioſi ſanguinis, qui ex vnigeniti tui corpore tam copioſè & liberaliter in ligno illo ſancto effluxerunt. Illud enim eſt ſacrificium iuſtitiæ, & cauſſa noſtræ ſpei. Hæ noſtræ diuitiæ, hic theſaurus noſter, & denique vita noſtra. Chriſtus pro me mortuus eſt. Quid eſt quod timeam? & quid eſt quòd non ſperem? O igitur refugium meum, & ſpes mea, fac me ſperare in te, ac ſollicitudine magna exerceri, ſemper in mandatorum tuorum cuſtodia: reſiſtere malis viriliter, excitari ad bona quæque alacriter: aggrediar ardua & difficilia, in eiſque propter amorem tuum ſpe ſecura perſiſtam. Pſal. 26.

ORATIO III. AD CONFIDENTIÆ donum à Deo petendum.

Confidentia.

QVIS vnquàm potuit Deus meus, quod habet esse, antequàm illud haberet, desiderare aut promereri? Aut quænam hominis fuerunt in te merita, cur illum ad imaginem, & similitudinem tuam creares? tui ipsius, tuæ fœlicitatis participem faceres? naturam nostrã vnigeniti tui filij vnires personæ, quem ipsum gloriæ tuæ splendorem, & substantiæ figuram, preciũ nobis, redemptionem, cibum, ducem, magistrum, auxiliũ, refugium, præmium denique dares & coronam? Quis horum beneficiorum memor, & immensæ illius bonitatis, quæ sola te vrsit, homini vt illa conferres: quis, inquam, præ amore non deficiat, non liquescat, & non in te ipsum transformetur? Quis non tantæ confidat bonitati, qua ita præuentum se videt, vt plura multò acceperit, quàm optare poterat vel cogitare? Quis abijciet animum, si Christum aspiciat in cruce? Quis non latus illud sacrum apertum ingrediatur, & in eo habitet ac requiescat? & saluatus in securissimo illo portu, non videat tumentes omnes vitæ huius miseræ fluctus & tempestates? O igitur omne bonum meum, concede mihi hanc fiduciam, quæ vt vera sit ac firma, da simul cor mundum, & à peccatorum morsu liberum, cõtinuam virtutis exercitationem, fortemque, & dum valeo viribus constan-

tem pœnitentiam: & denique vt tanta sollicitudine, ac vigilãtia reliquum vitæ tempus in tuis occuper obsequijs: quanta me hactenùs occupaui in sequendis & amplectendis mundi huius vanitatibus.

ORATIO IIII. AD PAcis virtutem à Deo petendam.

VERE Salomon, ac Rex pacifice, vera pax nostra, Domine, in quo velut in centro ac summo bono suo mẽs nostra suam inuenit pacem & quietem, collige, quæso, effusum spiritum meum, & tot oppugnatum rerum varietate, quot sunt ea quæ diligit extra te, ac illam da pacem, quam solus dare potes. Adæqua meam tuæ voluntati, vt ea velit, quæ tu vis, & vt mente mea omninò tibi subiecta, inferiores illi subijciantur appetitus. Viuam ô Domine, sicut apis sollicita intra cor meum, aliorum vitam gestaque relinquam, vt vanis expeditus curis, in tui solius occuper contemplatione, in qua secura veraque pax inuenitur. Fac me omnem mei ipsius & aliorum turbationis occasionem sollicitè fugere: gaudeam de aliorum prosperitate, doleam de infortunio: Nouerim molestas eorum importunitates & ingenia, qui mecum degunt, aguntve, æquanimiter ferre: nec animæ meæ pax ab illis, sed à me ipso dependeat. *Pax.*

ORATIO V. AD IMPETRANdam à Deo patientiam.

Patientia. CVR Domine conqueror, si qua me iniuria affici, aut iniustè affligi iudico? Si reuoco in memoriam, quoties, quamque grauiter te offenderim, quodque propterea infernum ipsum promeritus sim, ac magna sit misericordia tua, qua statuis vt in temporali hac vita, & leuiter pendam, quod æternum in altera, & supplicijs exquisitissimis fuissem luiturus: cur conqueror, cùm te videam cruci propter mea peccata suffixum? Neque enim decet membra esse delicata sub capite spinoso, & pro iisdem durissimè tractato. Cur cōqueror, si aduerto, quòd si præsentes labores ad tempus ęquanimiter tollerauero, me tua consolabitur misericordia, abstergesque manu tua oculorum meorum lachrymas, ac dabis requiem contractis afflictisque ossibus, & quod iuxta patientiæ ac tollerantiæ meæ modum erit consolatio, & retributio tua. Pluant itaque aduersa quæque tui caussa Domine, super me, præbente tamen te robur, & spiritum ad ea ferenda, quia sine gratiæ tuæ subsidio, carnis meæ deficiet debilitas: fac me Domine iudicia omnia falsa, suspiciones vanas, calumnias, iniurias omnes, quæ fiunt contra me, æquanimiter, sine murmuratione, sine querelis, sine excusationibus, sine interiori eorum sensu, aut exteriori eorundem iudicio tollerare, etiamsi à seruis tuis, ac

propter benè, & laudabiliter gesta, illa mihi obueniant, eoque maiori lætitia ac gaudio oblectetur in se anima mea, quo se innocentem, & à culpa, quæ impingitur, vacuam se magis inuenerit. Corrobora ô Domine, animam meam cognitione, & amore sanctissimæ tuæ passionis, vt non solùm præsentes cum gaudio feram aduersitates, sed etiam optem absentes: crucisq; genus quoddam esse iudicem, sine cruce viuere ac mori.

ORATIO VI. AD VERAE congratulationis gaudium à Deo petendum.

GAudeat anima mea, & præ lætitia deficiat Domine, propter id quod tu es in teipso, & propter singulas tuas perfectiones & excellentias, & propter admirabilem illam harmoniam, & dispositionem pulcherrimam, qua mundi machinam fabricasti, nominatim verò gaudeat propter ineffabilia mysteria quæ redemptionis nostræ causa es operatus, & propterea quæ indesinenter in cœlo, inferno, & in ipsa terra operaris: & propter laudes, & reuerentiam ab electis tuis tibi exhibitam. Gratulor ergo tibi Deus meus, de his omnibus: gaudeo de gaudio tuo, liquescitque anima mea, dum fœlicitatem tuam & magnitudinem contemplatur: amat opera tua, reueretur iudicia, laudat exempla: magnificat misericordias, extollit thesauros gratiarum, & priuilegiorum, quæ

Gaudium congratulationis.

indefessè tuis communicas amicis, corde gratias agit, lingua prædicat, & totis tibi supplicat visceribus, vt eadem augere digneris & conseruare.

ORATIO VII. AD PETENDAM à Deo Castitatem.

Castitas. REprime, Domine, sensus omnes meos, & munda cor meum à voluptaria omni ac sensuali cogitatione. Da mihi mundum, purumq; ac perfectè amantem castitatis spiritum tuum, qua & corpus & animam ab omni seruem fœditate & corruptione. Ne verò cadam aliquando, fac me omnes labendi fugere occasiones. Da mihi, Domine, Temperantiæ sobrietatisque virtutem, asperitatis ac pœnitētiæ amorem, mei ipsius cognitionem, ac fragilitatis propriæ timorem, quo illam semper præ oculis habens, cuiuscunque etiam sanctissimæ fœminæ consortium cautè declinem: facilè siquidem stupa accenditur apud ignem. Sed super omnia, Domine, tui ipsius sensum mihi dari peto, vt absorpta in te, & delitiarum tuarum dulcedine immersa obliuiscatur anima mea sensualium omnium appetituum, ac suauissimo spiritus tui liquore inebriata, omnem carnis amaritudinem fœditatemque reijciat. Fac me, Domine, pulchritudinem intelligere, & æstimare libertatem, imò & potestatem, quam etiam in hac vita castitas obtinet. O mi Rex, animæque meæ sponse amantissime, qui tuo nos exemplo, cœlestem hanc

docuisti virtutem, tuaque doctrina eius aperuisti pretium &, valorem, fac me purissimam Virginem Matrem tuam, cæterasque delicatissimas virgines sponsas tuas imitari, quæ ne suam perderent integritatem, vitam profuderunt. Et qui mundum me, castumque esse iubes, quod sine tua gratia facere non possum: da quod petis, peteque quod vis. Amen.

FERIA SEXTA.

ORATIO I. IN QVA A DEO petitur Obedientia.

QVIA verò spes secura non est absque obediētia, sicut in Psalmis dicitur: Sacrificate sacrificium iustitiæ, & sperate in Domino: ideo ô Domine concede mihi, vt cum hac spe misericordiæ tuæ, iungam & obedientiam mandatorum tuorum, cùm non minùs tibi hanc debeam, quàm cæteros omnes virtuosos affectus. Quoniam tu Rex meus es, Dominus meus, & Imperator meus, cui obediunt cœli, terra, mare, & omnes aliæ creaturæ, quæ semper obseruarunt, & obseruaturæ sunt legem mandatorum tuorum: da Domine, vt perfectiùs his omnibus obediam tibi, qui plus sum obligatus diuinæ tuæ Maiestati: fac ô mi Rex, vt morem tibi geram, & integrè seruem mandata tua sanctissima. Tu Domine regna in me, non mundus, vel princeps eius, non caro, nec propria mea, sed tua sola vo-

Obediētia. *Psal.* 4.

luntas fiat. Expelle omnes iſtos tyrannos, inuaſores regni & ſedis tuæ, fures gloriæ tuæ, euerſores iuſtitiæ tuæ. Tu ſolus impera, tu ſolus omnia diſpone, & ordina. Tu ſolus, & ſceptrum tuum agnoſcatur. Tibi & ſceptro tuo obtemperetur, vt voluntas tua fiat in terris, ſicut & in cœlo. O quando tandem aderit optata iſta dies? O quando me liberum ab his tyrannis videbo? O quando in anima mea non alia vox quàm tua reſonabit? Quando ſic ſceptrum Madian & inimicorum meorum vires attritas, ac depreſſas videbo, vt ad implendam ſanctam tuam voluntatem nulla in me reſtet contradictio? Quando hoc mare ita placidum erit, & cœlum ſerenum, quando tam mutæ, & mortificatæ erunt paſſiones meæ, vt ampliùs non latrent, nec compareant fluctus, neque nubes, neque clamor, nec alius tumultus, qui hanc pacem, atque obedientiam alterent ac perturbent, & regnum tuum in me impediant? Impertire mihi Domine hanc obedientiam, aut (vt melius dicam) largire mihi iſtud in cor meum ius & Dominium, vt illud mihi obediens, tibi nunquàm obſtreperum ſit, donec in omnibus ſubijciatur tibi. Atque ita ſubiectus intimo corde cum Propheta dicam: *Pſal. 118.* Legem pone mihi Domine viam iuſtificationum tuarum, & exquiram eam ſemper. Da mihi intellectum, & ſcrutabor legem tuã, & cuſtodiam illam in toto corde meo. Deduc me in ſemita mandatorum tuorum, quia ipſam volui. Inclina cor meum in teſtimonia tua, &

non in auaritiam. Auerte oculos meos, ne videant vanitatem, in via tua viuifica me. Gloria Patri, & Filio, &c.

ORATIO II. AD PETENDAM à Deo virtutem obedientiæ.

DOmine IESV Chriſte, qui adeò exactè obedientiam ſeruaſti, vt, ne illius iacturam faceres, vitam ipſam perdideris, æterno tuo Patri obediens vſque ad mortem, mortem autem crucis: peto, Domine, perfectam hanc obedientiam, gratiamq́ue, qua omni loco & tempore animo voluam, quod à me exigis, omnibusq́ue viribus, & maximo quo poſſim conatu animæ meę ſtudeam adimplere. Da mihi, Domine, ſimplicem ac perfectam erga ſuperiores meos, miniſtros tuos obedientiam, tam in arduis, quàm in ijs quæ facilia ſunt, tam in aſperis, quàm in iucundis, & vt in illorum manibus velle nolleq́ue meum cum perfecta mei reſignatione reponam. Afficiar quæſo, ampleċtarq́ue libentiùs humilia, & quibus labor aut confuſio coniuncta ſunt, cùm mihi iniungentur, quàm alta, & quibus requies & honor inſunt. O Domine, qui non ſolùm excellentiſsimam hanc obedientiam nos docuiſti, dum æterno tuo Patri illam exhibuiſti, ſed dum hominibus non bonis tantùm, ſed iniquis etiam eandem præſtitiſti: ac voluiſti, vt cæteræ omnes creaturæ, eandem nobis commendarent, dum incredibili promptitudine ad nutum tibi omnes *Obediētia.*

obtemperant, imò & homini quodam modo, iuxta præscriptum tuum, vt ab eis discat homo tibi, & ijs, quos tuo loco ad ipsius gubernationem statuis, obedire. Ne quæso, Domine meos vnquàm superiores iudicem, néve contra illos in corde meo obmurmurem: ne me excusem, aut in mandatis impossibilitatem prętendam: nec media vlla ad impediendum quæram: sed simplici, prompta, hilari perfecta, ac constanti voluntate ob tui amorem præstem, quidquid fuerit mihi ab illis iniunctum.

ORATIO III. AD MISEricordiæ virtutem à Deo petendam.

Misericordia. QVIS, Domine in vilium horum ac periturorum bonorum distributione pauperibus facienda tenax sit & auarus? qui tuam erga se liberalitatē & misericordiam expertus, ad hoc sibi nouerit eadem bona concessa; vt si per indigentium manus tibi restituerit, suorum à te obtineat veniam peccatorum. Infunde igitur mihi, Deus meus pium hunc erga pauperes affectum, vt eorum necessitatibus subleuandis omnia illa bona ex animo impendam: quæ vbi defuerint, affectum saltem semper offeram cordis. Nec satis esse ducam, si vilia hæc leuisque momenti bona, hilari vultu egentibus distribuero, nisi multò etiam hilariori, illatas ita condonauero iniurias, vt tui amoris intuitu, non expectem veniam à me

peti,

peti, ſed miſericordia præueniam eum, qui me affeciſſet iniuria: magisque doleam de illius culpa, quàm de iniuria mea, ideoque lachrymis, & ex totis viſceribus meis ductis ſuſpirijs veniam illi à tua impetrem bonitate.

ORATIO IIII. AD PETENdum à Deo ſpiritum paupertatis.

SALVATOR benigniſſime, qui ditiſsimus; Deusque maieſtatis immenſæ exiſtens, pauper pro me homo factus es, vt tua me paupertate ditares; Quid quæſo tibi in terra quęſiuiſti? quid inueniſti? quid elegiſti? paupertatem omninò, eamque exactam adeò, vt in paupere præſepio naſci, & nudus in cruce mori volueris, vbi nec hauſtum aquæ, nec vbi ſacrum reclinares caput, habere potueris: vt hoc me exemplo doceres, quanti facere me par eſſet, quod tanti tu faceres, quo affectu deſiderare, quæ tu in hoc mundo eligeres, tuamque amplecti paupertatem, nuditatem induere, & in cruce denique tua gloriari. Fac me igitur mi Rex, ex nunc per gratiam tuam, omnibus mundi pompis, & ſuperfluis valedicere: omnem contemnere voluptatem: cumque mihi defuerit quippiam, gaudere ex animo, ob tui amorem, & imitationem ne decipiar, exiſtimans neceſſarium, quod verè eſt ſuperfluum: ne me teneat eorum ſollicitudo, quæ ad miſeram hanc vitam du- *Paupertas.*

cendam conducunt, certò perſuaſum, te verè Patrem eſſe, qui ineffabili tua prouidentia auiculis per aëra, & vermiculis per terram diſcurrentibus omnia præbeas neceſſaria. Illa verò ſpiritualia diuinaque dona animæ meæ peto communicari, quorum tuos tantùm amicos participes facis: temporalia verò ac peritura ità ſecurè ac confidenter fac me contemnere, vt cum eiſdem tuis amicis, te ad viuorum mortuorumque iudicium venientem merear comitari.

ORATIO V. AD PETENdam à Deo virtutem manſuetudinis.

Manſuetudo.

VERAE manſuetudinis magiſter, qui dixiſti: Diſcite à me, quia mitis ſum, & humilis corde; concede mihi altiſſimam hanc, & excellentiſſimam virtutem, cuius tu & magiſter nobis & exemplum eſſe voluiſti, fac me abſolutiſſimam illam tuam manſuetudinem imitari, ne vlla in corde meo lateat amaritudo: nulla in verbis impatientiæ, aut iræ appareant ſigna: nulla in operibus vindicta ſequatur: ſed conſtans ſemper ſit anima mea, inſtar agni manſueti, ad bonum & malum, cum tanta inter iniurias, & miſeræ huius vitæ incurſus pace & quiete, vt gratum tibi ſit in ea habitare, & gratiæ tuæ donorumque plenitudine eandem ditare velle.

ORATIO VI. AD PETENDAM à Deo virtutem Prudentiæ.

NOuerim te Domine, nouerim me, meditetur frequenter anima mea, quid post miseram hanc vitam bonos maneat & iniquos: tibi charos & inimicos: fugiat proptereà quæcumque ipsam possunt à te separare: amplectatur verò quæ vt magis tibi vniatur, tuaque dulcedine & familiaritate fruatur, iuuare illam possunt. Et cùm huius mundi sapientes omnia contempserint, quæ à vili abiectaque creaturarum cognitione illos retardabant, ne sim illis insipientior, vt non parui ducam quæcumque mihi creaturæ omnes offerre possunt, te omnium factorem cognoscam. Compone, Domine, omnes animæ meæ cogitatus & affectus, voluntatem, intentionem, iudicia, suspiciones, verba, opera: & omnia ad te ipsum recta dirige, qui rerum omnium principium es & finis, centrumque, & omnis beatitudinis meæ compendium. *Prudentia*

ORATIO VII. AD SPIritum solitudinis à Deo petendum.

QVàm solùm, quamque benè associatum est, Domine, illius cor, qui tecum habitat, quàm verò inquietum illud quod à te separatum, creaturarum strepitui *Solitudo.*

immersum? Quomodo illi loqueris, qui solitarius est & collectus? quàm securum reddis, quàm illi te communicas familiariter? quot aperis secreta? quomodo superinduis, & supernæ tuæ lucis splendore clarificas? Propterea enim Domine, multi serui tui, hominum conuersationem fugerunt, & quæsiuerunt solitudinem, vt te in illa inuenirent, tuam audirent vocem, & cõuersationem iucundam. Recollige quæso spiritum meum, ô Diuine spiritus, & solitudine, recessuque ab omnibus creaturis, & à seipso, deduc eum ad sacrum pectus tuum, vt in illo requiescẽs, rebusque omnibus visibilibus dormiens, ineffabilis tuæ dulcedinis ac suauitatis fruatur amplexibus. Amen.

DIE SABBATI.

ORATIO I. IN QVA SE homo, & omnia sua offert Deo.

Ludoui. Gran. Oblatio.

QVemadmodum ô Domine, obligatus sum tibi obedire, sic etiam donare me & offerre debeo, & in manus tuas resignare, cùm tot iustis titulis ac nominibus totus tuus sim. Tuus (inquam) quia Creasti me, & esse quod habeo, mihi dedisti: tuus, quia in hoc esse me conseruasti, totque prouidẽtiæ tuæ beneficijs ac officijs cumulasti: tuus, quia me ex seruitute in libertatem asseruisti, ac emisti non auro, aut argento, sed pretioso sanguine tuo. Tuus quia to-

ties me redemisti, quoties è peccato eruisti. Si itaque tot nominibus tuus sum, & tu vicissim es meus Rex, meus Dominus, meus Redemptor, & liberator meus: ecce conuerto me, vt dem tibi, quod tuum est, hoc est, meipsum: Trado me tibi in mancipium & seruum; ecce do tibi claues, & Dominium meæ voluntatis, vt posthac ampliùs nec meus sim nec alterius: sed totùs tuus: vt non viuam mihi, sed vt seruiam tibi: adeò vt siue comedam, siue bibam, siue quid aliud agam, omnia ad gloriam tuam referam. Me tibi sisto, vt disponas de me, sicut de eo quod tuum est, secundùm voluntatem tuam, si velis me viuere, mori, sanum esse, aut infirmum, diuitem aut pauperem, laudatum vel illaudatum, in omnibus me tibi offero: in manus tuas me resigno, possessioni mei ipsius renuncio, vt in posterum nõ sim meus, sed tuus: donec id quod tuum est per iustitiam, etiam sit tuum mea cum voluntate. Sed quis horum aliquid præstabit absque te? Quis vel pedem mouebit absque te? Largire ergo mihi hanc gratiam Domine, vt quæ iubes, faciam, & iube quod vis. Tu ipse animum nobis addidisti, vt à te misericordiam flagitaremus, cùm diceres per vnigenitum Filium tuum: Petite & accipietis, quærite & inuenietis, pulsate, & aperietur vobis, spem quoque nostram erexisti, dicens per Prophetam: Non est Deus iustus & saluator præter me. Conuertimini ad me omnes fines terræ. Porrò si tu ipse nos Domine vocas, nos inuitas, & vt ad te

Luc. 1.

Isa. 45.

recurramus, tua brachia extendis, cur non ſperemus ijſdem nos recipiendos? Tu Domine! haud ſimilis es hominibus, qui cum ſua communicant, pauperiores fiunt, ac hoc nomine moleſtiam ſentiunt, quando rogantur. Tu Domine talis non es, quia ſicut tibi nihil decedit, cùm omnia largiris, ita iniquo animo non fers, quando rogaris. Proinde aliquid à te petere, nõ eſt importunum agere, ſed obedire tibi, quandoquidem vt poſtulemus, præcepiſti. Hoc eſt honorare te, hoc eſt te glorificare. Hac enim ratione & eſſe te Deum, ac Dominum vniuerſi orbis, omniumq; datorem proteſtamur: à quo cùm omnia dependeant, omnia petenda ſunt. Vnde
Pſal. 49. ipſemet à nobis hoc genus ſacrificij præ cæteris poſtulas dicendo: Immola Deo ſacrificium laudis, & redde altiſſimo vota tua. Et inuoca me in die tribulationis: eruam te, & honorificabis me.

Motus itaque tam pio mandato accedo ad te, vt quidquid Domine tibi debeo, id mihi concedere digneris. Scilicet vt ſic te adorem, ſic timeam, ſic reuerear, ſic laudem, ſic pro vniuerſis beneficijs gratias agam, ſic te toto pectore amem, ſic ſpem meam totam in te collocem, ſic ſanctis tuis obediam præceptis, ſic me in tuas manus offeram, & conſignem, ſic has & alias eius generis gratias petam, vt expedire iudicas ad promouendam ſancti nominis tui gloriam, & animæ meæ ſalutem. Oro inſuper te Domine vt mihi concedas peccatorum veniam, contritionem veram, & pœnitentiã perfectam,

& da mihi gratiam, ne iisdem, vel aliis in posterum te offendam. Potissimùm verò virtutem exposco, quà carnem, eiusque desideria castigem, linguam refrænem, cordis affectus mortificem, vagas imaginationis cogitationes recolligam, vt sic omni ex parte renouatus, & reformatus merear esse templum viuum, & habitaculum tuum. Adde & eas virtutes, quibus non modò purgetur habitaculum istud, sed & egregiè adornetur, vt sunt nominis sancti tui timor, firmissima spes, profundissima humilitas, perfectissima patientia: clara discretio, paupertas spiritus, perfecta obedientia, continua fortitudo, diligentia summa in cunctis rebus, quæ ad tuũ cultum & obsequium pertinẽt. Ante omnia verò ardẽtissima charitas tam erga te, quàm erga proximum.

Et quia scio me his omnibus indignum, nec aliquid horum promeritum esse, obsecro Domine vt memineris misericordiæ tuæ (quæ nostram supponit miseriam) vt ista faciliùs executioni mandem. Memorare quod non vis mortem peccatoris (vt ipsemet testaris) sed vt conuertatur & viuat. Recordare non venisse filium tuum vnigenitum in hunc mundum (vt ipse ait) vt vocaret iustos, sed peccatores. Memento quanta fecit, quanta passus est à die natiuitatis suæ, vsque dum in cruce moreretur, non pro se, sed amore mei. Quæ omnia clementissime Pater offero tibi in sacrificium pro peccatis & necessitatibus meis, non in meo, sed in filij tui dilectissimi nomine. Quia de te dicitur, quòd ho-

noras patres in filiis, vni parcis propter aliū, (quemadmodum & Dauid fecit, honorans Miphibofeth propter patrem eius Ionathā) honora igitur & tu vnigenitum filium tuum benefaciens mihi propter amorē illius: quia ipfe meus eft pater, & fecundus Adam meus: & ego filius illius licèt immorigerus: Afpice Domine, quia ad te confugio, venio ad oftiū mifericordiæ tuæ, expono tibi paupertatem meam, detego tibi vulnera mea tanquam vero medico, & cum tali fpiritu inuoco te, & in confpectu tuo effundens animam meam, orationem Prophetæ tui repeto, dicens: In-
Pfalm.85. clina Domine aurem tuam, & exaudi me, quoniam inops & pauper fum ego. Cuftodi animam meam quoniam fanctus fum, faluum fac feruum tuum Deus meus fperantem in te. Miferere mei Domine, quoniam ad te clamaui tota die: Lætifica animam ferui tui, quoniam ad te Domine animam meam leuaui. Quoniam tu Domine fuauis & mitis: & multæ mifericordiæ omnibus inuocantibus te. Auribus percipe Domine orationem meam, & intende voci deprecationis meæ. In die tribulationis meæ clamaui ad te: quia exaudifti me. Non eft fimilis tui in diis Domine, & non eft fecundùm opera tua. Omnes gentes quafcunque fecifti, venient & adorabunt coram te Domine, & glorificabunt nomen tuum. Quoniam magnus es tu, & faciens mirabilia, tu es Deus folus. Deduc me Domine in via tua, & ingrediar in veritate tua, lætetur cor meum, vt timeat nomen tuū. Confitebor tibi Domine Deus meus in toto

corde meo, & glorificabo nomen tuum in æternum.

Gloria patri,& filio,&c.

ORATIO II. AD SANCTAM lætitiam à Deo petendam.

QVantam Domine, quamque iustam habet anima lætitiæ caussam, si quæ in te sunt magna & excellentia, attentiùs consideret? Potentiam, inquam, tuam immensam, sapientiam ineffabilem, bonitatem infinitam, pulchritudinem, misericordiam, iustitiam & beatitudinem, cæterasq; perfectiones quas habes sine numero. Et quî fit, quòd non extra se rapiatur animus, dum attendit intrinsecam solius inter omnes creaturas hominis tecum cognationẽ, qui tam arcto humanæ nostræ naturæ vinculo te astrinxisti, vt verè Deus sit homo, homoque Deus? Quomodo item non gaudio exultat iubilatque animus, qui certò nouit aliam esse, post hanc vitam, æternam & beatam, & vnigenam filium tuum portam nobis, & pignus ad illam esse? O igitur omne bonum meum Rex gloriæ, lætitia, & plenum omnium electorum gaudium, tranquillam quæso redde, ac lætam animam meam, simulque vanam omnem lætitiam repelle, quæ contristat potius & obnubilat cor. Ignosce peccatis meis, da firmam in tuo amore constantiam, & vt tum ex mundæ conscientiæ testimonio, tum ex gloriosæ tuæ visionis arrha lætetur & exultet in te anima mea. *Lætitia.*

ORATIO III. AD PETENDAM à Deo virtutem Abstinentiæ.

Abstinētia.

FAC me Deus meus, omnia superflua, & voluptaria ita resecare, vt solo necessariorum vsu circa victum & vestitum sim contentus: nec solùm à vanis corporis, sed maiori etiam sollicitudine à noxiis animæ abstineam deliciis. Ne mihi gustus & appetitus, sed ipsa ratio meraque necessitas regula sit: vt omnia delectabilia siue licita aliàs sint, siue illicita, siue in prōptu mihi sint, siue haberi nō possint, solius amoris tui intuitu sanus reiiciam: ęgrotus verò licitis temperatè vtar, idque non sine dolore, quòd tunc non liceat maiori abstinentia & seueritate vti ad tibi placendum. Et qui exactissimam sum de tuis omnibus mihi collatis donis rationem redditurus, sciam quæso ea qua par est, vti gratitudine, animamque meam perfecta disponam abstinentia, vt peccatorum meorum veniam obtinere, & sanctorum desideriorum compos esse, perfectamq; sanctissimæ tuæ legis obedientiam assequi possim.

ORATIO IIII. AD OBTINENDAM virtutem Temperantiæ.

Temperantia.

DEVS meus, & creator meus, qui omnia in numero & pondere, & mensura creasti, concede, vt & ego omnia mea, ea faciam

attentione, & circumspectione, vt & numerus & pondus ac mensura, quæ par est, in eis eluceat. Tempera Domine, cor meum, ne cogitationibus turbetur inutilibus, aut etiã vtilibus extra tempus occupetur. Moderare animæ meæ affectus, ne vel amet, vel detestetur, lætetur aut tristetur, speret aut timeat, nisi quod & quantum, & prout tu vis. Infræna linguam meam, vt omnes silentij custodiat regulas. Moderare gustus, & appetitiones meas, in victu, vestitu, somno, & reliquis carnis commoditatibus, vt necessariis contentus, quidquid superfluum est, circumcidam. In omnibus itaque Domine adhibeam modum & terminum: in solo amore tui, in tuis laudibus, in gratitudine ac recognitione immensæ tuæ ac infinitæ bonitatis, quæ absque modo, laude, exaltatione, gloriaque digna est, modum nesciam, terminum non adhibeam.

ORATIO V. AD OBTINENDAM à Deo carnis castigationem & macerationem.

ÆTerne Deus & immense, qui tua ineffabili sapientia spiritum & carnem in vnum coniunxisti, & stricto adeò nodo colligasti, vt eiusdem partes hominis; animaque ita sit vita corporis, vt & esse, & pulchritudinem suam, ab illa habeat, agnoscam quæso, hanc animæ meæ excellentiam, & dignitatem, efficiamque vt caro ancillæ instar subiecta sit illi, ac pareat, nec illius mollitie spi- *Carnis castigatio.*

ritus

ritus vigor hebetetur. Pręscindam etiā quidquid ad indulgentiam & voluptatem eius spectat: nec aliud admittam, quàm mera àd conseruationem necessitas postulat. Omnes inordinatas meas appetitiones mortificem, meipsum odio sancto persequar, crucem meam super humeros tollam, vt tuus possim esse discipulus, & tecum in tua mori.

ORATIO VI. AD ANIMARVM zelum à Deo petendum.

Zelus animarum.

NON nouerat homo valorē & animæ suę excellentiam: quam vt doceres, Domine, vt qui optimè illam noueras, de cœlo descendens, totum sanguinem vitamque propriam pro ea tradidisti. Si tu igitur omne bonum meum, tanti illam fecisti: quid est quod ego eandem parui pendam: nec vtar, aut liquescam pro meorum fratrum salute animarum: cur sanctus illarum zelus, mea non penetrat viscera: non marcescit & consumitur cor meum? dum video crucis tuę fructum ita perire, deprædante dæmone tuas fortunas, de tuis triūphante spoliis. O Deus meus & Rex meus, tuæ istæ manus, sacrumque latus perforatum clamant ad me, docentque quid mihi sit faciendum, quid perpetiendum animarum gratia, quarum amor & zelus amplius teipsum penetrârunt, quàm ferrum lanceæ, clauique ipsi. Imprime igitur amorē hunc, & sanctum zelum in anima mea: inflāma illam zelo animarum, quas ipse quæsiui-

ſti, & pro quibus propiam vitam impendiſti. Hæc mea ſint deſideria, hæ vires, hæc ſollicitudo mea abſq; alio reſpectu, aut proprij emolumenti intuitu: fœlicem me potiùs iudicem ac beatum, cùm plurimum pro eis pati, aut etiam mori contigerit, vt hoc tibi nomine ſimilis fiam.

ORATIO VII. AD PERSEuerantiæ donum à Deo petendum.

QVID conferunt, Deus meus, & beatitudo mea, virtutes omnes ſine perſeuerantię dono? Quid feliciter nauigaſſe prodeſt, ſi nauis in portu pereat? aut pugnæ tempore ſtrenuè ſe gerere, ſi tandem hoſti cedit victoria? aut arare & ſerere benè, ſi meſſis tempore ſegetes euaneſcunt? Perſeuerantia enim eſt Domine, quæ præmium, gloriam & coronam conſequitur, ſine qua nulla virtus, vitam æternam adipiſcitur, iudicante te hominem iuxta merita ſtatus, quo, cùm vocatur, inuenitur, & in quam partem ceciderit lignum, in ea manet. Concede igitur mihi, piiſſime & benigniſſime Domine, pretioſiſſimum perſeuerantiæ donum, quod ſolus donare potes. Ne verò ex me huic dono aliquod impedimentum obſiſtat, fac me omnē rerum caducarum amorem radicitùs euellere: meumque totum cor in cœlum ita transferre, vt quamuis corpore in terra hæream, ſpiritu tamen apud te viuam. *Perſeuerantia.*

ORATIO D. THOMAE AQVInatis, ad varias virtutes obtinendas aptissima.

CONCEDE mihi, quæso, omnipotens & misericors Deus, quæ tibi placita sunt, ardenter concupiscere, prudenter inuestigare, veraciter agnoscere, & perfectè adimplere. Ad laudem & gloriam nominis tui, ordina statum meum, & quod à me requiris vt faciam, tribue vt sciam, possim, & velim: & da exequi vt oportet, & expedit saluti animæ meæ.

Via mihi quæso ad te sit tuta, recta & cõsummata, non deficiens inter prospera & aduersa, vt in illis non extollar, & in istis non deprimar. In prosperis gratias tibi referam, & in aduersis seruem patientiam. De nullo gaudeam vel doleam, nisi quod promoueat ad te, vel quod abducat à te. Nulli placere appetam, vel displicere timeam, nisi tibi.

Omnia in charitate da facere, & quod ad cultum tuum non pertinet, quasi mortuum reputare.

Vilescant mihi omnia transitoria propter te, & chara sint mihi omnia tua, & tu Deus meus plus quàm omnia. Delectet me omnis labor, qui est pro te, & tędiosa sit mihi omnis quies quæ non est in te.

Frequenter & feruenter da mihi dulcissime Domine, cor meum ad te dirigere, & defectionem meam cum emendationis proposito dolendo pensare,

Fac me, Deus meus, humilem ſine fictione, hilarem ſine diſſolutione, triſtem ſine deiectione, maturum ſine grauitate, agilem ſine leuitate, veracem ſine duplicitate, timẽtem ſine deſperatione, in te ſperantem ſine præſumptione, caſtum ſine corruptione, proximum corripere ſine indignatione, ipſumque ædificare verbo & exemplo ſine elatione, obedientem ſine contradictione, patientem ſine murmuratione.

Da mihi, dulciſſime IESV, cor peruigil, quod nulla à te abducat curioſa cogitatio: da immobile, quod nulla deorſum trahat indigna affectio: da inuictum, quod nulla fatiget tribulatio: da liberum, quod nulla ſibi vendicet violenta delectatio: & da rectum, quod nulla ſeorſum obliquet ſiniſtra intentio.

Largire mihi, dulciſſime Deus meus, intellectum te cognoſcentem, diligentiam te quærentem, ſapientiam te inuenientem, conuerſationem tibi placentem, perſeuerãtiam te dulciter & fiducialiter expectantem, fiduciam te feliciter amplectentem: da tuis pœnis configi per pœnitentiam, tuis beneficiis vti in vita per gratiam; & tandem tuis gaudiis in patria frui per gloriam, qui cum Patre & Spiritu ſancto viuis & regnas in ſæcula, Amen.

QVOTIDIANVM HOMINIS PII Exercitium cum Meditationibus aliquot singulis Hebdomadæ diebus accommodatis.

NE ex illorum sis numero, qui in vanum acceperunt animam suam, & hac Christi voce notantur, qua Matt.20.c. *ait: Quid hic statis toto die otiosi? Ne ve perennis exilij cogaris audire sententiam: discedite à me operarij iniquitatis: operæpretium erit in accuratæ vitæ rationis studium incumbere, & si nequeas totos dies Religiosorum more, diuino te deuouere obsequio, decimam certè cuiusque diei partem eidem consecrabis. Quare prior auroræ, posterior nocti respondeat, sic vt vtrumque hoc tempus ab ipso ordiaris, & cum eodem fœliciter finias.*

EXERCITIVM MATVtinum.

1. *QVamprimùm somno defunctus expergisceris, memoria ac mente reuolue, te peregrinum, extremeq; inopem esse: cui tantum viæ restet, quantum ab ea hora, qua anima tua diuino nutu in hoc corporis domicilium infusa, in lucemq; edita, effluxit temporis.*

2. *ILlud animo quoque repetas diligenter, animam tuam ad imaginem & similitudinem Dei conditam: cœlumque sedem eius, ac verum esse patrimonium: vbi eam benignißimus pater, ipsi Angeli & cœlestes conciues tui auidè præstolantur.*

3. *OCulos tuos in eum defige locum, vbi modò versaris, à cœlesti patria remotißimum, hostibus refertum,*

quorum hi ab instituto te retardare conantur itinere, illi aliò errabundum deducere, alij in necem propellere. Insuper considera quanta sit naturæ imbecillitas ad casum sponte sua pronæ: sicque sublimem illam beatorum patriã salutando, vt à sanctißima Trinitate plenam tribus animæ tuæ potentijs, Intellectu, Memoria, & Voluntate, impetrent salutem: & aduersus hostes tuos, Mundum, Dæmonem, ac Carnem, victoriam gloriosam. Denique iterata tertiò Dominica prece cum Salutatione Angelica, & Apostolico Symbolo, Deum trinum & vnum reuerenter adorato.

MEmor sis sacrificij quod Christus Dominus verus Dei viui filius die Parasceues in cruce obtulit Patri ad tua & mundi scelera expianda. Et cùm nihil in te sit, quo tantò pro munere gratias referre vales, te beatum reputes, si teipsum, et quicquid vel cogitaueris, vel dixeris, egeris vel passus hoc die & quocunq; tempore fueris, liberaliter offeras, protestatus ingenuè, nihil à te profectum quod fieri non cupias intuitu Dei, quem obnixè rogabis vt Christi sanguinis merito te locupletet, ac sensuũ custodiam largiatur. Quo nomine subiunges Orat. Dominicam, & Salutationem Angelicam in honorem vulnerũ eius quinquies repetitam, tum sacræ Missæ officio, in quo eiusdem paßio ac mors offertur, qua decet mentis attentione ac reuerentia, libenter adesto. 4.

EXERCITIVM DIVRNVM.

COgitabis te non amplius esse iuris tui, sed Iesu Christi, qui sanguinis pretio toties te redemit, & à diaboli iugo liberauit, quoties implicitum noxis, liberum reddidit. Et præterquam quod hoc primo diluculo te obtuleris Deo, gaudeas vel maximè, quod tanti Principis sis mancipatus obsequio. 5.

6. Considerabis quòd sicut hi qui ad catenas damnantur, sua frustrantur libertate, nec superbire ob aliquam indulgentiam, vel lamentari ob pœnam solent: ita te, qui Christi seruus es, tot amoris astrictus vinculis, quot illius in te dona relucent, gerere decet. Sic vt siue te solatio, siue doloribus affici sinat; non sit quo extollaris, vel anxiè queraris, sed potius in bonis ducas paternã hanc dispositionem.

7. QVantumuis autem huic te addixeris Domino, cogitandum tibi erit, vt illi ex amore, non vt seruus, sed instar amantißimi filij seruias. Te enim eò loci posuit, vbi res omnes creatæ tibi sint ceu magistri, ceu ductores, ceu impulsores ad Augustam tanti numinis maiestatem religiosè colendam. Vbi demum te, tuaque omnia, & diuini & angelici oculi contemplantur, & obseruant, tuosque minutim enumerant gressus: quibus coram, fortè hac nocte sisteris, vt minimarum quarumque actionum & cogitationum rationem reddas. His peractis, animam tuam Virgini matri cœlique Reginæ, Angelica dicta precatione commendabis, vt illius ope fretus, sincerus, fidusq; Christi cultor euadas.

CONSCIENTIAE EXAMEN noctibus singulis instituendum.

1. VBi iam nox aderit, nonnihil secedas, vt tecũ in exacti temporis rationes ineas. Ac primò quidem supplices ad Deum fundes preces, vt mentis oculos tibi aperiat, quibus tam magnitudinem quàm multitudinem beneficiorum cernas, quæ de manu eius accepisti, siue ea sint naturæ, siue gratiæ: inter quæ primum erit, quod ipsemet Deus, & non alius artifex ad imaginem & similitudi-

nem suam te creauerit, vt esses hæres cœli, & socius Angelorum, cùm antequam nascereris, totum hunc mundum vsibus tuis destinarit, & huc vsque conseruarit. Filium suum vnigenitum dederit, qui pœnas sacrilegis tuis sceleribus debitas suo capite luerit, sacramenta instituerit animæ tuæ morbis curandis aptissima: sanctos in cœlestes sedes transtulerit, vt essent tibi patroni & aduocati, cæterasque res creatas ceu magistras esse voluerit, vt tanto aptius, tantæ valeas inseruire Maiestati. Angelum insuper custodem atque ductorem dederit, qui ignauia torpentem excitet, qui toties cor tuum pulset, quoties vel bonam aliquam inspirationem, vel consilium, vel lectionem, vel concionem, vel bonum aliquod exemplum ante oculos ponit. Qui æternæ vitæ thesauros tibi præparauit, & in præsens vsque tempus semper misericors beneficia beneficijs cumulans, tuam tolerauerit iniquitatem. Quibus ergo laudibus atq; gratijs adeò munificum prosequeris benefactorem?

GRatiam atque lumen enixè petes, quo peccati turpitudinem malitiamque agnoscas, excitatoque in te animi de admissis sceleribus dolore, tantum aduersus ea sentias odium, vt in posterum ad vomitum non redeas. 2.

DIligenter animaduerte, quemadmodum his donis vsus fueris quæ tibi contulit Deus, iuxta discursum illum, qui in proximo attingitur puncto. Ac primo loco ea sint quæ mente, cogitationeue volueris, cùm te non lateat illam esse creatam, non solùm vt imago Dei sit tribus ornata potentijs, Memoria, Intellectu, & Voluntate: sed etiam instar horti vel domus sanctissimæ Trinitatis, in qua libens sedem figat, & vt dulcis hospes suauiter ambulet, quam cùm summa cura obseruare debueras, & sic 3.

vndequaque munire, vt nil nisi quod sanctum purumque sit, eam subiret: ita laxasti ac prostituisti, vt locum dares omnibus mundi quisquilijs ac sensibus tuis, præsertim verò lingua (homini ad cognoscendum Creatorem suum data) talem in modum vtereris, vt in arma eos ad offendendum Deum ac proximum tuum conuerteres. Si porrò actiones omnes tuas expenderis, aut planè peruersas, aut multis erroribus permixtas cernes, imò & pessimam tuā peccandi consuetudinem, pronitatemq; deprehendes, quibus te dæmon ceu catenis quibusdam implexum pro libitu suo ad præcipitem casum trahit. Accedunt scelerum altæ radices, quæ vixdum purgato pœnitudine animo, nouas generant noxarum spinas. Instanter orabis Christum Dominum, vt culpas admissas benignè remittat: illique tanquam mundi saluatori, singula errorum tuorum, quibus constrictus es, vincula detegas, ac concepto melioris vitæ proposito, quamprimùm licebit, ad humilem tui accusationem, exomologesimque confugias: tum verò pari conatu inuigilabis ad tui custodiam, propriæ voluntatis expugnationem & mortificationem, vt tandem prauos quosq; motus, moresq; radicitus euellas.

EXERCITIVM NOCturnum.

1. *PRiusquam te somno daturus sis, hæc meditaberis, nempè postquam Sol iam occubuerit, cæteris rebus quiescentibus, & alta silentia tenentibus, Angelos cœlorum incolas & Dei famulos in terra degentes haudquaquam quiescere, sed diuinum Numen contemplando, perpetua illius luce longè maxima dulcedine frui, quod tibi meritò tristitiam pariet, qui dum somnum corpori tuo putredini ac vermibus subiecto indulges, tanto splendore priuaris.*

CVm certum sit, somnum nihil aliud esse, quam mortis imaginem, veram autem humanæ mentis quietem deliciasque in Dei aspectu ac contemplatione pulchritudinis eius consistere: lectulum tuum vt sepulchrum aspice, menteque in Deum erecta, te tanto tempore sepultum fore, ac Dei spoliatum memoria, ex animo dole. Ipse ergo pronus supplices, vt quandocunq; expergisceris, non se aliud tuis cogitationibus ingerat, quàm eius bonitas, & vbi surrexeris, cœlesti ornatus gratia viuas, diemque transigas. 2.

QVemadmodum verò exactus hic dies imaginem refert totius temporis, quo tibi in hac vita mortali agendum est, ità nox mortem, ac tempus quo corpus hic obscuro iacet conclusum tumulo. Itaque bis Oratione Dominica pronunciata, adiuncta Salutatione Angelica, tam pro teipso, quàm pro animabus illis, quæ duras illas purgatorij pœnas sustinent, humiles fundes Christo Domino preces, tui & totius mundi causa mortuo & sepulto, vt te soletur, gratiamq; concedat, qua momentum hoc quod restat vitæ, illæso pede decurras, ac cœlesti semper præditus gratia fœliciter termines. 3.

PRAXIS BREVIOR, CONDVCENS AD EXCITANDUM ANIMI AFFEctum in Deum.

SEMPER oculis fidei videat homo, quòd summa intelligentia scilicet Deus in ipsum oculos suos dirigat, quòd omnes cogitationes, & intentiones cordis eius, verba pariter & facta, totam animam & corpus penetrando cõsideret. Et concipiat imaginem Dei, tanquã continuè eum attendentis, & hanc cogitationem frequenter consideret, vel etiã ore promat cum reuerentia, & timore dicens: Dominus videt me. Concipiat ergo propositũ in ani

mo suo, quod velit illi summo Domino vniuersorum reuerendißimo, optimo, amorosißimo, benefactori maximo complacere, & inuenire gratiam in oculis eius, dicendo: O vtinam in oculis summi Dei gratiam inuenire possem, O vtinam illi placerem? O vtinam puro corde diligerem eum? & cætera huiusmodi innumerabilia, in tertia persona hæc iaculatoria formet, quæ postmodum in secunda persona fient, dum se in Domini familiaritatem senserit admissum: faciat etiam semel in die quandam recollectionem, & in mente sua concepta diuina præsentia, quod consuetudine facillimum est, composito quasi quodam fasciculo principalium beneficiorum scilicet Creationis, Redemptionis, Conseruationis, promissæ Glorificationis, & similium, Deo pro his gratias agat. Postmodum de peccatis in generali propositis doleat, & veniam precetur. Deinde gratiam petat, & illuminationem, pœnitentiam, atque in virtutibus profectum, &c. Et studeat se in præsentia Domini, eius sanctißimæ voluntati conformare, corde non ficto, quia Deus intuetur cor, sed & corde hanc recollectionem facere debet, & non ore. Habeat firmißimum propositum nunquam peccandi, nec venialiter quidem ex proposito & deliberatione. Quod si natura immortificata reluctata fuerit, ratione contradicat eidem quantum potest, & Domini auxilium poscat humiliter. Confundatur quoque in præsentia Domini, quod sanctum suũ beneplacitum non diligit toto corde, & quod propositum suum, (scilicet velle Diuinum beneplacitum) perficere non sinat, propter alia transitoria, quæ magis diligit. Sic contemplatio incipiat tua (iuxta consilium D. Bernardi super Cant.) à tui ipsius notitia, dum scilicet considerabis, quàm immortificatus sis, quàm ingratus, quàm tepidus, quàm carnalis, quàm vilis in anima & corpore, & displicere incipies tibi. Modus autem faciendi hanc recollectionem expressus est supra in die Dominica.

DOMI-

DOMINICA DIE DE BENEFICIO Glorificationis.

1. *Gaudia paradysi tibi promisit Deus: primò diuinitatis fruitionem, Redemptoris nostri, & Deiparæ virginis visionem supra te videbis.*

2. *Iuxta te, fruiturus est societate sanctorum iucundißima ob eorum qualitatem, sunt enim nobilißimi, speciosißimi, charitate plenißimi, & numero plurimi.*

3. *Intra te, propter glorificationem animæ & corporis, ratione quadruplicis dotis, qua adornabitur, videlicet claritatis, subtilitatis, impaßibilitatis & agilitatis.*

4. *Extra te, locum amœnißimum, deliciosißimum, scilicet odoribus, suauitatibus, melodijs, & diuersis harmonijs, altißimum, amplißimum, iucundißimum, pulcherrimum.*

5. *Subtus te, cùm perspexeris te tam sæuos, & terribiles, diuina virtute hostes vicisse, & commissos reatus Dei clementia defleuisse, & tam dolorosos cruciatus, Dei misericordia euasisse.*

Circum te, talia multa dona & magna ac speciosa, quæ nec oculus vidit, nec auris audiuit, &c.

DIE LVNAE, SEV FERIA II. de Beneficio Creationis.

1. *Primò, ab æterno te prædestinauit, & dilexit perpetua charitate, creauit te tempore, quo ei placuit, & inter nobilißimas creaturas te constituit: non lapidem, aut alíud quid simile creans.*

2. *Impendit tibi corpus cum membrorum integritate, complexionis bonitate, & sexus nobilitate, ad ei seruiendum te aptum faciens, tribuit tibi animam, creans*

eam ad imaginem & similitudinem suam, sui capacem, immortalem, & exornatam multis virtutibus & potentijs.

3. *Dedit tibi Angelum custodem à tuæ conceptionis hora in vtero matris tuæ, qui te custodiret, & multis beneficijs donaret.*

4. *Largitus est parentes Christianos, ex quibus nascereris Christianus, nō Saracenus aut Iudæus, & bonos parentes, & in tempore fidei Christianæ.*

5. *Creauit te ad gloriam, & sui fruitionem, & cælum, ignem, aërem, aquam & terram, & omnia quæ in eis sunt ad tuum vsum, non indigens ipse nec te nec illis, nec alio, quàm sua bonitate inuitatus & illectus.*

DIE MARTIS, SEV FERIA III. de beneficio Gratificationis.

1. *GRatificauit te in dilectissimo filio suo, non parcens ei, sed largiens eum tibi, in pretium, exemplum & socium.*

2. *Dedit tibi Spiritum sanctum in signum adoptionis, priuilegium dilectionis, & in auxilium desponsationis, sua tibi communicans dona, fructus & inspirationes.*

3. *Impendit tibi sacramenta, & primò sanctam ecclesiam, vbi in diluuio peccatorum, sicut Noe in arca, posses saluari, donauit.*

4. *Abluit te baptismate, in quo tibi indulsit originalem culpam, restituit innocentiam, vocauit te suo nomine Christianum, in sui memoriam filium Dei, & hæredem regni cælorum te constituit.*

DIE MERCVRII, SEV FERIA IIII. de beneficio Vocationis.

1. P*Assus est te licet post recepta beneficia à Deo auersum, & per diuersa scelera ad creaturas conuersum, noluit te in tali statu permanere & dãnare.*

2. *Te multifariàm errantem sæpè reuocauit, modò per internas inspirationes, modò per aliorum admonitiones, quandoque per sacræ scripturæ exhortationes, nonnunquàm per gloriæ & suppliciorum ostensionem: & alijs multis modis.*

3. *Donauit te bona voluntate, quæ suorum munerũ est principium, mentis tuæ surditatem confregit, ardens desiderium proficiendi dedit, conuersionis obstacula repulit.*

4. *Quoties ad eum conuerti voluisti, ad instar istius prodigi Euangelici paterno te recepit gaudio, amplexando, deosculando, & primam stolam restituendo, & annulum.*

5. *Præter hæc quod te pœnitentem recepit, de seculo te eduxit sicut Loth de Sodomis, & Abraham de Chaldæis, Noe de diluuio, & Ionam de vtero ceti, & ventre lupi. Coniunxit te conuentui bonorum, custodiens à conuentu malignantium.*

DIE IOVIS, SEV FERIA V. DE beneficio Iustificationis.

1. M*Vtauit voluntatem tuam, vt opera pœnitentiæ, quæ tibi prius erant amara, fierent dulcia, & quæ prius erant dulcia, fierent amarà: dando tibi peccandi in hoc, & in illo continentiam, quod est insigne donum.*

2. *Dedit tibi perseuerantiam & constantiam, sine qua nemo saluatur. Cùm multi qui melius inceperint, nō perseuerauerint. Constantiæ spem & gratiam, ne ab incœpto desisteres, sed sperares veniam, gratiam & gloriã te ab eo consecuturum, de hoc te certum quasi faciens diuersis modis internarum consolationum.*

3. *Tribuit tibi sacramentum sui pretiosi corporis & sanguinis in viaticum peregrinationis tuæ, in sacramentum vnionis, & in sacrificium redemptionis.*

4. *Exhibuit tibi sanctas scripturas tanquàm speculum, vbi tuos defectus valeas contemplari, affectus inflammare, magis ac magis purgare, & illuminare ac iustificare.*

5. *Tradidit ornamēta & exercitia virtutum, quibus fœditatem tuorum peccatorum operires, & nō in iustificatione deficeres, sanctos tibi in exempla consulit, quibus accendaris & instruaris.*

DIE VENERIS, SEV FERIA VI. de beneficio Dotationis.

1. P*Ræbuit tibi insignia dona, naturæ, fortunæ, gratiæ, præter omnia instrumenta corporis & animæ, te reduxit aberrantem, instruxit ignorantem, erexit iacentem, gratiam meditandi, & exterius te exercendi dedit, intellectum erudiendo, affectum inflammando, gustum internæ consolationis præbendo, atque arrham vitæ æternæ dando.*

2. *Caussam delinquendi propulsauit, & si quando te cadere permisit, in faciem cadere fecit, vt fortior surgeres, & ne frangereris, manum suppofuit, vitiorum deformitatem edocet, vt in virtutum admirationem trahat.*

SABBATHO, DE BENEFICIO Gubernationis.

1. *Conseruauit te in esse, dans tibi augmentum, & esse iucundũ & sanum, cùm ex te sis nihilum, te conseruauit à tantis periculis, languoribus, hostibus, subministrauit victum, domum, & alia vtilia.*

2. *Conseruauit in te propter te cæteras creaturas, ministrans successiones temporum, & producens diuersitatem florum, fructuum, &c. ad tollendum fastidium.*

3. *Te erexit non solùm per prospera, sed etiam per aduersa, imò & circa te est ita sollicitè intendens, ac si ei non esset cura aliorum, & semper est tibi præsens, omnia opera tua prospiciens, & mittit semper Angelos suos miro ordine.*

DE MISERIA HOMINIS EX parte Corporis.

Considera te olim nihil fuisse,
Animal irrationale creari potuisse.
Conceptum esse cum sorde peccati.
Filium iræ, & inimicum Deo factum.
Quo cibo nutritus sis in vtero.
Quàm miserè editus in lucem.
Quàm grauis alijs in infantia,
Te nunc vas esse putredinis plenum,
Morbis innumerabilibus obnoxium.
Eductum in lachrymis.
Viuentem in miserijs.
Moriturum in angustijs.
Escam futurum vermium.
Quod nunc es, fuisse olim mortuos.
Quod illi sunt, te paulò post futurum.
Hic corpus vermibus, illic animam tormentis cruciari.

TESTAMENTVM SIVE PROTESTATIO CHRISTIANI Hominis quotidiè, & præsertim in infirmitate facienda, & repetenda sæpiùs.

EGO peccator indignißimus, pretiosißimo Domini nostri IESV Christi sanguine redemptus, palàm profiteor me sincero corde ignoscere omnibus, qui quouis modo mihi iniuriam, vel molestiam aliquam intulerũt, & humiliter rogo tam præsentes quàm absentes omnes, vt mihi vicißim ignoscant, & dimittant, si in aliquo eos offendi.

Agnosco me hactenus non vixisse purè, nec sanctè coràm Domino, sicut viuere debueràm. Agnosco scelera mea multa nimis. Agnosco culpas, & negligentias meas infinitas. Agnosco quidquid mali per totam vitam meam commisi, & supplici mente à misericordißimo Domino Deo nostro veniam peto, dolens quòd vmquàm eum offenderim, & proponens deinceps vitare peccata, & peccandi pronitatem & occasionem. O vtinam numquàm in vita mea Diuinam bonitatem aliquo peccato offendissem, imò vellem si poßibile mihi esset, in signum veræ contritionis sanguineum sudorem, & sanguineas lachrymas pro peccatis & excesßibus meis abundanter effundere. Quamuis autem grauiter, & multis modis hactenus offenderim, non tamen diffido de omnipotenti & benignißima misericordia ipsius Redemptoris mei, sed spero per meritum paßionis, & mortis eius: non autem ita per merita mea fore me æternæ vitæ, atque hæreditatis participem. Ego ipsam paßionem eius sacratißimam pro refugio, monumentoque

tutiſsimo habeo. Ego eam inimicis meis inuiſibilibus ſemper & vbique tamquàm armaturam inexpugnabilem obijcio. Eam ſanctæ Trinitati pro meritis quæ mihi deſunt, & pro perfecta ſatisfactione de peccatis meis offero, & cum Eccleſia Catholica fidem meam profiteor, dicens: Credo in Deum Patrem omnipotẽtem, &c. *Proteſtor itaque coram Sanctiſsima Maieſtate tua, ac glorioſiſsima Virgine Maria matre tua, totaque Curia cœleſti, me cupere & velle in ea fide vitam hanc finire, in qua conuenit obedientem Sanctæ matris Eccleſiæ filium mori. Ideoque intimo corde, & feruentiſsimo deſidero, humiliterque peto, propter Deum mihi ſubueniri in extremis, Eccleſiæ Sanctis Sacramentis, videlicet Pœnitentiæ, Eucharistiæ, & Extremæ Vnctionis. Proteſtor iterum iterumque, me credere vniuerſa, quæ ipſa Catholica Romana fides continet, & quæ à veris orthodoxis Chriſti fidelibus credenda ſunt. Quòd ſi (vt varia ſe offerunt pericula) eorum occaſione (quod abſit) ab hac fide deuiarem, vel impugnatione Dæmonis, vel violentia morbi preſſus, aliquid huic propoſito contrarium cogitarem, loquerer, aut facerem, iam illud reuoco, & conteſtor nunc & tunc, me nullo modo conſentire talibus cogitationibus, verbis, vel operibus. Gaudeo & gratias ago tibi miſericordiſsimo creatori, & ſaluatori meo, cuius ineffabili pietate me in hac fide moriturum confido. In manus tuas ſanctiſsimas animam meam & corpus meum nunc, & in hora mortis meæ commendo. Tu mihi ſuccurre bone Ieſu. Ieſu mihi adeſto: adeſto mihi Ieſu, Ieſu mihi adeſto. Peccaui in cœlum & coram te, iam non ſum dignus vocari filius tuus, fac me ſicut vnum de mercenarijs tuis. Deus propitius eſto mihi peccatori. Domine fac vt videam, Domine adauge mihi fidem meam. Domine ſaluum me fac. Media vita in morte ſumus, quem quæremus adiutorem niſi te Domine? qui pec-*

catis

catis nostris iustè irasceris. Sancte Deus, Sancte fortis, Sancte & misericors saluator, amaræ morti ne tradas nos: ne proijcias nos in tempore senectutis, cùm defecerit virtus nostra, ne derelinquas nos. Sancte Deus, &c. Peccauimus tibi Domine cum patribus nostris, iniustè egimus, iniquitatem fecimus.

Tibi quoque ô Angele Dei, qui mihi ad custodiam datus es, commendo fideliter hanc meam sententiam & voluntatem, humiliter petens, vt illam offeras Patri meo clementissimo tempore necessitatis meæ, cùm ab ipso donata sit, vt eam in sanguine filij sui Domini nostri IESV Christi sanctificare dignetur, & me ad perfectionem perducere antequàm moriar. Quia ipsi cupio hic & in æternum, tamquàm minimum suum ac vilissimum mancipium, quod tamen manus eius fecerunt & plasmauerunt, diligenter seruire. Tu qui corda scrutaris & renes, scis quid possim tua gratia, fac vt in cœlo & in terra voluntas tua in me fiat. Gaudium accedat matri tuæ sanctissimæ Virgini Mariæ, Angelo custodi, *patronis meis D. Thomæ, Catharinæ, N. & tibi gloria in æternum & vltra.* Amen.

HYMNVS DE GLORIA PARADISI, ex Petro Damiano Card. Host. ex dictis S. August. lib. medit. cap. 26.

AD perennis vitæ fontem,
Mens sitiuit arida,
Claustra carnis præsto frangi
Clausa quærit anima,
Gliscit, ambit, eluctatur,
Exul frui patria,

Dum pressuris, ac ærumnis
Se gemit obnoxiam,
Quam amisit, dum deliquit,
Contemplatur gloriam,
Præsens malum auget boni,
Perditi memoriam,
Nam quis promat summæ pacis,
Quanta sit lætitia,
Vbi viuis margaritis,
Surgunt ædificia,
Auro celso micant tecta,
Radiant triclinia,
Solis gemmis pretiosis
Hæc structura nititur,
Auro mundo tanquam vitro,
Vrbis via sternitur,
Abest limus, deest fimus,
Lues nulla cernitur,
Hyems horrens, æstas torrens,
Illic nunquàm sæuiunt,
Flos perpetuus rosarum
Ver agit perpetuum.
Candent lilia, rubescit
Crocus, sudat balsamum.
Virent prata, vernant sata,
Riui mellis influunt,
Pigmentorum spirat odor,
Liquor & aromatum,
Pendent poma floridorum
Non lapsura nemorum.
Non alternat luna vices,
Sol, vel cursus siderum,
Agnus est fœlicis vrbis
Lumen in occiduum.

Nox & tempus desunt ei.
Diem fert continuum.
Nam & Sancti quique, velut
Sol praeclarus rutilat,
Post triumphum coronati
Mutuò coniubilant,
Et prostrati pugnas hostis
Iam securi numerant.
Omni labe defœdati,
Carnis bella nesciunt,
Caro facta Spiritalis,
Et mens vnum sentiunt,
Pace multa perfruentes
Scandala non perferunt.
Mutabilibus exuti
Repetunt originem,
Et praesentem veritatis
Contemplantur speciem.
Hinc vitalem viui fontis
Hauriunt dulcedinem.
Inde statum semper ijdem,
Exeuntes capiunt.
Clari, viuidi, iucundi,
Nullis patent casibus.
Absunt morbi semper sanis,
Senectus iuuenibus.
Hinc perenne tenent esse,
Nam transire transijt,
Inde virent, vigent, florent,
Corruptela corruit.
Immortalis vigor atrae
Mortis ius absorbuit.
Qui scientem cuncta sciunt,
Quid iam scire nequeunt?

Nam & pectoris arcana
Penetrant alterutrum.
Vnum volunt, vnum nolunt,
Vnitas est mentium.
Licet cuique sit diuersum
Pro labore meritum.
Charitas hæc suum facit,
Quod dum amat alterum.
Proprium sic singulorum,
Commune fit omnium.
Vbi corpus, illic iure
Congregantur aquilæ.
Quæ cum Angelis, & Sanctæ
Recreantur animæ.
Vno pane viuunt ciues
Vtriusque patriæ.
Auidi & semper pleni,
Quod habent desiderant.
Non satietas fastidit.
Neque fames cruciat.
Inhiantes semper edunt,
Et edentes inhiant.
Nouus semper harmonias,
Vox meloda concrepat.
Et in iubilum prolata,
Mulcent aures organa.
Digna per quem sunt victores
Regi dant præconia.
Fœlix cœli, quæ præsentem
Regem cernit anima,
Et sub sede spectat alta,
Orbis volui machinam.
Solem, lunam & globosa
Cum planetis sydera.

Christe palma bellatorum,
Hoc in municipium.
Introduc me post solutum,
Militare cingulum.
Fac consortem donatiui.
Beatorum ciuium.
Præbe vires inexhausto,
Laboranti prælio.
Vt quietem post præcinctum,
Debeas emerito.
Teque merear potiri,
Sine fine præmio.
AMEN.

DE MISERIA HOMINIS EX parte animæ.

Considera, vt ex nihilo creata,
Labe carnis inquinata,
Infirmitate, & ignorantia plena.
Quæ pericula post baptismum.
Primum lethale peccatum mortem animæ attulisse.
Quàm multa flagitia illi posteà accreuerint
Hanc seruam esse peccati, & dæmoni subiectam.
Quot tentetur carnis titillationibus.
Quot huius seculi illecebris,
Quot illusionibus dæmonis:
Vitam hanc mare esse æstuosum
Infinitis perturbationibus subditam.
Potentiam inimicorum maximam
Prælium animæ periculosum,
Terram durum exilium
Infernum horrendum receptaculum.

DE EFFECTIS PECCATI.

Considera maculari baptiſmalem animæ pulchritudinem,

Priuari animam dulcedine diuinæ gratiæ.

Offenſo creatore, iniuriam fieri cæteris creaturis.

Amicam fieri Luciferi, & ſeruam peccati.

Aſſcribi numero reproborum omnium.

Ex vno peccato in aliud atque aliud præcipitari.

Derelicta ſynderesi, omnia perperàm agere.

Intellectus lumen obſcurari.

Memoriæ vim ad diuina minui.

Voluntatem illicitis inflammari.

Appetitum ſenſitiuum perturbari.

Merita Chriſti parum animæ prodeſſe.

Sanctorum & Iuſtorum ſatisfactionibus priuari.

Præteritorum benefactorum fructu ſpoliari.

Inſpirationes ſanctas conſuetudine peccandi ſuffocari.

Cœlum claudi, infernum aperiri, pœnas indies augeri.

DE CASTIGATIONE peccati.

Lucifer ob ſuperbiam è cœlo in æterna tormenta detruſus eſt.

Adam ob inobedientiam ex delicijs in miſerias eſt eiectus.

Totus terrarum orbis ob luxuriam diluuio obrutus.

Quinque vrbes ob libidinem diuinitùs conflagrarunt.

Ob inuidiam Dathan, & Abiron hiatu terræ abſorbentur.

Furtum infelicis Achan lapidatione mulctatur.
Audacia Ozæ repentina morte punitur.
Adulterium Dauid seuerißimè castigatur.
Isabelis impietas præcipitio, & canum dilaceratione.
Blasphemia Sennacherib exercitus strage, & ipsius interitu.
Superbia Regis Antiochi horrendo morbo pediculari.
Sacrilegium Ananiæ, & Saphiræ morte repentina.
Peccata nostri temporis, peste, bello, & alijs incommodis.
Christus, vt peccatum deleret, cruci affixus est.
Illud tandem in penetralibus inferni obserabit.
Quid facias miser, tot peccatorum pondere oppressus?

DE BENEFICIIS ANGELI custodis, & hominis ingratitudine.

Consídera quoties Angelum custodem tuis flagitijs offendisti
Quoties ille errantem ad viam salutis te reduxit.
Quot pericula ipsius ope, & charitate euasisti.
Aliquando fortaße fuißes ab alio ex improuiso occisus.
In itineribus à latronibus, & alijs periculis reseruauit.
In fluminibus, vel mari, ne submergereris, tibi adfuit.
Quoties fecit, ne cibus, vel aër infectus tibi obesset
Quoties ne equi calce, vel tegulæ casu læderer is.
Quoties spiritus fornicationis ab illo expulsus est.
Quoties, ne ira concitatus proximo noceres, te cohibuit.
Quot laqueos dæmonum ipsius ope à pueritia vitasti.

Quoties in peccato hærentem diabolus te suffocasset, nisi prohibuisset.
Quando in peccatum incidisti, ad confessionem te excitauit.
Bona consilia in dubijs continuò tibi suggeßit.
Tua ingratitudine offensus, te iuuare non desijt.
Vide, quàm sis illi obligatus, & quam referas gratiam.

DE MORTE EX PARTE Corporis.

Considera statum morientis ex grauitate morbi, & agonis.
Quid prosint medici, eorumque remedia, & consilia.
Quid iuuent parentum, & amicorum lachrymæ:
Solius Dei, quem offendit, iudicio relinqui.
Mundum eum deserit, quem ipse tantoperè desiderabat.
Omnium poſſeßione cedere cogitur.
Rerum omnium creatarum vsu priuatur.
Singulorum membrorum dolore torquetur.
Quinque sensus paulatim eum deserunt.
Nudus, vt ingressus erat, discedit è vita.
Cadauer vix ad paucas horas ab amicis domi toleratur.
Vbi forma, doctrina, vel prudentia, quam admirabaris?
Quæ memoria erit de ipso post aliquot annos?
Cadauer vermibus deuorandum obijcitur.
Sic statutum est omnibus semel mori.
Hora, locus, modus incertus.

DE MORTE EX PARTE ANIMAE in peccato existentis.

Considera, vt anima cognoscens finem suæ peregrinationis obstupescit.

Exitum viæ, quam ingressura est, timens, ingemiscit.

Corpus, quod delicatè tractauit, cogitat esse relinquendum.

Luenda videt quæcunque fecit, & cogitauit.

Dæmon, quicquid contra Deum commisit, importunus obijcit.

Id eam maximè excruciat, quod in vita charissimum fuit.

Tetris dæmonum spectris horribiliter exagitatur.

Nunc cognoscit, quàm imprudenter vixerit,

Quàm melius esset pœnitentiam, quàm voluptatem coluisse.

Intus sentit conscientiam accusantem, ac se condemnantem.

Horret prodire ante offensi Iudicis conspectum.

In singula momenta tremendam ipsius sententiam expectat.

Circumspicit vndique, & defensorem non inuenit.

Soluta corpore, ignotas regiones ingreditur.

Ab Angelo custode, cuius monita contempsit, deseritur.

A Dæmonibus, quibus obediuit, violenter rapitur.

Æterni tandem inferni flammis addicitur.

DE MORTE EX PARTE animæ iustæ.

Consideras, quomodo gaudeat iam aduenisse finem laborum.

Corpore, quod semper domitum habuit, quàm libenter spoliatur.

Memoria ieiuniorum, ac pœnitentiæ plurima recreatur.

Contra dæmones, viuæ fidei clypeo munitur.

Spei adminiculo contra desperationem confirmatur.

Virtutum fragrantia mirificè delectatur.

Sanctorum præsentia in vltimo conflictu recreatur.

Dæmonum irruentium agmina, Christi munere dißipantur.

Ecclesiæ, & amicorum precibus mirum in modum reficitur.

Sacramentorum, quæ coluit, salutarem vim experitur.

Intus habet conscientiam pacatam, extrinsecus Angelum consolantem.

Extra se matrem Dei sibi applaudentem respicit.

Sursum Christum sponsum ad Regnum gloriæ inuitantem.

Sic ad cœlestes nuptias gestit euolare.

Torrente diuinæ voluptatis perpetuò inebriatur.

De signis præcedentibus iudicium.

Considera aduentum, & tremenda facta Antichristi.

Persequutionem bonorum, qualis nunquam fuit.

Famem & pestem toto orbe terrarum grassantem.

Quomodo mare insolitis fluctibus et procellis agitabitur.

Monstra, & belluæ marinæ in terris cum fluctibus irrumpent.
Ipsum mare conflagrabit, & aqua fluctuans ardebit.
Herbæ, plantæ, & arbores, rorem emittent sanguineum.
Palatia, arces, oppida, & vrbes corruent.
Saxa saxis, montes montibus collidentur.
Terra motibus concutietur insolitis.
Omnes montes vallibus æquabuntur.
Abijcient se homines in cauernas pauore attoniti.
Stellæ cadere de cœlo videbuntur.
Terra, & quicquid in ea est, igne consumetur.
Mortuis omnibus, omnium succedet resurrectio.
Ossa mortuorum carnem resument, vt adsint ad iudicium.
Tunc fiet cœlum nouum, & terra noua,
Quid tunc eris?

DE GENERALI IVDICIO.

Considera, quomodo quisque attendit sibi ipsi, & non alteri.
Cerne damnatorum animas in horrendis corporibus.
Considera varietates ordinum Iudicem expectantium.
Apparebit signum filij hominis in cœlo.
Aspice venientem Iudicem cum summa maiestate.
Is erit inflexibilis, cùm sit summè rectus.
Fugere, aut occultari nemo poterit, cùm sit omnipotens.
Nihil eum latebit, qui scrutatur corda, & renes omnium.
Omnes omnium cogitationes, & facta patebunt omnibus.
Reddenda erit ratio de donis externis corporis, & animæ.
Nihil omninò inultum manebit.

Multi erunt accuſatores, amicus nullus reprobis.
Bonorum rectè facta coram omnibus prædicabuntur.
Maxima cum lætitia audient boni: Venite benedicti.
Exprobrabuntur malis peccata coram omnibus, & audient: Ite maledicti.
Abſorptis in inferno damnatis, cælum iuſtos amplectetur.

DE INFERNO.

Conſidera loci deformitatem, profunditatem & fœtorem.
Vide flammas ſulphureas, & in ipſis damnatos infelices.
Tortorum horribiles formas, atrocitatem, & vim indefeſſam.
Audi horrendos miſerorum vlulatus, & blaſphemias.
Viſus torquetur tenebrarum denſitate, & dæmonum præſentia.
Auditus maledictionibus continuis, & tortorum irriſionibus.
Tactus acerbitate ignium, frigorum, & diſcerptionum.
Guſtus incredibili rerum omnium, quæ ibi ſunt, amaritudine.
Odoratus tetro odore loci, & peccatorum omnium.
Memoria recordatione præteritarum voluptatum.
Intellectus apprehenſione æternarum pœnarum.
Voluntas acerbiſſimo odio eorũ, qui ibi, & in cælo ſunt.
Corpus totum omnibus tormentorum generibus excruciatur.
Anima atrociſſimè angitur ſine ſpe relaxationis.
Conſidera multos damnatos, qui minus quàm tu, peccauerunt.
Neminem liberatum iri, qui cum peccato mortali deceſſerit.

DE GLORIA PARADISI.

Considera loci ſplendorem, amœnitatem & amplitudinem.

Quantum ſit gaudium videre ſanctam Trinitatem fontem bonitatis.

Videre Chriſtum Regem cœlorum in decore ſuo.

Beatiſsimam Virginem, & ſanctos omnes gloriæ pleniſſimos.

Frui iucundiſsima omnium eorum conſuetudine.

Præditum eſſe præclaris illis corporis, & animæ dotibus.

Frui tam multis, & pretioſis donis, quæ oculus non vidit.

Videre ſub pedibus horrendos dæmones, quos Dei munere ſuperaſti.

Super caput gloriam ſempiternam, quam meritis Chriſti es adeptus.

Præteritæ pœnitentiæ fructus vberrimos.

Ita affici de omnium, qui ibi ſunt bonis, vt de proprijs.

In omnibus ſenſibus incredibilem delectationem percipere.

Deum ſine fine videre, ſine faſtidio amare, & ſine fatigatione laudare.

Securiſsimam, & æternam horum omnium bonorum poſſeſsionem.

Quam ſit miſer, qui ob breuem delectationem tantis bonis ſe priuauit.

Quid agendum tibi ſit, vt tanta gaudia poſsis adipiſci.

OCTO BEATITVDINES, DE QVIbus Christus apud Matthæum ca.8.Modus quoq; ac ratio dictas Beatitudines acquirendi.

Prima Beatitudo.

Beati pauperes spiritu,quoniam ipsorum est regnum cœlorum.

Pauperes spiritu faciunt hæc,
- *Peccata recognoscere,*
- *Seipsum contemnere,*
- *Neminem spernere,*
- *Omnes honorare.*

Secunda.

Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram.

Mitem efficiunt hæc,
- *Dulcis responsio,*
- *Suauis admonitio,*
- *Benigna reprehensio,*
- *Pia condonatio.*

Tertia.

Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur.

Lugentem reddunt hæc,
- *Exclusio à gloria,*
- *Detentio in miseria,*
- *Proximorum mala,*
- *Peccata propria.*

Quarta.

Beati qui esuriunt & sitiunt iustitiã, quoniã ipsi saturabuntur.

Esurientem & sitientem faciunt hæc,	*Horror vitiorum,* *Feruor virtutum,* *Fastidium temporalium,* *Desiderium æternorum.*

Quinta.

Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.

Mundum corde faciunt hæc,	*Sinceritas intentionis,* *Rectitudo operationis,* *Exclusio prauæ cogitationis,* *Assiduitas contemplationis.*

Sexta.

Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur.

Misericordem efficiunt hæc,	*Compassio in tribulatione,* *Humanitas in necessitate,* *Largitas cum hilaritate,* *Benignitas cum affabilitate.*

Septima.

Beati pacifici, quoniam filij Dei vocabuntur.

Pacificum reddunt hæc,	*Silentium & solitudo,* *Frequens & deuota oratio,* *Assidua contemplatio, & mentis Meditatio.* *De nulla re intromissio.*

Octaua.

Beati qui perſecutionem patiuntur propter iuſtitiam, quoniam ipſorum eſt regnum cœlorum.

Patientem efficiunt hæc, { *Timor æterni ſupplicij,* / *Amor feruens Dei,* / *Memoria paßionis Chriſti,* / *Spes & gaudium præmij æterni.* }

SEQVITVR IBIDEM.

BEati eſtis, cùm maledixerint vobis homines, & perſecuti vos fuerint, & dixerint omne malum aduerſum vos, mẽtientes propter me, gaudete & exultate, quoniam merces veſtra copioſa eſt in cœlis.

VIRI CVIVSDAM DEVOTI CONtra vitia Capitalia, & alia quædam peccata, ſententia ac decretum.

CONTRA SVPERBIAM.

VBi cognoui Deum altißimum pro me extremè humiliatum, nunquam adeò me deprimere potuit homo, quin maiori me vilipenſione dignum iudicarem.

CONTRA AVARITIAM.

VBi cognoui animam meam nulla re poſſe ſatiari, præterquàm ſolo Deo meo, Miratus ſum, ſi aliud præter ipſum quærere debeam?

CONTRA LVXVRIAM.

VBi cognoui corporis mei nobilitatem, & quòd mihi conceditur purißimum Christi corpus sumere in os meum, dignum duxi omnibus modis laborare pro perpetua cordis & corporis puritate, ac memor esse doctrinæ D. Hieronymi, qui ait: Nolo spe pugnare victoriæ, ne aliquando perdam victoriam, si fugero, gladium deuitaui: & ideò fugio ne vincar. Nulla securitas est vicino serpente dormire: potest fieri vt me non mordeat, tamen potest fieri, vt aliquando me mordeat, &c.

CONTRA IRACVNDIAM.

NVlla hominum infidelitas me perturbare potuit, dum perpenderem quàm infidelis Deo meo fuerim ego. Et quoniam hic motus plerunque infixus est naturæ ac moribus, vt euelli atque euinci non queat, si præuidere hunc possum, ratione reprimo. Aut si prius occupatus fuerit animus ab indignatione, quàm consilio prospici aut prouideri potuerit ne occuparetur, meditor quomodo animi mei motum vincã, iracundiã temperẽ, ac iuxta D. Ambros. præceptum resisto iræ si possum, cedo si non poßũ. Cauere studeo ne in perturbationes prius incidã, quàm animum meum ratio componat. Examinat enim mẽtem plerunq; aut ira, aut dolor, aut formido mortis, & improuiso percellit ictu. Ideò præuenire pulchrum indico cogitatione, quæ voluendo mentem exerceat, ne repentinis excitetur commotionibus, sed iugo quodam rationis & habenis constricta mitescat. Boni speculatoris esse iudico, ita prætendere animo, vt appetitus neque præcurrat rationem, neque deserat, ne præcurrendo perturbet atque excludat, eamque deserendo destituat. Plerumq; dum ani-

Arnob. lib. 1. Off. cap. 21. 13. & 7.

mus exagitatur, amittitur non solùm ratio, sed etiam inflammatur vultus, vel iracundia, vel libidine, pallescit timore, voluptate se non capit; vel nimia gestit lætitia. Hæc cùm fiunt, abijcitur illa naturalis quædam censura, grauitas morum, autoritas ac constantia amittitur.

CONTRA GVLAM.

V*Bi gustaui cœlestium ciborum dulcedinem, nulla terreni edulij me seducere potuit ingluuies.*

CONTRA INVIDIAM.

V*Bi cognoui quòd Deus me tantum peccatorem in gratiam receperit, non potui aliquem hominem odisse propter ipsius iniquitatem.*

CONTRA ACEDIAM.

V*Bi perpendi quòd post breuißimum laborem æterna conquiritur beatitudo, nimis exiguum arbitratus sum quemcunque ego tollerauero laborem.*

CONTRA VITIVM LINGVAE.

C*Omplures vidi loquendo in peccatum incidisse, vix quemquam tacendo. Sapientem ergo esse iudicaui, qui nouit tacere. Ideò sancti Domini, qui sciebant, quia vox hominis plerunque peccati adnuntia est, & initium erroris humani, amabant tacere. Hinc iuxta D. Ambrosij monita, linguæ meæ præcepi, vt proferat sermones libra examinatos iustitiæ, vt sit grauitas in sensu, in sermone pondus, atque in verbis modus, vt sic fiam mitis, mansuetus, atque modestus.* *Ambros. c. 1. Offic. cap. 2. & 4.*

CONTRA INIVRIAS.

QVando aliquis mihi conuitiatur, lacesſit, ad violentiam prouocat, ad iurgium vocat, tunc ſilentium exerceo, tunc mutus fieri non erubeſco. Peccator eſt enim qui me prouocat, qui iniuriam facit, & me ſimilem ſui fieri deſiderat. Si retulero contumeliam, dicetur: ambo conuitiati ſunt. Vterque condemnatur, nemo abſoluitur. Iuſti eſſe iudico diſſimulare, nihil loqui, tenere fructum bonæ conſcientiæ, plus committere bonorum iudicio, quàm criminantis indulgentiæ, contentum eſſe grauitate morum ſuorum. Hoc eſt enim ſilere à bonis. Occurrit mihi exemplum Dauid, quando maledixit ei Semei. Impium, ſibi ipſi pœnam eſſe, iuſtum verò ſibi ipſi gloriam, ac vtriq; aut bonorum, aut malorum operum mercedem ex ſe ipſo ſolui.

CONTRA OMNIA VITIA.

CVM Dominicæ paſſionis & mortis amaritudinem ad memoriam reuoco, nihil adeò eſt aſperum, quod non æquanimiter portem.

QVERELA SIVE DIALOGVS Animæ & corporis damnati, quem aiunt quidam S. Bernardum per nocturnum viſum compoſuiſſe.

Noctis ſub ſilentio tempore brumali,
Deditus quodammodo ſomno ſpiritali,
Corpus carens video ſpiritu vitali,
De quo mihi viſio fit ſub forma tali:

Cùm dormirem paululum, vigilando fessus,
Ecce quidam spiritus, nouiter egressus,
De prædicto corpore, vitijs oppressus,
Corporis cum gemitu plangebat excessus.

Iuxta corpus anima stetit & plorauit,
Et eam cum gemitu sic interrogauit:
O caro miserrima, quis te sic prostrauit,
Quam mundus tam prosperè te pridie ditauit?

Nonne mundus pridie tibi subdebatur?
Nonne te prouincia tota verebatur?
Vbi nunc familia, quæ te sequebatur?
Cauda tua florida iam nunc amputatur.

Non es nunc in turribus de petris quadratis,
Sed nec in palatijs magnæ largitatis.
Nunc delata feretro paruæ quantitatis,
Iaces nunc in tumulo breuiore satis.

Quid tibi palatia prosunt, vel quid ædes,
Vix nunc tuus tumulus benè capit pedes.
Quemquam falsò iudicans amodò non lædes,
Per te data nobis est in inferno sedes.

Ego, inquam, anima nobilis creata,
Ad similitudinem Domini formata.
O caro miserrima mecum es damnata,
Si scires supplicia nobis præparata,
Verè posses dicere, heù quid fui nata?
Vtinam ad tumulum de ventre translata?

Non est mirum fateor, quia dum vixisti,
Quicquam benefacere me non permisisti:
Sed semper ad scelera pessima traxisti,
Vnde semper erimus in dolore tristi.

In pœnis acerrimis sum, & semper ero,
Nullæ linguæ sæculi dicerent pro vero,
Vnam pœnam miseram, quam infœlix fero.
Sed, quod magis doleo, veniam non spero.

Vbi sunt nunc prædia, quæ tu congregasti,
Vel celsa palatia, turres quas fundasti?
Et nummorum copia quam tu plus amasti,
Gemmæ per quas annulis digitos ornasti?
Vbi lecti strati iam tam miri decoris,
Vestis mutatoria varij coloris?
Species aromatum placidi saporis,
Vasa, mensæ, gausapæ niuei candoris?
Vbi modo volucres, vel caro ferina,
Vel murenæ nobiles, vel electa vina,
Non agnis, nec gregibus redolent coquinæ.
Talis peccatoribus imminet ruina.
Tua domus qualiter tibi modo placet?
Eius nonne summitas super nasum iacet?
Iam clauduntur oculi, lingua tua tacet.
Nihil tibi superest, quod iam lucro vacet.
Quicquid dudum misero congregasti more,
Dolo, fraude, fænore, metu, vel rigore,
Longæua per tempora, cum magno labore,
A te totum rapiunt mors, humus humore.
Non modò circundaris amicorum choris,
Cùm per mortem cecidit flos tui decoris.
Rapitur cuiuslibet vinculum amoris,
Tuæ iam tristitia cessauit vxoris.
In tuis parentibus amodo non speres,
Quia sibi remanent terræ, Bacchus, Ceres,
Et thesauri copia pro qua pœnas feres.
Mortem tuam breuiter plangit tuus hæres.
Non credo quòd mulier tua, siue nati,
Darent quinque iugera terræ siue prati.
Vt nos, qui de medio iam sumus sublati,
A pœnis redimerent, quas debemus pati:
Iam scis caro misera, quàm sit malè tuta
Mundi nequam gloria, fallax & versuta:

Repleta doloribus, vitijs polluta,
Et veneno dæmonum nequiter imbuta:
Pretiosis vestibus non es nunc induta,
Tuum valet pallium, vix duo minuta,
Paruo linteamine iaces inuoluta,
Tibi modò pauperes non ferent tributa.
Et licèt non sentias nunc tormenta dura,
Scias quòd supplicijs non es caritura.
Nam testantur omnia scripturarum iura,
Quòd tormenta postmodum mecum es passura.
Te, qui pater pauperum non eras, sed prædo.
Iam rodunt in tumulo vermes, & putredo.
Tecum diu nequeo stare, iam recedo.
Nescis ad opposita respondere, credo.

RESPONDET CORPVS.

Tandem postquam anima talia dixisset,
Sese corpus erigit, quasi reuixisset.
Postquam verò gemitus multos emisisset.
Quærit quisnam talia locutus fuisset.
Es tu, inquit, spiritus meus, qui sic faris?
Non sunt vera penitus cuncta, quæ causaris:
Iam probabo pleniùs, argumentis claris,
Quod, si quædam vera sint, multis nugaris.
Feci te multoties in multis errare,
Et à bonis actibus sæpè declinare.
Sed si caro faciat animam errare,
Plus est culpa spiritus, audi tamen quare.
Mundus & dæmonium fœdus pepigere,
Et carnem miserrimam secum coniunxere,
Quam si rigor animi cesset coërcere:
In peccati foueam cadunt ambo verè.
Sed, vt mihi dixeras, Deus te creauit,

Et bonam, & nobilem, sensu te ditauit,
Et ad suam speciem pariter formauit,
Vt ancilla fierem tibi me donauit.
Ergo, si tu domina creata fuisti,
Et dabatur ratio per quam debuisti
Nos in mundo regere, cur mihi fauisti,
In rebus illicitis, & non restitisti?
Num carnem, vt animam, iustum est culpari,
Quæ se, cùm sit domina, sinit ancillari?
Nam caro per spiritum debet edomari,
Fame, siti, verbere, si vult dominari.
Caro sine spiritu nihil operatur:
Eius adminiculo viuens vegetatur.
Caro quæ per spiritum non suppeditatur,
Per mundi blanditias mox infatuatur.
Caro quæ corrumpitur per se malum nescit,
Carni sine spiritu nihil innotescit.
Si, quod iubes, exequor, culpa tibi crescit.
Caro sine spiritu, mortua quiescit.
Si voluntas spiritus in opus ducatur,
Per carnem pedissequam, caro quid culpatur?
Culpa tangit animam, per quam imperatur,
Id quod caro fragilis viuens operatur.
Carne quidem grauius tu peccasti, crede,
Carnis sequens libitum, fragilis & fœdæ.
Rodunt mea viscera vermes in hac æde,
Iam non loquar amplius, anima recede.

RESPONDET ANIMA.

ADhuc, dixit anima, tecum volo stare,
Et tua si potero, dicta refrænare,
Vt quid mihi loqueris corpus tam amarè,
Volens mihi penitus culpam imputare?

O caro miserrima, quæ viuens fuisti
Stulta, vana, friuola, à quo didicisti
Verba tam asperrima, quæ iam protulisti?
Attamen in pluribus rectè respondisti.
Istud enim consonum scio veritati,
Restitisse debui tuæ voluntati,
Sed tua fragilitas prona voluptati,
Nugis mundi dedita noluit hoc pati.
Quando te volebam, ô caro, castigare,
Verbere, vigilijs, vel fame domare,
Mox te mundi vanitas cœpit effrænare,
Et illius friuolis coëgit vacare.
Et ita dominium de me suscepisti,
Perditrix domestica de me sic fuisti.
Per mundi blanditias me post te traxisti;
In peccati puteum tandem me misisti.
Scio me culpabilem, nam in hoc erraui:
Quod, cùm essem domina, te non refrænaui,
Sed tu me deceperas fraude tam suaui,
Quare tu deliqueras culpa magis graui.
Si mundi delicias, dolos machinantis
Despexisses fatui, sed & incantantis
Dæmonis astutias, è cœlo tonantis
Adhæsisses monitis, essemus cum sanctis.
Sed tamen tripudijs mundi fraus arrisit,
Ac vitam diutinam firmiter promisit:
Quod mor non putabas, sed n o s hæc emisit:
Quando de palatio, ad tumbam te misit.
Hominum fallacium mundus habet morem,
Quod magis amplectitur, quibus dat honorem,
Illos fallit citius per necis rigorem,
Et dat post diuitias vermes & fœtorem.
Qui tibi, dum vixeras, amici fuêre,
Iacentem in tumulo nolúnt te videre.

Corpus hoc intelligens cœpit quasi flere,
Et verbis humilibus ita respondere.

RESPONDET CORPVS.

QVi viuendo potui multis imperare,
Aurum, gemmas, prædia, nummos congregare,
Castella construere, gentes iudicare,
Putasne quod credidi tumulum hunc intrare?
Optimè nunc video, & est mihi clarum,
Quòd nec auri dominus, nec diuitiarum:
Hònor, vis, scientia, virtus nec herbarum,
Mortis possunt fugere stimulum amarum.
Ambo quidem possumus à Christo culpari,
Et culpamur, fateor, sed non culpa pari,
Tibi culpa grauior debet imputari,
Multis rationibus potest hoc probari.
A sensato quolibet hoc non ignoratur,
Iura clamant, ratio pariter testatur,
Vt cui plus præ cæteris virtutum donatur,
Ab eo plus vtique tandem exigatur.
Vitam & memoriam, sed & intellectum,
Tibi dedit Dominus, sensumque perfectum,
Quibus tu compescere debebas affectum
Prauum, & diligere id quod erat rectum,
Post quam tot virtutibus ornata fuisti,
Et tu mihi fatua pronam te dedisti,
Meisque blanditijs minus restitisti,
Satis liquet omnibus, quod plus deliquisti.
Addo: licèt referam corde cum amaro,
Quod mihi iam patens est argumento claro,
Exeunte spiritu, agitne quid caro?
Mouetne se posteà vel citò, vel raro?
Videtne, vel loquitur? hoc est ergo cla[illegible]:

Spiritus viuificat, caro prodest parum.
Si haberet anima Deum suum charum,
Nunquàm caro vinceret vires animarum.
Si Deum dum vixeras, amasses perfectè,
Et si causas pauperum iudicasses rectè,
Nec prauorum hominum adhæsisses sectæ.
Nec me mundi vanitas concepisset, nec te.
Quæ viuebam splendidè, sericis amicta,
Ecce quæ de omnibus sunt mihi relicta
Putredo cum vermibus, & hæc domus stricta,
Quibus, post delicias mundi, sum amicta.
Et scio prætereà, quòd sum surrectura,
In die nouissimo, tecumque passura
Pœnas mortis perpetes: heu mors illa dura,
Mors interminabilis, fine caritura?

RESPONDET ANIMA.

AD hæc clamat anima, voce cum obscura,
Heu si nunquàm fuissem in rerum natura?
Cur permisit Dominus, vt sim creatura,
Cùm præscita fuerim esse peritura,
O fælix conditio pecorum brutorum,
Cadunt cum corporibus spiritus eorum.
Nec post mortem subeunt loca tormentorum.
Talis esset vtinam finis impiorum.

RESPONDET CORPVS.

COrpus post hæc loquitur animæ tam tristi:
Si tu apud inferos anima fuisti,
Dic mihi, te deprecor, quid ibi vidisti?
Si qua spes sit miseris de dulcore Christi.
Quid ibi nobilibus paratur personis

Qui prius, dum vixerant, sedebant in thronis?
Si sit illis aliqua spes redemptionis,
Pro numis, pro prædijs, cæterisque donis.

ANIMA RESPONDET.

Corpus, tua quæstio caret ratione.
Cùm infernum subeunt damnatæ personæ.
Non est spes vlterius de redemptione,
Nec pro eleêmosynis, vel oratione.
Si tota fidelium pietas oraret,
Si totam pecuniam mundus suam daret,
Si tota religio ieiunijs vacaret,
In inferno positum nunquàm liberaret.
Non daret diabolus ferus, & effrenis,
Vnam vinctam animam in suis catenis,
Pro centenis millibus prædijs terrenis,
Nec quando sineret, vt careret pœnis.
Ad hoc quod interrogas, quid ibi paratur
Personis nobilibus, hoc pro lege datur,
Quantò quis in seculo magis exaltatur,
Tantò cadit grauius, si transgrediatur.
Diues ergo moriens, si fortè damnatur,
Grauibus præ cæteris pœnis implicatur.
Nam, quantò delicijs plus delectabatur,
Tantò pœna grauior sibi deputatur.

AVCTOR.

Postquàm tales anima prompserat mœrores,
Ecce duo dæmones, pice nigriores,
Quos penna describere non possent scriptores,
Nec mundi depingere totius pictores.
Ferreos in manibus stimulos gestantes.

Ignemque sulphureum per os emittentes.
Similes ligonibus sunt eorum dentes,
Visi sunt ex naribus prodire serpentes.
Aures erant patulæ, sanie fluentes,
Et erant in frontibus cornua gerentes,
Per extrema cornuum venenum fundentes,
Digitorum vngulæ vt aprorum dentes.
Isti cum funiculis animam cœperunt,
Quam secum ad inferos gementem traxerunt.
Mox maligni spiritus, passim occurrerunt,
Qui vice tripudy dentibus striderunt.
Et ei cum talibus votis applauserunt.
Quidam cum corrigijs ipsam perstrinxerunt,
Quidam vncis ferreis ipsam disruperunt.
Quidam plumbum feruidum in eam fuderunt.
Quidam fimum stercorum in os proiecerunt.
Et quidam in faciem eius imminxerunt.
Quidam suis dentibus ipsam corroserunt.
Demùm & à corpore pellem detraxerunt.

DAEMONES.

AD hæc dicunt dæmones, quasi fatigati,
Ii qui nobis seruiunt, sic sunt honorati.
Possis modò dicere sicut bufo crati.
Sed debes in centuplum duriora pati.

ANIMA DICIT

POst hæc tandem anima gemens suspirauit.
Et voce qua poterat, parum murmurauit:
Quando verò barathri limen subintrauit,
Eiulans insonuit Iesu fili Dauid.

DAEMONES.

Conclamantes dæmones responderunt ei:
Tardè nimis inuocas nomen tui Dei.
Parum prodest amodò, miserere mei.
Non est vltra veniæ spes, nec requiei.
Non lumen de cætero videbis diei.
Decor iam mutabitur tuæ faciei,
Nostræ sociaberis dehinc aciei.
Erit apud inferos hoc solamen ei.

AVCTOR.

Talia dum videram dormiens, expaui,
Et extra me positus, statim vigilaui,
Mox expansis manibus ad Deum clamaui,
Orans vt me protegat è pœna tam graui,
Mundumque cum friuolis suis condemnaui.
Aurum, gemmas, prædia nihil reputaui.
Rebus transitorijs abrenunciaui,
Et me Christi manibus totum commendaui.
Ecce mundus moritur, vitio sepultus.
Ordo rerum vertitur, sapiens fit stultus.
Exultat iustitia, cessat Christi cultus.
Et in mundo iugiter labor & tumultus.
Mundus ad interitum pergit his diebus,
Dij facti sunt iterum Iuppiter, & Phœbus.
Nam qui nummos poßidet, & abundat rebus,
Hic vt Deus colitur, sceptris, aciebus.
Et quæ theologicæ virtutes vocantur:
Fides, Spes, & Charitas, ferè suffocantur.
Fraus, & auaritia, & quæ deriuantur.
Ex his, iam in seculo toto dominantur.
Si sis ortu nobilis, si vultu serenus,

Si benignus, humilis, moribusque plenus,
Hæc nil tibi proderunt, si tu sis egenus.
Nam sola pecunia formam dat & genus.
Dummodò sim splendidis vestibus ornatus,
Et multa familia sim circumuallatus,
Prudens sum, & sapiens, & morigeratus,
Ego tuus nepos sum, tu meus cognatus.
Ista cùm defecerint, statim euanescit,
Nostra consanguinitas morte refrigescit,
Cessatque notitia: ita quod me nescit,
Qui dum diues fueram, surgens mihi cessit,
O miranda vanitas, ô diuitiarum
Amor lamentabilis? ô virus amarum:
Cur tot viros inficis faciendo carum
Hoc quod transit citius, quàm flamma stuparum?
Si mundus diuitibus tria posset dare:
Iuuentutem floridam, & mortem vitare,
Pulchram & durabilem prolem procreare,
Benè possent diuites numos congregare:
Homo miser cogita, mors ista compescit.
Quis est ab initio qui morti non cessit?
Hic si viuit hodie, cras fortè putrescit.
Cuique prorsus hominum parcere iam nescit.
Quando genus hominum morti deputatur:
Quò post morem transeat quisquam, ignoratur.
Vnde quidam sapiens ita de se fatur:
Contremisco iugiter, dum mens meditatur,
Quid sum, & quò propero, quid mihi paratur,
De morte dum cogito, contristor & ploro,
Vnum est, quòd moriar, & tempus ignoro:
Tertium, quod nescio, quorum iungar choro,
Sed, vt suis merear iungi, Deum oro.

PRECA-

PRECATIO PRO REMISsione peccatorum.

DEus, qui iustificas impium, & non vis mortem peccatorum, maiestatem tuam supplices deprecamur, vt nos famulos tuos de tua misericordia cõfidentes, cœlesti protegas benignus auxilio, & assidua protectione conserues, vt tibi iugiter famulemur, & nullis tentationibus à te separemur. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

D. DOMINICI CARTHVsiani Exhortatio ad pœnitentiam.

HOmo Dei creatura,
Cur in carne moritura
Est tam parua tibi cura,
Præ æterna gloria?
Illa quanti sit si scires,
Præter eam nil sitires,
Nec mundana sic ambires,
Vana transitoria.
Et si pœnas infernales,
Agnouisses quæ, & quales,
Tuos vtique carnales
Appetitus frangeres.
Et innumera peccata,
Dicta, facta, cogitata,
Mente tota consternata,
Meritò deplangeres.
Tot sunt gaudia sanctorum,
Tot tormenta reproborum,

Quod immensitas amborum,
Nullo sensu capitur.
Donec anima post mortem,
Aut bonorum sumat sortem,
Aut malorum ad cohortem
Improuisè rapitur.
Quando caro sepelitur.
Heu de spiritu nil scitur,
Vtrum gaudet, an punitur,
Non fit magna mentio.
Luctus quidem simulatur,
Sed substantia vastatur.
In propinquis generatur
Zelus & contentio.
Mors est bonis, mors est malis
Sed sors nimis inæqualis
Subinfertur æternalis,
Vitæ vel interitus.
Exequiæ si celebrantur,
Si vel nati conuiuantur,
Nil defuncto suffragantur
Si tunc est immeritus.
Nullum tempus pœnitendi,
Mora nulla reuertendi,
Nec tunc locus fugiendi,
Miseris supererit.
Si vis sursum, detraheris,
De abyssis extraheris,
Iudici vt præsenteris,
Nihil tibi proderit.
Si Iesum non dilexisti,
Nec Mariæ seruiuisti,
Nec patronum quæsiuisti,
Tibi in subsidium.

Quis orabit pro delicto,
Quis spondebit pro conuicto,
Quis iudicio tam stricto,
Fiet in præsidium?
Pacis Angeli adstabunt,
Sicut scriptum est, plorabunt,
Iustam tamen approbabunt,
Iudicis sententiam.
Et quod sonat magis durè,
Omnes Dei creaturæ,
Aggrauabunt iusto iure,
Ream conscientiam.
Sed hæc factis ex scelestis,
Est sui ipsius testis,
Nullam Iudicis in gestis,
Intuens iniuriam.
Tunc horribiles terrores,
Tot incutient terrores,
Vt iam sentiens dolores,
Vertatur in furiam.
Tunc à bonis reprobata,
In seipsa desperata,
Anima sic desolata,
In profundum mergitur,
Vbi chaos obfirmatur,
Vt nunquàm egrediatur
Sicut Abraham testatur
Huc illuc non pergitur.
O quæ lingua vel narrare,
Vel quis sensus cogitare,
Quis vel audet numerare
Mala multiplicia?
Quæ damnandis sunt parata,
Et diuersis deputata,

Prout

Prout singula peccata
Exigunt & vitia:
Ignis, frigus procellarum,
Sulphur, fœtor tenebrarum
Iugis luctus animarum,
Pars earum calicis.
Sempiterna mors, dracones,
Fames, dæmones, bufones
Amarissimos agones,
Superaddunt miseris.
Tot sunt loca tenebrosa,
Tot tormenta monstruosa
Quot hæc terra spaciosa
Atque visibilia.
Quasi parum sint miranda,
Nec ad illa comparanda,
Ista quippe enarranda,
Hæc indicibilia.
Sic lætitia sanctorum,
Iucunditas Angelorum,
Dei gloria Deorum,
Est inenarrabilis.
Eris clarè Deum videns,
Fruens & amore tenens,
Potens, sciens, placens, gaudens,
Fulgens, liber, agilis.
Vbi conditoris tui,
Vultu semper possis frui,
Fœlix prorsus, illa cui
Visio conceditur.
A qua nunquàm separatur,
Sed perpetuò lætatur,
Mali nihil formidatur,
Nec quis ibi læditur.

Illic Angelorum chori,
Sancti facie decori,
Viuere, & nunquàm mori,
Mortis nec memoria.
In æternum sed gaudere,
Summo bono inhærere,
Cuncta bona poßidere,
In æterna gloria.
Numquàm auris hic audiuit,
Nec videre quisquam sciuit
Solum qui in cœlis viuit,
Scit experientia.
Quid à malis liberati,
Et in gloria locati,
Ipsi poßident beati,
In Christi præsentia.
Sed his paucis propalatis,
Partim tactis, & narratis
Quæ tum sanctis, tum damnatis,
Praparata legimus.
Iam prudentius agamus,
Sanctam vitam eligamus,
In hoc mundo defleamus,
Mala quæ peregimus.
Non viuamus vt iumenta,
Ne post mortem ad tormenta
Veniamus & lamenta,
Intollerabilia.
Modò veniam precemur,
Mortem Christi meditemur.
Ad superna præparemur
Desiderabilia.
Ecce mundus euanescit,
Decor eius iam marcescit

Et quotidiè vileſcit,
Fallax eius gloria.
Quæ demergit ad inferna,
Ergo gloria ſuperna,
Vita nobis ſempiterna,
Iugis ſit memoria.
Vt defuncti ſubleuemur,
Cum cælitibus lætemur,
Et in Deo gloriemur,
Summo delectabili.
Qui ſolus glorificandus
Eſt, amandus & optandus,
Laudeque magnificandus
Eſt interminabili.

ORATIO PRAEPARATORIA ad Sacramentalem peccatorum Confeſsionem.

Conditor cœli & terræ, Rex Regum, & Dominus Dominantium, qui me de nihilo feciſti ad imaginem & ſimilitudinem tuam, & me proprio tuo ſanguine redemiſti, quem ego peccator non ſum dignus nominare, nec inuocare, nec corde cogitare: Te ſuppliciter deprecor, & humiliter exoro, vt clementer reſpicias me ſeruum tuũ nequam. Et miſerere mei, qui miſertus fuiſti mulieris Cananeæ, & Mariæ Magdalenæ: qui pepercisti publicano, & Latroni in cruce pendenti. Tibi cõfiteor pater pijſſime peccata mea, quæ ſi volo abſcondere, non poſſum tibi, Domine: parce mihi Chriſte, quem ego nuper multum offendi, cogitando, loquendo,

operando, & in omnibus modis, in quibus ego fragilis homo & peccator peccare potui, mea culpa, mea culpa, mea maxima culpa. Ideo Domine precor tuam clementiam, qui de cœlo pro mea salute descendisti, qui Dauid à peccati lapsu erexisti, parce mihi Domine, parce mihi Christe, qui Petro ter neganti pepercisti. Tu es creator meus & Redemptor meus, Rex meus & Deus meus. Tu es spes mea, & fiducia mea, gubernatio mea: & auxiliatio mea, consolatio mea, & fortitudo mea, defensio mea; & liberatio mea, vita mea, salus mea, & resurrectio mea, lumen meum, & desiderium meum, adiutorium meum, & patrocinium meum. Te deprecor & rogo adiuua me, & saluus ero, guberna me & defende me, consota me & consolare me: confirma me & lætifica me: illumina me & visita me, suscita me mortuum, quia factura & opus tuum sum. Domine ne despicias me, quia famulus & seruus tuus sum, quamuis malus, quamuis indignus & peccator: sed qualiscunque sim, siue bonus siue malus, semper tuus sum. Ad quem ego fugiam, nisi ad te vadam? si tu me eijcis, quis me recipiet? si tu me despicis, quis me aspiciet? Recognosce me ergo indignum ad te refugientem, quamuis sim vilis & immundus, quia si vilis & immundus sum, potes me mundare: Si cæcus sum, potes me illuminare: si infirmus sum, potes me sanare: si mortuus & sepultus sum, potes me resuscitare, quia maior est misericordia tua, quàm iniquitas mea: maior est pietas tua quàm im-

pietas mea, plus potes dimittere, quàm ego committere, & plus parcere, quàm ego peccator peccare. Non ergo respicias Domine, neque attendas multitudinem iniquitatum mearum: sed secundùm multitudinem miserationum tuarum miserere mei, & propitius esto mihi maximo peccatori. Dic animæ meæ, salus tua ego sum. Qui dixisti, nolo mortem peccatoris, sed magis vt conuertatur & viuat: conuerte me Domine ad te, & noli irasci contra me. Deprecor te clementissime pater, propter misericordiam tuam supplico & oro, vt perducas me ad bonum finem, & ad veram pœnitentiam, puram confessionem, & dignam satisfactionem omnium peccatorum meorum.

ORATIO ANTE SACRAMENTALEM Confessionem.

SVscipe confessionem eam pijssime ac clementissime Domine IESV Christe, vnica spes salutis meæ, & da mihi (obsecro) contritionem cordis, & lachrymas oculis meis, vt defleam diebus ac noctibus omnes negligentias meas cum humilitate & cordis puritate. Appropinquet oratio mea in conspectu tuo, Domine. Si iratus fueris contra me, quem adiutorem quæram? Quis miserebitur iniquitatibus meis? Memento mei Domine, qui Chananæam & publicanum vocasti ad pœnitentiam, & Petrum lachrymantem suscepisti. Domine Deus meus, suscipe preces meas, Saluator mundi, IESV

bone qui te crucis morti dedisti, vt peccatores saluos faceres, respice me miserum peccatorem inuocantem nomen tuum, & noli sic attendere malum meum, vt obliuiscaris bonum tuum: & si commisi vnde me damnare potes, tu non amisisti vnde saluare soles: parce ergo mihi, qui es saluator meus, & miiserere peccatrici animæ meæ, solue vincula eius, sana vulnera, Domine Iesu, te desidero, te quæro, te volo, ostende mihi faciem tuam, & saluus ero. Emitte igitur pijssime Domine meritis purissimæ & immaculatæ semper virginis genitricis tuæ Mariæ, & sanctorum tuorum, Lucem tuam, & veritatem tuam in animam meam, quæ omnes defectus meos in veritate mihi ostendat, quos confiteri me oportet, atque iuuet, & doceat ipsos plenè, & contrito corde explicare.

ORATIO POST CONFESSIONEM.

SIT tibi Domine obsecro, meritis beatæ semper virginis Genitricis tuæ Mariæ, & omnium sanctorum grata & accepta ista confessio mea, & quidquid mihi defuit nunc & aliàs de sufficiẽtia cõtritionis, id suppleat pietas, & misericordia tua, & secundùm illam digneris me habere pleniùs & perfectiùs absolutum in cœlo. Qui viuis, &c.

ORATIONES DICENDAE ante Sacram communionem.

AD mensam dulcissimi conuiuij tui pie Domine IESV CHRISTE, ego peccator de proprijs meritis nihil præsumens, sed de tua confidens misericordia & bonitate, accedere vereor & contremisco. Nam & cor & corpus habeo multis criminibus maculatum, mentem & linguam non cautè custoditam. Ergo ô pia deitas, ô tremenda maestas: ego miser inter angustias deprehensus, ad te fontem misericordiæ recurro: ad te festino sanandus: sub tuam protectionem fugio, & quem iudicem sustinere nequeo, saluatorem habere suspiro. Tibi Domine plagas meas ostendo, tibi verecundiam meam detego, scio peccata mea multa & magna, pro quibus timeo, spero misericordias tuas, quarum non est numerus. Respice in me oculis misericordiæ tuæ Domine Iesu Christe, Rex æterne, Deus & homo: crucifixus propter hominem. Exaudi me sperantem in te, miserere mei pleni miserijs & peccatis: tu qui fontem miserationis nunquàm manare cessabis. Salue salutaris victima, pro me omni humano genere in patibulo crucis oblata. Salue nobilis & pretiose sanguis, de vulneribus crucifixi Domini mei Iesu Christi profluens, & peccata totius mundi abluens. Recordare Domine creaturæ tuæ, quam tuo sanguine re-

demiſti: pœnitet me peccaſſe, cupio emendare quod feci. Aufer ergo à me clementiſſime pater, omnes iniquitates & peccata mea: vt purificatus mente & corpore, dignè deguſtare merear ſancta ſanctorum: & concede vt ſancta prælibatio corporis & ſanguinis tui, quam ego indignus ſumere intendo, ſit peccatorum meorum remiſſio, ſit delictorum perfecta purgatio; ſit turpium cogitationum effugatio; bonorumq; ſenſuum regeneratio: operumque tibi placentium ſalubris efficacia; animæ quoque & corporis contra inimicorum meorum inſidias firmiſſima tuitio. Amen.

ORATIO S. THOMAE Aquinatis.

OMnipotens ſempiterne Deus, ecce accedo ad ſacramētum vnigeniti filij tui Domini noſtri IESV Chriſti. Accedo tamquàm infirmus ad medicum vitę, immundus ad fontem miſericordiæ, cæcus ad lumen claritatis æternæ, pauper & egenus, ad Dominum cœli & terræ. Rogo ergo immenſæ largitatis tuæ abundantiam, quatenus meam curare digneris infirmitatem, lauare fœditatem, illuminare cæcitatem, ditare paupertatem, veſtire nuditatem; vt te panem Angelorum, Regem Regum, Dominum Dominantium, tanta ſuſcipiam reuerentia & humilitate, tanta cōtritione & deuotione, tanta puritate & fide, tali propoſito, & intentione, ſicut expedit ſaluti animæ meæ. Da

mihi quæso Domine Dominici corporis & sanguinis, non solùm suscipere sacramentum, sed etiam rem & virtutem sacramenti. O mitissime Deus, da mihi corpus vnigeniti filij tui Domini nostri Iesu Christi, quod traxit de virgine Maria, sic suscipere, vt corpori suo mystico merear incorporari, & inter eius membra numerari. O amantissime pater, concede mihi dilectum filium tuum, quem nunc velatum in via suscipere propono, reuelata tandem facie perpetuò contemplari.

ORATIO CIRCA COMMVnionem dicenda.

DOmine Iesu Christe, qui hoc sacramento amoris, & pietatis infinitæ memoriã mihi renouas passionis illius & mortis, quã inter dolores & ignominias crucis extremas immaculatus agnus passus es, pro meis, & mundi peccatis, ac miseriis tollendis, & pro fœlicitate æterna mihi cõmunicanda: hauriam ego ex vulneribus tuis; hauriã ex liuore corporis tui, in quo à planta pedis vsq; ad verticem capitis, non erat sanitas, hauriã ex illo sanguine tam affluenter, tanto ardore charitatis effuso, hauriam, inquam, ardẽtem charitatem, & amorẽ tui. Inflammet me hoc ipsum præsens beneficium tuum Domine Iesu Christe, qui tanta cum pietate mihi te communicas, tam familiariter & intimè mihi coniungeris, nec solùm domum meã pauperem non dedignaris, & plagas meas non exhorres, sed & corpore etiam, & sanguine

tuo ſanctiſſimo ad me ſanandum, præſeruandum & confirmandum medicinam conficis. O piiſſime Ieſu, an deerant tibi omnipotenti alij modi reparandi, & adiuuandi me, & ad vltimum finem deducendi? Non ſanè, ſed hoc eligere, vt amorem in me, & pietatem abundantiùs demonſtrares, voluiſti. Quem ergo amorem, bonitas infinita, quam gratitudinem huic beneficentiæ & amori tuo retribuam? Quid ego agere, quid pati propter te dignè potero? Auge tu ipſe in me precor, dona gratiæ tuæ, vt plus habeam quod impendam ſeruitio tuo. Deus meus, & omnia, quid ego bonorum tuorum non ſperabo à te? cùm etiam teipſum mihi tam amanter donaueris? Cùm in te omnia illa eſſe videam, quæ ſpem maximam excitare ſolent. Potes enim, & vis mihi benefacere, potes quidem omne bonum conferre, quia omnipotens es, & indigentias meas non ignoras. Quomodo ergo ſi ipſi coniungar fonti, imò mari immenſo & inexhauſto bonorum omnium, non hauriam aquas cum gaudio de fontibus ſaluatoris? Vis etiam omne bonum conferre, qui ſummè benignus es, quia magis quàm ego ipſe, me diligis: quia magis tu cõferre, quàm ego recipere, deſideras: & ne defectus meritorum me à tua liberalitate excludat, tua ipſe merita mihi donas, qui mihi iuſtitia factus es in conſpectu diuinæ tuæ Sanctitatis. Magnanimiter ergo, ſpes mea, bonorum tuorum communicationem copioſam à te ſperabo: &. vt meam paupertatem omnium virtutum & gratiarum ſpi-

ritualium thesauris locupletes, petam per temetipsum. Qui cum Deo Patre & spiritu sancto viuis & regnas Deus, per omnia secula seculorum, Amen.

POST SACRAM COMMVnionem Orationes.

GRATIAS tibi ago Domine sancte, Pater omnipotens, sempiterne Deus, qui me peccatorem indignum famulum tuum, nullis meis meritis, sed sola dignatione misericordiæ tuæ satiare dignatus es pretioso corpore & sanguine Filij tui Domini nostri Iesu Christi. Et precor vt hæc sancta communio non sit mihi reatus ad pœnam, sed intercessio salutaris ad veniam. Sit mihi armatura fidei, & scutum bonæ voluntatis: sit vitiorum meorum euacuatio, concupiscentiæ & libidinis exterminatio, charitatis & patientiæ, humilitatis & obedientiæ augmentatio: cōtra insidias inimicorū omnium tam visibilium, quàm inuisibilium firma defensio: motuum meorum tam carnalium quā spiritualium perfecta quietatio: in te vno ac vero Deo firma adhæsio: atq; mei finis fęlix consummatio. Et precor te, vt ad illud ineffabile conuiuium me peccatorem perducere digneris, vbi tu cum filio tuo, & spiritu sancto, ac sanctis tuis es lux vera, satietas plena, gaudium sempiternum, iucunditas consummata, fœlicitas perfecta. *S. Thom. Aquin.*

RYTHMVS EIVSDEM Sancti Thomæ.

ADoro te deuotè latens Deitas,
Quæ sub his figuris verè latitas,
Tibi se cor meum totum subijcit,
Quia te contemplans, totum deficit,
Visus, gustus, tactus in te fallitur,
Sed auditu solo tutè creditur,
Credo quidquid dixit Dei filius,
Nihil veritatis hoc verbo, verius,
In Cruce latebat sola Deitas.
Sed hic latet simul & humanitas,
Ambo tamen credens atque confitens.
Peto quod petiuit latro pœnitens,
Plagas sicut Thomas non intueor,
Deum tamen meum te confiteor,
Fac me tibi semper magis credere,
In te spem habere, te diligere.
O memoriale mortis Domini,
Panis verus, vitam præstans homini,
Præsta meæ menti de te viuere,
Et te semper illi dulce sapere,
Pie Pellicane Iesu Domine,
Me immundum, munda tuo sanguine,
Cuius vna stilla saluum facere
Totum mundum posset omni scelere.
IESV quem velatum nunc aspicio,
Quando fiet istud quod tam sitio,
Vt te reuelata cernens facie,
Visus sim beatus tuæ gloriæ.

AMEN.

ORATIO S. BONAVENTVRAE.

TRansfige dulcissime Domine Iesu, medullas & viscera animæ meæ, suauissimo ac saluberrimo amoris tui vulnere, vera serenaque, & Apostolica sanctissima charitate, vt langueat & liquefiat anima mea solo semper amore, & desiderio tui, te concupiscat, & deficiat in atria tua, cupiat dissolui, & esse tecum. Da vt anima mea te esuriat, panẽ Angelorum, refectionẽ animarum sanctarum, panem nostrum quotidianum, supersubstantialem, habentem omnem dulcedinem & saporem, & omne delectamentum suauitatis: te, in quem desiderant Angeli prospicere, semper esuriat, & comedat cor meum, & dulcedine saporis tui repleantur viscera animæ meæ: te semper sitiat fontem sapientiæ, & scientiæ, fontem æterni luminis, torrentem voluptatis, vbertatem domus Dei: te semper ambiat, te quærat, te inueniat, ad te tendat, ad te perueniat, te meditetur, te loquatur, & omnia operetur in laudem & gloriam nominis tui, cum humilitate & discretione, cum dilectione & delectatione, cum facilitate & affectu, cum perseuerantia vsque in finem: & tu sis solus semper spes mea, tota fiducia mea, diuitiæ meæ, delectatio mea, iucunditas mea, gaudium meum, quies & tranquillitas mea, pax mea, sanitas mea, odor meus, dulcedo mea, cibus meus, refectio mea, refugiũ meum, auxilium meum, sapientia mea, por-

tio mea, possessio mea, thesaurus meus, in quo fixa & firma, & immobiliter semper sit radicata mens mea, & cor meum, Amen.

ALIA ORATIO.

INeffabilem misericordiam tuam Domine Iesu Christe humiliter exoro, vt hoc sacramentum corporis & sanguinis tui, quod indignus suscepi, sit mihi purgatio scelerum, sit fortitudo fragilium, sit contra mundi pericula firmamentum, sit impetratio veniæ, sit stabilimentum gratiæ, sit medicina vitæ, sit memoria tuæ passionis, sit contra debilitatem fomentum, sit viaticum meæ peregrinationis. Euntem me conducat, errantem reducat, reuertentem me suscipiat, titubantem me teneat, cadentem me erigat, & perseuerantem me in gloriam introducat, O altissime Deus, beatissima præsentia corporis & sanguinis tui, sic immutet palatum cordis mei, vt præter te nullam vnquam sentiat dulcedinem, nullam amet pulchritudinem, nullum quærat illicitum amorem, nullam desideret consolationem, nullam admittat vnquam delectationem, nullum curet honorẽ, nullam timeat crudelitatem.

ORATIO QVA PETITVR VNIO animæ cum Christo.

GRATIAS ago tibi ex toto corde meo, bonitas effusissima, abyssus infinitæ misericordię, qui tam indigẽti seruo tuo, omne bo-

num

num in teipso cõferre, qui tam indigno peccatori, fructum passionis & mortis tuæ, cum corpore & sanguine tuo sanctissimo tam amanter applicare voluisti, gratias ago tibi, de tanto beneficio, & tam singulari, & de charitate illa inæstimabili, qua id mihi contulisti, & precor eandem bonitatem tuam, vt tua ipse dona in me conserues, & augeas, ad honorem & gloriam tuam, sollicitam sensuum & linguæ & cogitationum custodiam tribuendo, vt in me tibi nihil displiceat, strenuè operari ex puro & feruenti amore tuo, quæ ad honorem tuum & proximorum salutem sunt, concedendo, vt in omnibus actionibus meis tibi placeam, vt nunquam à me separari velis, qui tam dignanter & intimè te mihi coniunxisti, donec in vnione beatissimæ glorię tuę tibi inauertibiliter & ęternaliter adhæream. Anima ergo Christi sanctifica me, Corpus Christi salua me, Sanguis Christi inebria me. Aqua lateris Christi laua me. Passio Christi conforta me. O bone Iesu exaudi me, intra vulnera tua absconde me, ne permittas me separari à te, ab hoste maligno defende me, in hora mortis meæ voca me, & iube me venire ad te, vt cum sanctis tuis laudem te in secula seculorum, Amen.

ORATIO AD B. VIRGINEM Mariam post communionem.

COmmendo me tibi, Serenissima Virgo Maria, quæ in tuo sacratissimo vtero, eundem Dominum, quem ego modò susce-

pi, de ſpiritu ſancto conceptum, dignè portaſti. Precor te matrem Dei, vt pro me apud eundem filium tuum intercedas, & quacunque ratione, in ſummi ſacramenti huius ſumptione deliqui, huius negligentiæ & indignitatis meæ veniam impetres. Tu ſemper caſta, pura, innocens, poſt conceptum filium, etiam caſtior, purior, ſanctior, Deoque gratior euaſiſti. Vtinam & ego tam diuini ſacramenti perceptione, ita ſanctificer, vt deinceps cor & corpus meum ab omni lethalis peccati macula tuear impollutum. Tu concepto filio magnificas laudes Domini lætè decantaſti, & in Deo ſalutari tuo mirabiliter exultaſti. O ſi tuis efficacibus precibus id aſſequar, Virgo mater, vt cum hac ſacra communione, nouum & ardentem ſpiritum coniungam, ac ſemper gratiarum actione piè verſer, tantoque Redemptori ac hoſpiti, me nunquam ingratum, ſed fidum in omnibus miniſtrum oſtendam.

ORATIO EX CONCILII Tridentini, ſeſſ. 13. cap. 8.

OMnipotens ſempiterne Deus, per viſcera miſericordiæ Dei noſtri, te rogo & obſecro, vt nos omnes & ſinguli, qui Chriſtiano nomine cenſemur in hoc vnitatis ſigno, in hoc vinculo charitatis, in hoc concordiæ ſymbolo, iam tandem aliquando conueniamus, & concordemus: memoreſque tantæ maieſtatis, & tam eximij amoris IESV Chriſti Domini noſtri, qui dilectā animam

ſuam, in noſtræ ſalutis pretium, & carnem ſuam nobis dedit ad manducandum: hæc ſacra myſteria corporis & ſanguinis eius, ea fidei conſtantia & firmitate, ea animi deuotione, ea pietate & cultu credamus, & veneremur: vt panem illum ſuperſubſtantialem frequenter ſuſcipere poſſimus. Et is verè ſit nobis animæ vita, & perpetua ſanitas mentis, cuius vigore confortati, ex huius miſeræ peregrinationis itinere, ad cœleſtem patriam peruenire valeamus, eundem panem Angelorum, quem modò ſub ſacris velaminibus edimus, abſque vllo velamine manducaturi, per eundem Chriſtum Dominum noſtrum, Amen.

LITANIAE IN SINGVLOS ANni dies, ad eos potissimùm sanctos, qui eo die, secundùm martyrologij vsum, peculiariter inuocantur.

Quo autem melius intelligatur modus has Litanias, ex sequenti sanctorum catalogo, efformandi, pauca sunt, quæ sequuntur, obseruanda.

1. AD exemplum primæ diei Ianuarij, formandæ sunt aliis anni diebus, ex subiecta beatorum serie.

2. Clausulæ quibus sanctißima Trinitas adoratur; & B. Virgo, ipsique Angeli inuocantur, & vniuersales, quæ à vocula, omnes, incipiunt, nunquam omittuntur, siue illius ordinis sanctus eo die occurrat, siue non, vt prima die Ianuarij videre est, vbi clausulæ, omnes sancti Patriarchæ, & Prophetæ: & omnes sancti Apostoli, & Euangelistæ: dicuntur immediatè post clausulam, omnes sancti beatorum spirituum ordines: quoniam eo die in martyrologio, nullius Patriarchæ, Prophetæ, Apostoli aut Euangelistæ mentio fit.

3. Sancti, iis diebus quibus occurrunt, ante vniuersalem ordinis sui clausulam, inserendi sunt. Cuius rei gratia in sequenti sanctorum Indice, cuiusque sancti dignitas, & ordo, quo promptius ad suam classem referri possit, exprimitur.

4. Proprij seu particulares sancti, & Patroni, vt sunt sanctus eiusdem mensis, sanctus proprij nominis, & alij quos sibi quisque pro deuotione elegerit, suis locis, & claßibus inseri poßunt.

5. Sancti illi de quibus dubitatur, an martyres fue-

rint, vel confessores, sine titulo reponuntur post martyres. Sunt verò illi ex antiquioribus, vtpotè Apostolorum discipuli. Ideoque solent in Martyrologio sub initium diei collocari.

6. Expreßi sunt hoc indice omnes sancti, quorum nomina Romano Martyrologio continentur, ijsq; nonnulli ex Molano adiecti sunt. Illi porrò sancti, quos Romanum Martyrologium non habet: sed apud Molanum reperiuntur, hoc signo † signati sunt, vt quiuis intelligat, omnes sanctos eo charactere non insignitos, ex Martyrologio Romano desumptos esse.

7. Idem quamuis nomen sæpè repetatur: non semper tamen idem sanctus designatur. Sed nec mirum videri debet, si pluries idem sanctus ponatur: cùm in martyrologijs non solùm dies natalis: sed etiam depositionis, translationis, eleuationis, inuentionis, & alij similes recenseantur.

8. Porrò sequens index sanctorum, non solùm his commodus Litanijs conficiendis, est futurus: sed etiam ijs qui singulis mensibus sanctos, à singulis specialiter inuocandos, præparant, adaptant, & seligunt, ac ijs qui scire volunt, quinam sancti, hoc aut illo die, ab Ecclesia colendi proponantur.

9. Semper in fine subiunguntur versiculi primæ diei Ianuarij, cum adiunctis responsorijs, & orationibus.

10. Quarundam abbreuiationum quæ in subiecto indice reperiuntur, explicatio.

mis. id est, miserere nobis.
or. id est, ora pro nobis.
or. id est, orate pro nobis.
S. id est, Sancte.
Si. id est, Sancti.
Sa. id est, Sancta.
Sæ. id est, sanctæ.

Pat.id est,Patriarcha.
Pro.id est,Propheta.
Ap.id est,Apostole.
Eu.id est,Euangelista.
Dis.id est,Discipule Domini.
Pa.id est,Papa.
Ma.id est,Martyr.
Mar.id est,Martyres.
Ep. id est,Episcope.
Pon.id est,Pontifices.
Pre.id est,Presbyter.
Di.id est,Diacone.
Le.id est,Leuita.
Su.id est, Subdiacone.
Mo.id est,Monache.
Co.id est,Confessor.
Con.id est,Confessores.
Ab.id est, Abba. Aba,id est Abbatissa.
Er.id est,Eremita. Mi.id est,miles.
Vir.id est, virgo. Vid,id est, vidua.

LITANIAE IN SINGVLOS Anni dies.

IANVARII die I.

In † nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, Amen.

Antiphona. Ne reminiscaris Domine delicta nostra, vel parentum nostrorum; neque vindictam sumas de peccatis nostris.

Kyrie eleyson.
Christe eleyson.
Kyrie eleyson.
Christe audi nos.
Christe exaudi nos.
Pater de cœlis Deus, miserere nobis.
Fili Redemptor mundi Deus, miserere nobis.
Per sanctam Circuncisionem tuam. misere.
Spiritus sancte Deus, miserere nobis.
S. Trinitas vnus Deus, miserere nobis.
S Maria. ora
S. Dei genitrix. ora
S. Virgo virginum. ora
S. Michael. ora
S. Gabriel. ora
S. Raphael. ora
S. Angele custos. ora
Omnes sancti Angeli, & Archangeli. orate
Omnes sancti beatorum spirituũ ordines. orate
Omnes sancti Patriarchę & Prophetæ. orate
Omnes sancti Apostoli & Euangelistæ. orate
Omnes sancti discipuli Domini. orate
Omnes sancti Innocentes. orate
S. Almachi. ma. ora
Si. triginta mil. mar. orate
S. Concordi. pre. ma. ora
S. Magne. ma. ora

Omnes ſancti mar. orate
S. Baſili, ep. co. ora
S. Fulgenti, ep. ora
Omnes ſancti Pont. orate
Oēs ſancti Doct. orate
S. Eugende, ab. ora
S. Odilo, ab. ora
S. Clare, ab. ora
S. Aſpaſie. ora
Omnes ſancti ſacerdotes & Leuitæ. orate
Omnes ſancti Monachi & Eremitæ. orate
Omnes ſancti Confeſſores. orate
Sa. Martina vir. ma. ora
Sa. Euphroſina vir. ora
Omnes ſanctæ virgines, & viduæ, orate
Omnes ſancti, & ſanctæ Dei, intercedite pro nobis.
Chriſte audi nos.
Chriſte exaudi nos.
Kyrie eleyſon.
Chriſte eleyſon.
Kyrie eleyſon.

Pater noſter, &c.
Et ne nos inducas, &c.
Amen. Verſ. Exultate iuſti in Domino. Reſpon. Rectos decet collaudatio. Verſ. Timete Dominum omnes ſancti eius. Reſpon. Quoniam nihil deeſt timentibus eum. Verſ. Inquirentes Dominum. Reſpon. Nón deficient omni bono. Verſ. Laudate Dominum in ſanctis eius. Reſpon. Laudate eum in firmamento virtutis eius. Verſ. Exultabunt ſancti in gloria. Reſpon. Lætabuntur in cubilibus ſuis. Verſ. Pretioſa in conſpectu Domini. Reſpon. Mors ſanctorum eius. Verſ. Sancta Maria, & omnes Sancti, intercedant pro nobis ad Dominum. Reſpon. Vt nos mereamur ab eo adiuuari, & ſaluari.

ORATIONES AD POSCENDA Sanctorum ſuffragia.

Oremus.

CONcede, quæſumus, omnipotens Deus, vt interceſſio ſanctæ Dei genitricis Mariæ, ſanctorumque

omnium Apostolorum, Martyrum, Confessorum, atque Virginum, & omnium electorum tuorum, nos vbique lætificet: vt dum eorum merita recolimus, patrocinia sentiamus. Per Dominum nostrum Iesum Christum, &c.

ACunctis nos, quæsumus Domine, mentis & corporis defende periculis: & intercedente beata, & gloriosa, semperque virgine Dei genitrice Maria, cum beatis Apostolis tuis Petro, & Paulo, & omnibus sanctis: salutem nobis tribue benignus & pacem: vt destructis aduersitatibus, & erroribus vniuersis, ecclesia tua secura tibi seruiat libertate. Per Dominum nostrũ Iesum Christum, &c.

EXaudi nos, Deus salutaris noster, vt per omnium sanctorum tuorum preces, & merita, à cunctis nos mentis, & corporis hostibus tuearis, gratiam tribuens in præsenti, & gloriam in futuro. Per Dominum nostrum, &c.

INfirmitatem nostram respice, omnipotens Deus, & quia pondus propriæ actionis nos grauat, sanctorũ tuorum intercessio gloriosa nos protegat. Per Dominum nostrum, &c.

DEus, qui nos sanctorum tuorum cultu lætificas, concede propitius, vt quos inuocamus: de eorum etiam protectione gaudeamus, & eorum intercessione in tui nominis amore roboremur. Per Dominum nostrum, &c.

PRæsta quæsumus, omnipotens Deus, vt sanctis tuis intercedẽtibus, à cunctis aduersitatibus liberemur in corpore, & à prauis cogitationibus mundemur in mente. Per Dominum, &c.

ACcepta sit in conspectu tuo, Domine, nostra deuotio, & sanctorum tuorum supplicatione, nobis fiat salutaris, Per Dominum, &c.

SAnctorum tuorum nos, quæsumus, Domine, oratio veneranda tueatur, & commendet: & concede propitius, vt quorum gaudemus meritis instruamur exẽplis: & da nobis in æterna beatitudine de eorum societate gaudere. Per Dominum nostrum, &c.

ADesto, Domine, supplicationibus nostris, quas in sanctorum tuorum commemoratione deferimus: vt qui nostræ iustitiæ fiduciam non habemus, eorum qui tibi placuerunt, meritis & orationibus adiuuemur. Per Dominum, &c.

PReces tibi, Domine, nostræ deuotionis deferimus, quæ & pro tuorum tibi, quæsumus, gratæ sint honore iustorum, & nobis salutares, te miserante reddantur. Per Dominum, &c.

PLacare, quæsumus, Domine, humilitatis nostræ precibus, & intercedentibus sanctis tuis, à cunctis nos defende periculis. Per Dominum, &c.

DA, quæsumus, omnipotens Deus, vt sanctorum tuorum intercessio, & deuotionem nobis augeat, & salutem. Per Dominum nostrum, &c.

SAncti tui, quæsumus, Domine, nos vbiq; lætificent, vt dum eorum merita recolimus, patrocinia sentiamus. Per Dominum, &c.

EXaudi, quæsumus, Domine, preces nostras, quas in sanctorum tuorum commemoratione deferimus: & qui tibi dignè meruerunt famulari, eorum intercedentibus meritis, ab omnibus nos absolue peccatis. Per Dominum, &c.

HAEc Sanctorum tuorum inuocatio, quæsumus, Domine, pietati tuę nos reddat acceptos, & nobis gratiæ tuæ dona conciliet. Per Dominum nostrũ, &c.

Vers. Omnes sancti nos benedicant.

Resp. Et custodiant semper.

Die II.

S.Stephane.proto. ora
S.Isidore.ep.mar. ora
S.Argee.ma. ora
S.Narcisse.ma. ora
S.Marcelline puer, mar. ora pro nobis.
S.Isidore.ep.co. ora
S.Martiniane.ep. ora
S.Siridon.ep. ora
S.Macari.ab.er. ora
S.Adalarde.ab. † ora

Die III.

S.Ioannes.ap.eu. ora
S.Antere.pa.ma. ora
S.Petre ma. ora
S.Cyrine.ma. ora.
S.Prime.ma. ora
S.Theogenes.ma. ora
S.Gordi.ma. ora
S.Zozime.ma. ora
S.Athanasi.ma. ora
S.Theogempte. ma. ora pro nobis.
S.Theona.ma. ora
S.Daniel.le.ma. ora
S.Florenti.ep.ma. ora
S.Quintine.ma. † ora
Sa.Genouefa.vir. ora
Sa.Bertilia.vir. † ora

Die IIII.

Si.Innocentes. ora
S.Prisce.pre.ma. ora
S.Priscilliane.ma. ora
S.Oermes.ma. ora
Aggæe.ma. ora
S.Cai.ma. ora
S.Mauile.ma. ora
S.Aquiline.ma. ora
S.Gemine.ma. ora
S.Eugeni.ma. ora
S.Murciane.Ma. ora
S.Quincte.ma. ora
S.Theodote.ma. ora
S.Tryphon.ma. ora
S.Tite, ep.co. ora
S.Gregori.ep.co. ora
S.Rigoberte.ep.co. ora
S.Rogeri.co. † ora
S.Theoctiste.dux. † ora
Sa.Benedicta.ma. ora
Sa.Daphrosa.ma. ora
Sa.Pharaildis.vir. † ora

Die V.

S. Thelesphore. pa. mar. ora pro nobis.
S. Simeon stilita.mo. or.
S.Eduarde.Rex. ora
S.Gerlace.er. † ora
S.AEmiliana.vir. ora

sa.Apollinaris.vir. ora
sa.Syncletica.vir. ora

Die VI.

Iesu per sanctam apparitionem tuam. misere.
s.Melani.ep.co. ora
s.Nilammon. ora
s.Petre.ep.† ora
s.Andrea.ep.† ora
s.Raymunde.co. ora
sa.Macra.vir.ma. ora
sa.Gertrudis.vir. ora

Die VII.

Iesu per tuum ex AEgypto reditum. miserere
s.Luciane.pre.ma. ora
s.Clere.di.ma. ora
s.Felix.ma. ora
s.Ianuari.ma. ora
s.Iuliane.ma. ora
s.Canute.rex.ma. ora
s.Crispine.ep.co. ora
s.Niceta.ep. ora
s.Theodore.mo. ora

Die VIII.

s.Luciane.pre.ma. ora
s.Maximiane.ma. ora
s.Iuliane.ma. ora
s.Eugeniane.ma. ora
s.Theophile.ma. ora
s.Helladi.ma. ora
s.Apollinaris.ep. ora
s.Seuerine.ep. ora
s.Maxime.ep. ora
s.Patiens.ep. ora
s.Egemoni.ep. † ora
s.Erarde.ep. † ora
s.Seuerine.ab. ora
s.Frodoberte.ab.† ora
sa.Gudula.vir.† ora

Die IX.

s.Iuliane.ma. ora
s.Antoni.pre.ma. ora
s.Anastasi.ma. ora
s.Celse puer.ma. ora
si. Septem fratres mar. orate pro nobis.
s.Vitalis.ma. ora
s.Reuocate.ma. ora
s.Fortunate.ma. ora
s.Epictete.ma. ora
s.Iucunde.ma. ora
s.Secunde.ma. ora
s.Vitalis.ma. ora
s.Felix.ma. ora
s.Petre.ep.co. ora
s.Marcelline.ep. ora
s.Adriane.ab.† ora
sa.Marciana.vir. ora
sa.Marcionilla.ma. ora

sa.Basilissa.vir. ora

Die x.

s. Nicanor. ma. di. expr. 7. ora
s. Agatho,pa.co. ora
s.Ioannes.ep.co. ora
s.Paule,er. ora
s.Marciane,pre. ora
s.Gulielme,ep.† ora
s.Domitiane,ep.† ora

Die xi.

s.Hygini,pa.ma. ora
s.Salui,ma. ora
s.Petre,ma. ora
s.Seuere,ma. ora
s.Leuci,ma. ora
s. Alexander,ep.ma. ora
s.Salui,ep.ma. ora
s.Leuci,ep.co. ora
s.Egnine,ep.co.† ora
s.Theodosi,co.ab. ora
s.Palemon,ab. ora
s.Anastasi,mo.ab. ora
s.Gaspar,rex.† ora
s.Honorata,vir. ora

Die xii.

s.Satyre,ma. ora
s.Arcadi,ma. ora
s.Zotice,ma. ora
s.Rogate,ma. ora
s.Modeste,ma. ora
s.Castule,ma. ora
s.Tigri.pre.ma. ora
s.Eutropi,ma. ora
s.Zotice,ma. ora
s.Ioannes,ep.co. ora
s.Probe,ep. ora
s.Benedicte,ab.co. ora
sa.Tatiana,ma. ora

Die xiii.

s.Potite,ma. ora
s.Hermyle,ma. ora
s.Stratonice,ma. ora
s. Gumesinde, pre.ma. ora pro nobis,
s.Seruedei,mo.ma. ora
s.Hilari,ep.co. ora
s. Remigi,epi.† ora
s.Leonti,ep. ora
s.Vere,ep. ora
s.Kentegerne.ep.† ora
s.Agriti,ep.co. ora
s.Viuenti,co. ora
sa.Glaphyra.vir. ora
s.Iueta,vid.† ora

Die xiiii.

s.Malachia,pro. ora
s.Pontiane,ma.† ora

s.Felix.pre.co. ora
s.Dati.ep.co. ora
s.Ephrasi.ep. ora
s.Caldeolde.ep. † ora
s.Iuliane. ora
s.Macrina. ora

Die XV

s.Habacuc.pro. ora
s.Michæa.pro. ora
s.Ephisi.ma. ora
s.Maxime.ep.co. ora
s.Bonite.ep.co. ora
s.Emeberte.ep. † ora
s.Maure.ab.co. ora
s.Macari.ab. ora
s.Isidore.co. ora
s. Ioannes Calybita. co. ora
s.Secundina.vir.ma. ora

Die XVI.

s.Marcelle.pa.ma. ora
s.Bernarde.ma. ora
s.Petre.ma. ora
s.Accursi.ma. ora
s.Adiute.ma. ora
s.Otho.ma. ora
s.Foillane.ma. † ora
s.Honorate.ep.co. ora
s.Tatiane.ep.co. ora
s.Melas.ep.co. ora
s.Honorate.ab.co. ora
s.Fursee.co. ora
s.Priscilla. ora

Die XVII.

s.Pseusippe.ma. ora
s.Eleusippe.ma. ora
s.Meleusippe.ma. ora
s.Diodore.pre.ma. ora
s.Mariane.di.ma. ora
s.Sulpici.ep.co. ora
s.Genulphe.ep.co. † ora
s.Antoni.ab. ora
s.Antoni.mo. ora
s.Merule.mo. ora
s.Ioannes.ma. ora
s.Leonilla.ma. ora

Die XVIII.

s.Petre ap. ora
s.Mosee.ma.mil. ora
s.Ammoni.ma.mil. ora
s.Athenogenes.ma. ora
s.Venerande.ep.co. † ora
s.Volusiane.ep. ora
s.Deicola.ab. ora
s.Leobarde.co. ora
s.Prisca.vir.ma. ora
s.Liberata.vir. ora

Die XIX.

s.Mari.ma. ora

s.Audifax.ma. ora
s.Abachum.ma. ora
s.Germanice.ma. ora
s.Paule.ma. ora
s.Geronti.ma. ora
s.Ianuari.ma. ora
s.Saturnine.ma. ora
s.Succeſſe.ma. ora
s.Iuli.ma. ora
s.Cate.ma. ora
s.Pontiane.ma. ora
s.Henrice.ep.ma. ora
s.Baſſiane.ep.co. ora
s.Contexte.ep.co. † ora
s.VVolſtane.ep.co. † ora
s.Launomare.pre. † ora
s.Martha.ma. ora
s.Pia.ma. ora
s.Germana.ma. ora

Die XX.

s.Fabiane.pa.ma. ora
s.Sebaſtine.ma. ora
s.Neophyte.ma. ora
s.Solutor.ma. † ora
s.Aduentor.ma. † ora
s.Octaui.ma. † ora
s.Maure.ep.co. ora
s.Euthymi.ab. ora
s.Clemens.pre. † ora

Die XXI.

s.Publ.ep.ma. ora
s.Fructuoſe.ep.ma. ora
s.Auguri.di.ma. ora
s.Eulogi.di.ma. ora
s.Patrocle.ma. ora
s.Meinarde.ma.er. ora
s.Eugeni.ma. † ora
s.Canidi.ma. † ora
s.Valeriane.ma. † ora
s.Acyla.ma. † ora
s.Epiphani.ep.co. ora
s.Maxime.co. † ora
s.Agnes.virg.ma. ora

Die XXII.

s.Vincenti.le.ma. ora
s.Anaſtaſi.mo.ma. ora
s.Vincenti.ma. ora
s.Oronti.ma. ora
s.Victor.ma. ora
s.Gaudenti.ep.co. ora
s.Dominice.ab. ora

Die XXIII.

s.Parmena.ma.di.ex pr. 7. ora
s.Seueriane.ma. ora
s.Aſcla.ma. ora
s.Clemens.ep.ma. ora
s.Agathangele.ma. ora
s.Eugeni.ma. † ora
s.Macari ma. † ora
s.Maibode.ma. † ora

s.Ioannes eleëmosinarie, ep.co. ora
s.Ildefonse.ep. ora
s.Bernarde.ep.co.† ora
s.Martyri,mo. ora
s.Emerētiana,vir.ma. ora
s.Aquila,ma. ora

Die XXIIII.

s.Timothee.ep.ma. ora
s.Babyla,ep.ma. ora
s.Vrbane,ma. ora
s.Prilidiane,ma. ora
s.Epoloni,ma. ora
s.Mardoni,ma. ora
s.Musoni,ma. ora
s.Eugeni,ma. ora
s.Metelle,ma. ora
s.Feliciane,ep.ma. ora
s.Thyrse,ma. ora
s.Proiecte,ma. ora
s.Zama,ep.co. ora
s.Artemi,ep.co.† ora
s.Autberte,ep.co.† ora
s.Surane,ab. ora
s.Xena.† ora

Die XXV.

s.Paule,Ap. ora
s.Anania,ma. ora
s.Iuuentine,ma. ora
s.Maxime,ma. ora
s.Proiecte,ep.ma. ora
s.Marine,ma. ora
s.Donate,ma. ora
s.Sabine,ma. ora
s.Agapes,ma. ora
s.Brerannio,ep. ora
s.Seueriane,ep.† ora
s.Poppo,ab. ora
s.Eusebia.vir.† ora

Die XXVI.

s.Policarpe,ep.ma. ora
s.Theogenes,ep.ma. ora
s.Mare,ep.co.† ora
s.Goberte,co.† ora
s.Xenophon.† ora
s.Paula,vid. ora
s.Bathildis, vid. Regina. ora

Die XXVII.

s.Iuliane,ma. ora
s.Auite,ma. ora
s.Dati,ma. ora
s.Reatre,ma. ora
s.Datiue,ma. ora
s.Iuliane,ma. ora
s.Vincenti,ma. ora
s.Vitaliane,pa.co. ora
s.Ioannes Chrysostome, ep. ora
s.Iuliane,ep. ora
s.Lupe,ep.† ora

s.Sulpiti,ep.co. † ora
s.Maure,ab. ora

Die XXVIII.

s.Flauiane,ma. ora
s.Thyrſe,ma. ora
s. Arnulphe, mil. ma. † ora
s.Leuci,ma. ora
s.Callinice,ma. ora
s.Leonides.ma. ora
s.Cyrille,ep. ora
s.Valeri,ep. ora
s.Iuliane,ep. ora
s.Ioannes,pre. ora
s.Iacobe,er. ora
s.Carole magne, co. Imper. † ora
s. Agnes,vir.ma. ora
s.Margareta,vir. † ora

Die XXIX.

s.Papia,ma.mil. ora
s.Maure,ma.mil. ora
s.Conſtanti,ep.ma. ora
s.[illegible]rbeli,ma. ora
s.Sabiniane,ma. ora
s.Aquiline,pre.ma. ora
s.Valer.ep.co. ora
s. Sulpici Seuere, ep. co ora
s.Gilda,ab.co. † ora
s.Barbea,ma. ora

Die XXX.

s.Hippolyte,pre.ma. ora
s.Feliciane,ma. ora
s.Philappiane,ma. ora
s.Barſimæ,ep.ma. ora
s.Barſen,ep.ma. ora
s.Alexander,ma. ora
s.Matthia,ep.co. ora
s.Felix,Pap.3. ora
s.Armentarie,ep.co. ora
s.Aldegundis,vir. ora
s.Sauina. ora

Die XXXI.

s.Marce,eu. ora
s.Cyre,ma. ora
s.Ioannes,ma. ora
s.Metrane,ma. ora
s. Saturnine,ma. ora
s.Thyrſe,ma. ora
s.Victor,ma. ora
s.Tharſici,ma. ora
s.Zotice,ma. ora
s.Cyriace,ma. ora
s.Vigili,ep.ma. † ora
s.Germiniane,ep.co. ora
s. Gande,ep. † ora
s.Iuli,pre.co. ora
s.Verone,co. † ora
s.Triphenes,ma. ora

.Marcella.vid. ora
.Vulfia. † ora

Die I. Februarij.

.Ignati.ep.ma. ora
.Pioni.pre.ma. ora
.Goedermnnde.ep.ma.† ora
s.Seuere.ep.co. ora
s.Paule.ep. ora
s.Euberte.ep.† ora
s.Ephrem.di. ora
s.Seueri.ep.co. † ora
s.Vrse.ep. † ora
s.Leoni.pre.† ora
s.Præcordi.co. † ora
s.Sigeberte.rex.co.† ora
s.Brigid.vir. ora

Die II.

Iesu per sanctam tui ipsius oblationem. mis.
s.Maria per sanctam purificationem tuam. ora
s.Aproniane.ma. ora
s.Fortunate.ma. ora
s.Feliciane. ma. ora
s.Firme.ma. ora
s.Candide.ma. ora
s.Corneli.ep.co. ora
s.Floscule.ep. ora
s.Laurenti.ep. ora
s.Sicharia.vir.† ora

Die III.

s.Blasi.ep.ma. ora
s.Laurentine.ma. ora
s.Ignati.ma. ora
s.Felix.ma. ora
s.Symphroni.ma. ora
s.Hippolyte.ma. ora
s.Celerine.di.co. ora
s.Tigides.ep. ora
s.Remedi.ep. ora
s.Lupicine.ep. ora
s.Felix.ep. ora
s.Anschari.ep. ora
s.Euenti.ep. † ora
s.Anatholi.ep.co.† ora
s.Hadeline.co.† ora
s.Celerina.ma. ora
s.Noua.vir.† ora
s.Celsa.vir. † ora
s.Berlendis.vir.† ora
s.Oliueria.vir.† ora
s.Liberata.vir.† ora
s.VValdetrudis. vid. † ora

Die IIII.

s.Eutychi.ma. ora
s.Aquilinine.ma. ora
s.Gemine.ma. ora
s.Gelasi.ma. ora

s.Ma-

s.Magne.ma. ora
s.Donate.ma. ora
s.Philæa.ep.ma. ora
s.Philorome.ma.tribune militum. ora
s.Lietfarde.ep.ma.† ora
s.Remberte.ep.co. ora
s.Vulgise.ep.co.† ora
s.Auentine.co. ora
s.Isidore.mo. ora
s.Gilberte.co. ora

Die V.

s.Isidore.ma. ora
s.Auite.ep.co. ora
s.Genuine.ep. ora
s.Albine.ep. ora
s.Bertulfe.co.† ora
s.Vodale.co.† ora
s.Agatha.vir.ma. ora
s.Alendis.vir.aba.† ora

Die VI.

s.Theophile.ma. ora
s.Saturnine.ma. ora
s.S[illegible]uane.ep.ma. ora
s.Antholiane.ma. ora
s.Theophile.ma. ora
s.Vedaste.ep.co. ora
s.Amande.ep.co. ora
s.Guarine.ep.co. ora
s.Bucule.ep.† ora
s.Seruati.ep.† ora
s.Monulphe.ep.† ora
s.Goudulphe.ep.† ora
s.Martine.ep.† ora
s.Valentine.ep.† ora
s.Candide.ep.† ora
s.Dorothea.virg.ma. ora
s.Reuocata.ma. ora
s.Soteris.vir.ma.† ora
s.Harlindis.vir.† ora
s.Relindis.vir.† ora

Die VII.

s.Augule.ep.ma. ora
s.Adauce.ma. ora
s.Romualde.ab. ora
s.Theodore.ma.dux militum. ora
s.Moyses.ep.co. ora
s.Amoluine.ep.co.† ora
s.Partheni.ep.† ora
s.Odo.ep.co.† ora
s.Richarde.rex. ora
s.Chrysoli.co.† ora
s.Luca.† ora
s.Iuliana.vid. ora
s.Ričtrudis.vid.† ora
s. Helena. vid. Imperatrix. † ora

Die VIII.

s.Paule.ep.ma. ora

s.Luci,ma. ora
s.Cyriace,ma. ora
s.Dionysi,ma. ora
s.Aemiliane,ma. ora
s.Sebastiane,ma. ora
s.Salomon,ma. † ora
s.Iuuenti,ep.co. ora
s. Honorate,ep.co. ora
s.Paule,ep.co. ora
s.Niceti,ep.co. † ora
s.Eugeni. † ora
s.Corintha,ma. ora
s.Maria vir. † ora

Die IX.

s.Alexander,ma. ora
s.Ammoni,ma. ora
s.Alexander,ma. ora
s.Nicephore,ma. ora
s.Prime,di.ma. ora
s.Donate,di.ma. ora
s. Maingolde, ma. dux. † ora
s.Ansberte,ep.co. ora
s. Sabine,ep.co. ora
s.Apollonia,vir.ma. ora

Die X.

s.Zotice,ma. ora
s.Irenæe,ma. ora
s.Hyacinthe,ma. ora
s.Amanti,ma. ora
s. Charalampe,ma. † ora
s.Siluiane,ep.co. ora
s.Sigon,ep.co. ora
s.Prothadi,ep.co. † ora
s.Guilielme,er. ora
s.Sotheris,vir.ma. ora
s.Sara,vir.ma. † ora
s.Scholastica,vir. ora
s.Austreberta,vir. ora
s.Baldegundis,vir.aba. † ora

Die XI.

s.Saturnine,pre.ma. ora
s.Datiue,ma. ora
s.Felix,ma. ora
s.Ampeli,ma. ora
s.Luci,ep.ma. ora
s.Desideri,ep.ma. ora
s.Calocere,ep.co. ora
s.Lazare,ep. ora
s.Castrensis,ep. ora
s.Desiderate,ep.co. † ora
s.Seuerine,ab. ora
s.Iona,mo. ora
s.Euphrosyna,vir. † ora

Die XII.

s.Damiane,ma.mi. ora
s.Modeste,ma. ora
s.Iuliane,ma. ora
s.Modeste,leu.ma. ora
s.Modeste,ma.infans. ora

s.Am-

s. Ammoni, ma. infans. ora
s.Meleti,ep.co. ora
s.Antoni,ep. ora
s.Gaudenti,ep.co. ora
s.Eulalia,vir.ma. ora

Die XIII.

s.Agabe,pro. ora
s.Polyucte,ma. ora
s.Iuliane,ma. ora
t.Benigne,ma. ora
s.Gregori,Pa.2.co. ora
s.Lucini,ep. ora
s.Stephane,ep.co. ora
s.Stephane,ab. ora
s.Gisleberte,ep.co. † ora
s.Castor,co. † ora
s.Martiniane. † ora
s.Fusca,vir.ma. ora
s.Maura,ma. ora
s.Ermenilda.vir. † ora
s.Eustochia,vir. † ora

Die XIIII.

s.Valentine,pre.ma. ora
s.Vitalis,ma. ora
s.Zeno,ma. ora
s.Valentine,ep.ma. ora
s.Procule,ma. ora
s.Ephebe, ma. ora
s.Apolloni,ma. ora
s.Basse,ma. ora
s.Antoni,ma. ora
s.Protolice,ma. ora
s.Cyrion,pres.ma. ora
s.Bassiane,ma. ora
s.Agatho,ma. ora
s.Moyses,ma. ora
s.Dionysi,ma. ora
s.Ammoni,ma. ora
s.Eleuchardi,ep.co. ora
s.Auxenti,ab. ora
s.Antonine,ab. ora
s.Felicula,ma. ora

Die XV.

s.Faustine,ma. ora
s.Iouita,ma. ora
s.Crato,ma. ora
s.Saturnine,ma. ora
s.Castule,ma. ora
s.Magne,ma. ora
s.Luci,ma. ora
s.Quinidi,ep.co. ora
s.Decorose,ep.co. ora
s.Seuere,pres.co. ora
s.Ioseph,di. ora
s.Sigfride,ep. † ora
s.Agapes,vir.ma. ora
s.Cratonis,ma. ora
s.Georgia,vir. ora

Die XVI.

s.Onesime,ma.ep. ora

s.Iuliane.ma. ora
s.Elia ma. ora
s.Ieremia.ma. ora
s.Esaia.ma. ora
s.Samuel.ma. ora.
s.Daniel.ma. ora
s.Porphyri.ma. ora
s.Seleuce.ma. ora
s.Honeste.ma. † ora
s.Faustine,ep.co. ora
s.Simeon.ep.co. † ora
s.Iuliana.vir.ma. ora

Die XVII.

s.Faustine.ma. ora
s.Polychroni.ep.ma. ora
s.Donate.ma. ora
s.Secundiane.ma. ora
s.Romule.ma. ora
s.Theodule.ma. ora
s.Iuliane.ma. ora
s.Theodore.ma. † ora
s.Siluine.ep.co. ora
s.Fintane.pre.co. ora
s.Banosi.ep.co. † ora
s.Lupiane.co. † ora

Die XVIII.

s.Symeon.ep.ma. ora
s.Maxime.ma. ora
s.Claudi.ma. ora
s.Alexander.ma. ora
s.Cutia.ma. ora
s.Luci.ma. ora
s.Siluane.ma. ore
s.Rutile.ma. ora
s.Classice.ma. ora
s.Secundine.ma. ora
s.Fructule.ma. ora
s.Maxime.ma. ora
s.Flauiane.ep.ma. ora
s.Leo.ma. † ora
s.Paregori.ma. † ora
s.Helladi.ep.co. ora
s.Præpedigna.ma. ora

Die XIX.

s.Gabine.pre.ma. ora
s.Publi.ma. ora
s.Iuliane.ma. ora
s.Marcelle.ma. ora
s.Zambda.ep.co. ora
s.Auxibi.ep. ora
s.Barbate.ep. ora
s.Mansuete.ep.co. ora
s.Eustathi.ep. † ora
s.Legunti.ep.co. † ora

Die XX.

s.Tyrannio.ep.ma. ora
s.Siluane.ep.ma. ora
s.Pelee.ep.ma. ora
s.Nile.ep.ma. ora
s.Zenobi.pre.ma. ora

s.Pothami.ma. ora
s.Nemesi.ma. ora
s.Eleutheri.ep.ma. ora
s.Sadoth.ep.ma. ora
s.Leo.ep.co. ora
s.Eucheri.ep.co. ora
s.Eleutheri.ep.co. ora

Die XXI.

s.Verule.ma. ora
s.Secundine.ma. ora
s.Syrici.ma. ora
s.Felix.ma. ora
s.Seruule.ma. ora
s.Saturnine.ma. ora
s.Fortunate. ora
s.Seueriane.ep.ma. ora
s.Petre.ma. ora
s. Maximiane. ep. co. ora
s.Felix.ep.co. ora
s.Pateri.ep.co. ora
s.Timothee. † ora
s.Pipine. † ora

Die XXII.

s.Petre.Apo. ora
s.Papia.ep.co. ora
s.Aristion.dis. ora
s.Abili.ep. ora
s.Paschasi.ep.co. ora
s.Gudvvale,ep. † ora

Die XXIII.

s.Sirene.ma.mo. ora
s.Syrenæe.ma. ora
s.Polycarpe.pre.co. ora
s.Lazare.mo. ora
s.Felix.ep. ora
s.Florenti.co. ora
s.Celse.ep.co. † ora
s.Martha.vir.ma. ora
s.Romana.vir.ma. ora
s.Milburgis.vir. filia Regis. ora

Die XXIIII.

s. Ioannes Baptista. pro. ora
s.Matthia.Ap. ora
s.Sergi.ma. ora
s.Montane.ma. ora
s.Luci.ma. ora
s.Iuliane.ma. ora
s.Victorice.ma. ora
s.Flauiane.ma. ora
s.Prætextate.ep.ma. ora
s.Modeste.ep.co. ora
s.Edilberte.co.rex. ora
s.Primitiua.ma. ora

Die XXV.

s.Victorine.ma. ora

s. Victor,ma. ora
s.Nicephore,ma. ora
s.Claudiane,ma. ora
s.Dioſcore,ma. ora
s.Serapion,ma. ota
s.Papia,ma. ora
s.Donate,ma. ora
s.Iuſte,ma. ora
s.Felix pa.4.co. ora
s.Tharaſi,ep. ora
s.Cæſari, ora
s.Gerlande,ep. † ora
s.Herena,ma. ora
s.Aldetrudis.vir. † ora

Die XXVI.

s.Neſtor,ep.ma. ora
s.Papia,ma. ora
s.Diodore,ma ora
s.Conon,ma. ora
s.Claudiane,ma. ora
s.Fortunate,ma. ora
s.Belix,ma. ora
s.Alexander,ep.co. ora
s.Fauſtiniane,ep. ora
s.Porphyri,ep. ora
s.Andrea,ep.co. ora
s.Victor,co. ora

Die XXVII.

s.Alexander,ma. ora
s.Antigone,ma. ora
s.Fortunate,ma. ora
s.Iuliane,ma. ora
s.Eune,ma. ora
s.Beſa, ma. ora
s.Leander,ep.co. ora
s.Baſili,co. ora
s.Procopi,co. ora
s.Baldomere,co. ora
s.Andronice, † ora
s.Honorina,vir.ma. † ora
s.Athanaſia. ora

Die XXVIII.

s.Macari,ma. ora
s.Rufine,ma. ora
s.Iuſte,ma. ora
s.Theophile,ma. ora.
s.Cærealis,ma.ma. ora
s.Popule,ma. ora
s.Cai,ma. ora
s.Serapion,ma. ora
s. Auguſtine, ep. co. doctor. ora
s.Romane,ab. ora
s.Baſili,co. † ora

Die I. Martij.

si.Angeli cuſtodes ſingulorum hominum. † ora
ora

s.Donate,ma. ora
s.Abundanti,ma. ora
s.Nicephore,ma. ora
s.Hermes,ma. ora
s.Hadriane,ma. ora
s.Herculane,ep.ma. ora
s.Leonides,ma. † ora
s.Suitberte,ep.co. ora
s.Albine,ep.co. ora
s.Siuiarde,ab. ora
s.Adalonge,ep. † ora
s.Dauid,ep.co. † ora
s.Eudocia,ma. ora
s.Antonina,ma. ora

Die II.

s.Iouine,ma. ora
s.Basilee,ma. ora
s.Paule,ma. ora
s.Heracli,ma. ora
s.Luci,ep.ma. ora
s.Absalon,ma. ora
s.Lorgi,ma. ora
s.Theodore, ep. ma. † ora
s.Carole,ma.comes Flandriæ. † ora
s.Simplici,pa.co. ora
s.Ceadda,ep.co. ora
s.Vuillence, pre.co. † ora
s.Secundilla,ma. ora
s.Ianuaria,ma. ora

Die III.

s.Marine,mil.ma. ora
s.Asteri,ma. ora
s.Hemiteri,ma.mi. ora
s.Chelidoni,ma.mi. ora
s.Felix,ma. ora
s.Luciole,ma. ora
s.Fortunate,ma. ora
s.Cleonice,mi.ma. ora
s.Eutropi,mi.ma. ora
s.Basilisce,mi,ma. ora
s.Titiane,ep.co. ora
s.VVinwaloce, ab. † ora
s.Chunegundis,vir. vxor Henrici Imperatoris. ora
s,Marcia,ma. ora

Die IIII.

s,Luci,pa.ma. ora
s.Cai,ma. ora
s.Hadriane,ma. ora
s.Archelae,ma. ora
s.Cyrille,ma. ora
s.Photi,ma. ora
s.Basili,ep.ma. ora
s.Eugeni,ep.ma. ora
s. Agathodore, ep. ma. ora
s.Elpidi,ep.ma. ora

s.Antheri.ep.ma. ora
s.Capito.ep.ma. ora
s.Ephrem.ep.ma. ora
s.Neſtor.ep.ma. ora
s.Arcadi.ep.ma. ora
s.Caſimire.co. ora
s.Baſine.ep.† ora

Die V.

s.Phoca.ma. ora
s.Hadriane.ma. ora
s.Euſebi.ma. ora
s.Theophile.ep.co. ora
s. Geraſime anachoreta. ora
s.Drauſi.ep.co.† ora

Die VI.

s.Victor.ma. ora
s.Victorine.ma. ora
s.Claudiane.ma. ora
s.Marciane.ep.ma. ora
s.Euagri.ep.ma. ora
s.Cono.ma. ora
s.Baſili.ep.co. ora
s.Grodegande. ep. co. † ora
s.Cyrille.pre.† ora
s.Quiriace.pre.† ora
s.Fridoline.ab.co.† ora
s.Baſſa.ma. ora
s.Coleta.vir.† ora

Die VII.

s.Reuocate.ma. ora
s.Saturnine.ma. ora
s.Secundole.ma. ora
s.Eubule.ma. ora
s.Volkere.ma.† ora
s. Thoma. co. doctor. ora
s.Theophile.ep. ora
s.Paule.ep. ora
s.Gaudioſe.ep.co. ora
s.Equiti.ab.† ora
s.Paule ſimplex. ora
s.Perpetua.ma. ora
s.Felicitas.ma. ora

Die VIII.

s.Philemon.ma. ora
s.Apolloni.di.ma. ora
s.Ariane.ma. ora
s.Theorice.ma. ora
s.Quinctilis.ep.ma. ora
s.Ponti.di.co. ora.
s.Cyrille.ep. ora
s.Rogate. ora
s.Felix. ora
s.Rogate. ora
s.Hunfride.ep.† ora
s.Vrbane. ora
s.Siluane. ora
s.Mamille. ora
s.Iuliane.ep.co. ora

S.Felix, ep.	ora
S.Beata.	ora
S.Herenia.	ora
S.Felicitas.	ora

Die IX.

S.Gyrion,mi.ma.	ora
S.Candide,mi.ma.	ora
S.Gregori, ep.Nyſ.	ora
S.Paciane, ep.	ora
S.Cyrille,ep.	ora
S.Methodi, ep.	ora
S.Franciſca,vid.	ora

Die X.

S.Cai,ma.	ora
S.Alexander,ma.	ora
S.Codrate, ma.	ora
S.Dionyſi,ma.	ora
S.Cypriane,ma.	ora
S.Anecte,ma.	ora
S.Paule,ma.	ora
S.Creſcens,ma.	ora
S.Victor,ma.	ora
S.Macari,ep.co.	ora
S.Droctonee,ab.	ora
[illegible]ttala,ab.	ora
S.Himeline, co.†	ora

Die XI.

S.Heracli, ma.	ora
S.Zoſime, ma.	ora
S.Candide,ma.	ora
S.Piperion,ma.	ora
S.Trophine,ma.	ora
S.Thale,ma.	ora
S.Gorgoni,ma.	ora
S.Firme,ma.	ora
S.Eulogi, pre.ma.	ora
S.Euthymi,ep.ma.	ora
S.Sophroni,ep.co.	ora
S.Benedicte,ep.	ora
S.Firmine,ab.	ora
S.Conſtantine, co.	ora
S.Petre, co.	ora
S.Gumberte,co.†	ora
S.Vindiciane,ep.†	ora

Die XII.

S.Mamiliane, ma.	ora
S.Petre, ma.	ora
S.Egduni,pre.ma.	ora
S.Gregori,pa.doct.	ora
S.Theophanes,co.	ora
S.Bernarde,ep.co.	ora

Die XIII.

S.Marcedoni,ma.	ora
S.Horres,ma.	ora
S.Marce, ma.	ora
S.Sabine, ma.	ora
S.Ruderice,pre. ma.	ora
S.Salomon, ma.	ora

S.Nicephore,ep.ma. ora
S.Ansouine,ep.co. ora
S.Christina,vir.ma. ora
S.Euphrasia,vir. ora
S.Patricia,ma. ora
S.Modesta,ma. ora
S.Theuseta, ma. ora
S.Theodora,ma, ora
S.Nymphodora,ma. ora
S.Arabia,ma. ora
S.Consortia,† ora

Die XIIII.

S.Petre,ma. ora
S.Aphrodisi,ma. ora
S.Alexander,ma.† ora
S.Eutychi,ma. ora
S.Euphrosi,† ora
S.Leouine,ep. ora
Sa. Mathildis regina, ora pro nobis.

Die XV.

S.Longine,mi.ma. ora
S.Aristobule,ma. ora
S.Menigne,ma. ora
S.Nicander,ma. ora
S.Zacharia,pa.co. ora
S.Probe,ep. ora
S.Speciose,mo. ora
S.Leocritia,vir.mar. ora
S.Matrona,ma.vir. ora

Die XVI.

S.Cyriace,di.ma.vir. ora
S.Large,ma. ora
S.Smaragde,ma. ora
S.Hilari,ep.ma. ora
S.Tatiane,di.ma, ora
S.Felix,ma. ora
S.Large,ma. ora
S.Dionysi,ma. ora
S.Papa,ma. ora
S.Iuliane, ma, ora
S.Agapite,ep.co. ora
S.Herberte,ep. ora
S.Patrici,ep. ora
S.Abraham,er. ora
S.Dentline,puer.† ora
S.Eusebia, vir.aba.† ora pro nobis.

Die XVII.

S.Ioseph Arimathæe, dis. ora
S.Alexander,ma. ora
S.Theodore,ma. ora
S.Paule,ma. ora
S.Patrici,ep.co. ora
S.Agricola,ep. ora
S.Ambrosi, di.† ora
S.Gummare,co.† ora
S.Gertrudis, vir. ora
S.Regina,vir.† ora

Die XVIII.

S.Alexander,ep.ma. ora
s.Narcisse,ep.ma. ora
s.Felix,di.ma. ora
s.decies mille mar. orate
s.Trophime, ma. ora
s.Encarpe,ma. ora
s.Eduarde rex, ora
s.Cyrille,ep. ora
s.Frigdiane,ep. ora
s.Anselme,ep.co. ora
s.Apiane,ep.co.† ora
s.Speciosa vir.† ora

Die XIX.

S.Quincte,ma. ora
s.Marce, ma. ora
s.Panchari,ma. ora
s.Ioseph sponse Deiparę co. ora
s.Appolloni,ep.co. ora
s.Leonti,ep. ora
s.Laondoalde,pre. ora
s.Amangi, di. ora
Ioannes, ab. ora
s.Adriane,† ora
Cum anno Domini D.LXXXIX. in Toletano Concilio III. Hispaniarum Rex Reccaredus, & Regina Badda cum totius Regni proceribus, subditisq; omnibus ex hæresi ad Catholicam fidem reuerterentur, sic ab exultātibus & in Domino gaudentibus patribus acclamatum: Gloria Deo Patri, & Filio, & Spiritui sancto, cui cura est, pacem & vnitatem Ecclesiæ suæ sanctæ Catholicæ prouidere. Gloria Domino nostro Iesu Christo, qui pretio sanguinis sui Ecclesiam Catholicam ex omnibus gentibus congregauit. Gloria Domino nostro Iesu Christo, qui tam illustrem gentem vnitati fidei verè copulauit, & vnum gregem & vnum pastorem instituit. *Ipsi verò proceres inter alia multa, subiunxerunt. Quicunque non dixerit. Gloria Patri, & Filio, & Spiritui sancto, Anathema sit. Amen.*

Continet Corolla ista fidei de summo & primo credendorum articulo professionem, contra omnes Sacrosanctam Trinitatem negantes & oppugnantes, Paganos, Iudæos, Turcas, & generatim omnes hæreticos, cuiuscunque ij dogmatis aut sectæ sint: Quia D. Paulo & Augustino teste, in sola Ecclesia Catholica, vera Dei gloria est. Hæc autem professio speciatim fit contra veteres Sabellianos, qui & Noetiani, Hermogeniani, Praxeani, Samosateni, Photiniani: Contra Arrianos, Macedonianos, Tritheitas seu Philoponianos & Peratas. Item contra Nouos eosque apertos, Michaëlem Seruetum Sabellianizantem Geneuæ à Caluino exustum Anno 1555. quem sequuntur Georgius Blandrata, Sozinus, F. David, Transyluani quidam & Hungari, Valentinum Gentilem Arianizantem à Bernensibus capite plexum, anno 1566. quem sequuntur Matthæus Gribaldus, F. Lismaninus, Sarnicius, & alij in Transyluania & Polonia. Inter hos Nouos alij sunt occulti verique apertorum istorum parentes, de quibus ferè idem dicere licet, quod August in. de Donato hæresi 69. Extant scripta Donati, (*Lutheri, Caluini*) *vbi apparet eum* etiam non Catholicam de Trinitate habuisse sententiam. Verùm in hunc quem de Trinitate habuit errorem, Donatistarum (Lutheranorum, Caluinistarum) multitudo intenta non fuit, nec facilè in eis quisquam, qui hoc illum sensisse nouerit, inuenitur. *Sunt autem isti occulti Lutherus, Melanthon, Caluinus, Beza, Erasmus, Caspar Swenkfelditus, vt patet ex varijs ipsorum libris.*

Vtilitas prima. — *Ephes. 1. Aug. Lib. de Vnit. S. Hæres. 41. 49. 52. Niceph. lib. 18. cap. 48. Theodore. lib. 1. c. 18. Fab. Calui. in act. Serueti & in prot. & Antid.*

II. Continet Dei laudationem & glorificationem, ad quam nos perpetuò & scripturæ & patres, & ratio ipsa hortatur, siue intueamur Diuinæ ipsius naturæ præstantiã infinitam, siue innumerabilia, q̃ ab ea in nos bene-

ritus sanctus utrumque, Ioan.16.1. Corinth. 12. Quàm sancta igitur augusta Deoque accepta doxologia hæc.

8. *Continet eadem corolla finem & scopum vitæ nostræ, summam omnium orationum, & desideriorum nostrorum. Huc enim preces, vota, studia, labores, verba, facta, cogitationes, omnia denique nostra tendere semper debent, vt gloria Patri, Filio, & Spiritui sancto, sicut erat &c, Eccl.17. Deutero.26.1.Corin.6. Vnde & Ecclesiasticus cap.39. In omni corde & ore collaudate, & benedicite nomen Domini.*

9. *Gloriam tandem nobis ipsis affert maximam æternam, in cœlis, si expediat etiam in terris. Toùs doxazontasme ait Dominus doxázo 1.Reg. 2. Luc. 12. Ioan. 12.1.Cor.2.Eccl. 45.Psal.111.*

DEFENSIO ROSARII BEATAE Virginis Mariæ, Viginti propositionibus à Parthenica Sodalitate Moguntiæ comprehensa.

R*ITVM precandi Rosarium Beatissimæ Virginis* MARIAE *iam olim à Christianis Catholicis receptum, non esse vel blasphemum & satanicum, vel superstitiosum, vt fabulantur Sectarij, sed pium & religiosum, breui hoc epicheremate demonstramus. In Rosario quinque sunt, Nomen, Orationes, Repetitio, Numerusque earundem, & calculi precarij: quæ constat omni superstitione vacare: ritus igitur precandi Rosarium, non est superstitiosus.*

II. Nomen Rosarij suauissimum est; nec enim aliud significat, vti vox quoque Germanica Rosen krantz *indicat, quàm sertum quoddam spirituale, mysticis vocibus ex Euangelio depromptis, tanquàm rosis con-*

textum, quod virgini virginũ Dei matri offerimus. Serta enim virginũ capitibus ornandis propriè adhibentur.

III. Orationes verò sine controuersia sunt sanctissimæ. Nam Dominicæ orationis auctor est Christus. Salutationis Angelicæ Gabriel Angelus, & S. Elisabeth. Quã Ecclesia Catholica, vt formam quoque precandi haberet, hac clausit oratiuncula à veteribus vsurpata: Sancta Maria mater Dei, ora pro nobis peccatoribus, nunc & in hora mortis nostræ. Amen.

IIII. Repetitio quoque orationum, quia maximè valet ad excitãdum, inflammandumque precantis affectum, non potest non esse religiosiß. Legimus tres pueros in fornace hemistychium quoddã singulis in collaudando Deo repetiuisse versibus religiosiß. Et orator Dauid in Psalmis suis sæpè repetit, nunc versum, verbum vnum, nunc plura, nunc integrum. Certè in Psal. 117. qui 176. carminibus absoluitur, & quotidiè in Ecclesia legitur, verbis tantùm immutatis idem ferè repetiuit.

V. Dominus quoque alicubi non obscurè hanc repetitionem in orante postulauit. Nam Luc. 11. cùm orandi modum suis traderet, parabolam mox subiecit de eo, qui ab amico tres panes extorquere non potuit, nisi identidem eius fores pulsando. Et in cap. 18. cùm docuisset suos oportere semper orare, & non deficere, aliam parabolam addidit de vidua, quæ quoniam idem sæpiùs petendo etiam molesta fuerat, iudicem tandem in suam sententiam traxit.

VI. Dices Parabolas illas non aliud efficere, quàm perseuerantiam in oratione inprimis esse necessariam. Non diffiteor. at efficiunt quoque illud repetitione fieri, vt perseueremus & non deficiamus. Si enim cùm orandum est, Oratio Dominica dicenda est: Cùm oratis, *inquit Christus,* dicite, Pater, sanctificetur nomen tuum: *quomodo in tam breui orandi formula*

perseuerare possumus, nisi Orationem Dominicam identidem iteremus?

VII. Rursum dices: Dominum in ea ipsa institutione, Matth.6. monuisse, ne orantes multum loquerentur: *vbi Græca vox est battologein, inaniter idem repetentium propria. Respondeo, Christum ibi tantùm reprehendere vanam loquacitatem Ethnicorum, qui existimabant Deum æquè ac homines capi verborum copia & lenocinij, nam addit,* Sicut Ethnici faciũt, putant enim quòd in multiloquio suo exaudiantur.

VIII. Locus illustris pro vindicãda hac repetitione ab omni superstitione est apud Lactantium *in lib. 4. diu. inst. cap. 28. vbi discrimen inter superstitiosos & religiosos (quòd illi totos dies precarentur Deos, hi moderatè id facerent) à M. TVLLIO allatum, his verbis refellit:* Quid causæ est, *inquit*, cur precari pro salute filiorum semel religiosi, & idem decies facere sit superstitiosi? Si enim semel facere optimum est, quantò magis sæpiùs? Si hora prima, ergo & toto die. Si vna hostia placabilis, placabiliores vtique hostiæ plures, quia multiplicata obsequia demerentur potiùs quàm offendunt. Non enim nobis odiosi videntur ij famuli, qui assidui & frequentes ad obsequium fuerint, sed magis chari. *Et iterum:* Quod argumentum etiam ex contrario valet. Si enim totos dies precari & immolare criminis est, ergo & semel. Aut cur vitij nomen sit ex eo tractum, quo nihil honestius, nihil iustius optari potest? Nam quod ait Cicero, religiosos à relegando appellatos, qui retractent ea diligenter, quæ ad cultum Deorum pertineant: cur ergo illi qui

hoc in die sæpè faciunt, religiosorum nomen amittant? Cùm multò vtique diligentiùs ex assiduitate ipsa relegant ea quibus dij coluntur. *Hæc ille.*

IX. Ex qua oratione perspicuè efficitur, non modò superstitiosos non esse, qui crebriùs easdem preces in Rosario iterant, verùm etiam melius esse, Deoque gratius, sæpiùs quàm semel eas iterare. Ad hæc, repetitione ea nihil esse iustius aut honestius. Denique Rosarij oratores propriè esse religiosos, vt qui diligentissimè ex assiduitate relegant retractentque ea quæ ad cultum Dei pertinent.

X. Numerus sequitur orationum Rosarij, ab eadem nota superstitionis immunis. Nam Angeli apud Isaiam, & in Apocalypsi animalia, quæ requiem non habebant, nec noctè, nec die, tertiò eandem vocem in laudibus Dei iterant, Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Sabaoth. David Propheta septies in die laudem Deo dixit. Cuius exemplum secuta Ecclesia diuinum Officium septem diurnis nocturnisque horis absoluit. Christus in horto orans, tertiò eundem sermonem repetiuit. Paulus ter Dominum rogauit, vt Angelus Sathanæ ab eo discederet. D. Bartholomæum nixum genibus centies noctu diuque orasse, testis est eius auditor ABDIAS *Babylonius, Ex vetustissimis Anachoretis apud Palladium & Socratem, S. Macarius centum, Paulus Aegyptius trecentas, virgo quædam septingentas quotidiè fundebat ad Deum orationes.*

XI. Iam si pia mysticave significatio à numero nõ absit, vt certè non abest, nec in numero Rosarij, nec in allatis exemplis (Ternarius enim SS. Trinitatis, septenarius donorum Spiritus Sancti symbolum est) nihil erit in numero quòd probari non possit. Nam quinquies Orationem Dominicam repetimus, vt quinque Christi vul-

nerum memoriam refricemus. Salutationem verò Angelicam cuique orationi decies subiecimus, vt in mentem nobis veniat decem Dei mandatorum. Eandem quinquagies toto Rosario iteramus, vt plenam peccatorum remißionē, quæ quinquagenario numero Iubilæi in scripturis diuinis significatur, interceßione Beatißimæ Virginis per merita paßionis Dominicæ consequamur.

XII. Calculi Precarij restant, in quibus aliquid superstitionis hærere imperitis fortasse videatur, sed reuerà nihil hæret. Licèt enim illis Christi fideles nunc laudabiliter vtantur tanquàm Symbolo manifesto Romanæ religionis, vsus tamen eorum Patrum memoria in Ecclesiam non alia de causa primùm inductus est, quàm vt ne in numero orationum persoluendo, sensili tactu aspectuq; calculorum facilè aberraremus.

XIII. Scribunt veteres historici Palladius, Sozomenus, Caßiodorus, celeberrimum Anachoretam Paulum de Lybia quingentorum Monachornm patrem, solitum in dies 300. orationes Deo quasi tributum persoluere, & ne numero delinqueret, lapillum ad singulas orationes in sinum iactare. CLARAM quoque sanctißimam fœminam Orationes Dominicas congerie lapillorum Domino annumerasse, res ab ea gestæ testantur. Breuiter quàm vetus calculorum sit vsus, saxa sepulchrorum antiquißima loquuntur.

XIIII. Non alio igitur fine primùm vsurpati videntur calculi illi, quàm ab Oratoribus olim loci & imagines ad retinendam verborum rerumque memoriam, quàm à mercatoribus nummi ærei ad annumerandas ingentes pecuniarum summas, quàm ab Ecclesia Catholica cruces imaginesque Christi & sanctorum, ad conseruandum vitæ Christi, sanctorumque recordationem.

XV. Quòd autem posteà incertum numerum sint re-

dacti ad commonefaciendum, quòd Pontificis summi benedictio cum amplissimis indulgētijs accesserit: quòd numis crucibus ve argenteis, æreis, ligneis ornentur, ea non superstitionem, vt quidam calumniantur, auxerunt, sed religionem.

XVI. Nam sicut Iosua sacri dux exercitus, filijs Israel Iordanem sicco vestigio transeuntibus, duodecim lapides grandes ex alueo in castra piè & religiosè deferri mandauit, vt nempè apud posteros percontantes, Quid sibi velint lapides isti? *perpetua miraculosi transitus extaret memoria: sic maiores nostri piè & religiosè quinque grandiores calculos Rosarijs inseruerunt, vt hæreticis ea ridentibus, percontantibusque,* quid sibi velint quinque calculi isti? *quid Rosarium totum, respondeatur esse Symbola quinque vulnerum, quæ Christo pro nostra ipsorumque salute sunt inflicta. Rosarium verò esse compendium quoddam noui testamenti, doctrinæque Christianæ.*

XVII. Nam qui multiplicem Rosarij vsum norunt, sciunt eundem calculorum numerum seruire ad renouandam memoriam omnium mysteriorum vitæ Christi, & Beatæ Virginis, capitumque præcipuorum fidei Catholicæ, vt SS. Trinitatis, incarnationis, Passionisque Christi, cultus Dei & Sanctorum, præceptorum Decalogi, iustificationis & vitæ æternæ. Quod sanè compendium hoc vtilius est in vulgus, quo latius eius vsus patet quàm librorum: Legi enim potest etiam ab literarum imperitis, à cæcis, in equis & curribus, in tenebris densissimis.

XVIII. Benedictio verò Pontificis calculos alioquin profanos solemnibus precationis verbis in pium & salutarem vsum fideliū destinat: sicut ritu Ecclesiæ peruetusto, aqua, sal, calices, cerei, herbæ, templa ipsa, benedictione sacerdotis ad sacrum vsum destinantur. Sanctifica-

ctificatur, enim, *inquit Apostolus*, omnis creatura per verbum Dei & orationem.

XIX. Indulgentias benedictioni coniunctas fructum afferre maximum, certũ est: his enim allecta plebs fidelis numero maiore, studio ardentiore, ad orandum Deum concurrit, pro rebus maximis, pro Ecclesiæ Catholicæ incremento, pro concordia Christianorum Principum, pro exstirpatione hæresum. Horum enim capitum ferè indulgentiarum formulæ meminerunt.

XX. Imagines verò aureæ, argenteæ, ligneæ, Rosarijs appensæ, nec mysticum significatum, nec vsum habent alium, quàm imagines in templis, vt videlicet memoriam nobis renouent rerum à Christo Sanctisque gestarum, & vt in, vel coram illis prototypum veneremur & inuocemus.

DEFENSIO APPARITIONVM, QVAE AB ANGELIS SANctis fieri consueuerunt, ac imaginum Sacrarum, quibus pinguntur.

DE BONORVM ANGELORVM apparitionibus, quas veras esse demonstratur, licèt ipsæ non omnibus conueniant.

CAP. I. THESIS I.

D*E Angelorum apparitionibus multiplex quæstio est. Cùm enim ipsorum ordines varij sint: hoc primùm quæritur, vtrùm ex singulis ordinibus, an tantùm ex certis aliquibus sese hominibus exhibeãt. Quæri-* Thom. 1. p.q. 50.

tur, quot se nobis atque formis offerant. Quas quales've operationes in assumptis corporibus exerceant: & quibus de causis præter naturæ suæ ordinem rebus humanis intersint.

Nam rebus nostris in assumptis corporibus quandoq; interesse extra controuersiam est. Id Scriptura clarissimis verbis docet: testatur id experientia, & ratio certissima confirmat, denique probat omnium rectè philosophantium sensus atque consensus.

Gen. 18. 28. 32. c Actuũ 7. d Actuũ 5. & 8. &c. e Luc. 1. 2. f Gen. 32. g Iudic. 6. h Luc. 1. i Luc. 22. k Dan. 3. l Act. 12. m Mat. 28. n Gen. 21.

Scriptura apparitionum Angelorum non vno in loco, sed varijs mentionem facit. Et omni tempore, omni loco, omniumque generum hominibus ipsos apparuisse, tot suggerit exempla, quot possunt sufficere ad hanc rem etiam Barbaris persuadendam.

Apparuerunt statim ab orbe condito primis humani generis, post Deum authoribus, quando Dei personam sustinuerunt; & varijs rationibus cum Patriarchis egerunt. Et lex Dei non hominum tantùm, sed & Angelorum ministerio ad Iudæos perlata est. c *Denique Actuũ Historia* d *atque Euangelia* e *(quæ principium temporis gratiæ explicant) docent, plurima per Angelos præstita esse, & perfecta.*

V. Et nunc quidem ruri apparuerunt f *nunc inter priuatos parietes domi* g *nunc in templo* h *nũc in hortis* i *nunc in fornace accensa* k *nunc in carceribus* l *nunc in sepulchris mortuorum* m *nunc in locis desertis, & ab omni hominum frequentia separatis* n.

a Act. 10. b Luc. 1. c Act. 12. d Mat. 28. e Act. 13. f Luc. 1. g 2. Machab. 3. h Gen. 18. i Dan. 3. k 2. Mac. 3. l. Gen. 21.

VI. Sed & omnium generum hominibus sese spectandos exhibuerunt. a *Gentibus inquam à Iudæis* b *& Christianam fidem profitentibus* c *mulieribus* d *& viris,* e *hominibus integræ & inculpatæ vitæ* f *atque barbaris,* g *ætate prouectis,* h *& quorum adhuc tenerior est ætas* i *nobilibus & generis splendore claris* k *atque ignobilibus* l.

VII. Con-

VII. Confirmant etiam hanc rem non ex sacris solùm fontibus haustæ, verùm etiam aliunde petitæ historiæ. Gelasio primo Pontifice in Apulia ad radices Gargani montis, (quem locum incolunt Sipontini) Archangeli Michaëlis, fuit illustris apparitio m *eumque sæpiùs hominibus visum, veteri Sanctorum traditione comprobat Romana Ecclesia. Cæcilia Angelorum visione fruens, rosarium liliorumque media hyeme vernantium odoramentis, quæ ipsi de Paradyso allata fuerant, Valerianum & Tiburtium cõuertit* n. *Mariam Magdalenam ab Angelis in cœlum tolli, & iterũ loco suo restitui, solitarius quidã vidit Presbyter* o. *Prætextata nobilissima quondam fœmina. iubente viro Hymetio, qui patruus Eustochij virginis fuit, habitũ eius cultumque mutauit (Verba sunt Hieronymi)* p *& neglectum crinem mundano more pexuit vincere cupiens, & virginis propositum, & matris desiderium. Et ecce tibi, eadem nocte cernit in somnis venisse ad se Angelum terribili voce minitantem pœnas, & hæc verba frangentem, Túne ausa es, viri imperium præferre Christo? Tu caput virginis Dei, tuis sacrilegis attrectare manibus? Quæ iam nunc arescent, vt sentias excruciata, quid feceris, & finito mense quinto ad inferna duceris. Omnia per ordinem expleta sunt, & seram miseræ pœnitentiam velox signauit interitus.*

m Surius Tom. 5. in Michaël.

n Marulus lib. 6. c. 16.

o Marulus lib. 10. c. 16

p Hier. ad Letam de institutio. filiæ.

VIII. Res hæc vires Angelorum non excedit: vt qui in corpora vim habent summam: neque minuit dignitatem, sed illustrat maximè: quando hac ratione primùm illorum potestas, deinde studiũ benè de nobis merendi elucescit: Neque rebus humanis incommodat: quando grauissimæ causæ sunt (vt dicemus) cur hoc Angelorum ministerio Deus vti decreuerit.

IX. Rebus igitur humanis Angelos interesse posse, atque identidem in aspectabili forma interfuisse, extra controuersiam est. Omnibus verò num hoc conueniat, ex

missionibus, quas scriptura ipsis tribuit, colligi posse videtur. Certè cùm ad externa munia obeunda non mittantur omnes, sed quidam in vnica Dei contemplatione atque fruitione occupētur, alios apparere posse putamus, alios verò omninò mortalium conspectum fugere.

Exod. 23. Dion. c. 8. cœlest. hierarch.

X. Et quidem inferioris ordinis omnes, atque etiam medij seu secundæ hierarchiæ mitti, præter illos quos Dominationes vocamus, ratio nominum, quibus compellantur, insinuat: quæ, quòd quædam in his inferioribus exerceant, & mortalium causa occupentur, importat: reliquos autem, ab hoc officij genere immunes esse, tum eadē nominis ratio, tum grauissima B. Dionysij commonstrat authoritas.

Ibid.

XI. Quamobrem ex superiorum quatuor ordinum Angelis nulli corpora assument. Sed neque ex inferioribus ordinibus omnes. Licèt enim nullos assumere putemus, quos non item mitti sit necesse, non tamen quicunque mittuntur, corpora assumere dicendi sunt: quoniam & rebus nostris adesse possunt, & pro officio suo illas administrare, licèt se mortalium oculis non offerant.

Thesi. 102. Thes. ea. Luc. 1. Dan. 10.

XII. Angelos apparuisse legimus atque Archangelos: Principatus verò, Virtutes atq; Potestates nō item. Et Angelos quidem communiora magis officia subiuisse, secretiora autem Dei consilia per Archāgelos patefacta esse & perfecta, sacra perhibent eloquia.

Greg. hom. 34. in Exo.

XIII. Quòd si (quo diuinius nullum opus habet Christianitas) incarnationis mysterium Archangeli ministerio, qui se virgini in humana specie exhibuit, Deus voluit reuelare: quid opus est asserere, ad inferiora minus excellentia munia subeunda, superiorum ordinum spiritus in humanis corporibus apparere?

Isa. 6. Dio. c. 13. cœl. hierar.

XIIII. Nisi fortè, quia Seraphin missus dicitur ad Prophetæ labia purganda: idcirco etiam supremos quis mitti, & externa specie se spectandos exhibere arbitre-

tur. Verùm doctißimus vir Dionysius hunc etiam inferioris ordinis Angelum fuisse confitetur, nomenque superiorum consequutum, aut ab officio, quòd ad incendendum Prophetæ labia accesserit, aut quòd superioris ordinis Angeli authoritate in hoc negotio functus sit.

XV. Verùm quod quibusdam tribuimus, vt nostris rebus intersint, non ita de alijs negamus, quasi hoc vel viribus ipsorum repugnet, vel conditionem nequaquàm deceat. Possunt profectò omnes apparere, vt tamen omnes appareant, diuinæ prouidētiæ ratio rebus insitu, permittere non videtur.

EXPLICANTVR MODI ET RATIONES, quibus boni Angeli apparuerunt.

Caput II.

Modus quo apparent Angeli, varius est. Nam vel in assumpto corpore se exhibent, vel propria vi, qua pollent, maxima, sui species in sensibus efficiunt, & in ijs se nobis offerunt.

II. Fuerunt qui primum apparitionis genus reijcerent, nullamque putarent contigisse per corpoream visionem, qua id quod cernitur, extra videntem est. At vera fuisse corpora, in quibus quandoque spiritus cœlestes, hominum se sensibus obtulerunt, docet B. Augustinus illorum exemplo, qui Abrahæ in conualle Mambre, & item Loth in Sodomis apparuerunt, & ab illis hospitio excepti, Dei consilia patefecerunt. S.Tho.1.p. q.51.art.2. Aug.lib.15. de Ciuit. Dei c.23.

III. Sed & quæ sub imaginationem cadunt, ita illi cui reuelatio contingit, exhibentur: vt ad aliorum notitiam peruenire non sit necesse. Iam verò Abrahæ ita se exhibuerūt Angeli, vt & tota familia ipsos intueretur: Gen.18. Gen.19.

& qui Loth authores fuerunt, vt Sodomorum consuetudinem relinqueret, impiorum conspectũ non fugerunt.

IIII. Vtrum verò ex inferioribus elementis peregrina corpora assumant, eaq; in quaslibet corporales species vertant, an potiùs propria quædã sua transforment, & ad id quod agunt, accommodent, à se non vult quæri D. Bernard. a mauultque ignorantiam suam fateri, quã temerè in re difficili quippiam definire. Sed & id vires ingenij sui excedere putat b B. Aug. vt qui grauissimos c authores secutus, tam bonos quàm malos spiritus subtilia corpora, & quæ magis ad agendum quàm patiendum sint apta, dicat habere. d

V. Verùm qui ab hac sententia cum non minus insignibus authoribus e discedunt, & idcirco omni corpore exuunt Angelos, quia neque subsistendi, neque intelligendi, neque se ipsos mouendi gratia, vllo indigent: non ipsorum tenuiora indensari, & sic ad hominum sensus accommodari, sed aliena siue peregrina ex elemẽtis formari magnis rationibus commonstrant.

VI. Vera igitur, licèt peregrina fuerunt corpora, in quibus f spiritus Angelici hominibus visi sunt. His autem non eo coniunguntur modo, quo se noster animus corpori vnit, tanquàm ipsorum esseni formæ (non enim corpora, sed spiritus diximus esse Angelos) neque in vnitatem hypostasis, quo modo Christus humanam naturam, illa assumunt (non enim Angelos dicimus esse homines, quando in humana specie apparent.) Sed neque ita naturaliter illis adhærent, vt vicem naturæ qu..., si subeant, quemadmodum Intelligentias cum cœlo coniungimus. adde, quod neque vt motor tantùm ei, quod mouetur g adsunt: nisi omnia ab Angelis assumi velimus dicere, quæcunque ab ipsis mouentur corpora. Vniuntur vt motor, quàm ipsum quod mouetur, quodam modo repræsentat & cognoscendum exhibet.

a Bern. ser. 5. in Cãtic.
b Aug. l. 3. de Tri. c. 1.
c Phil. lib. de opificio 6. dierum. Orig. in 1. l. peria. Lactant. Basilius & omnes ferè sui temp.
d Aug. lib. 1. de gen. ad lit. cap. 7. lib. 3. de Trin. c. 1. in psal. 85. & 145. li. 11. de Ciu. c. 23. &c.
e Dion. cæl. hier. cap. 1. Chrys. hom. 22. in Gen. Cyril. l. 4. com. in Ioã. cap. 10.
f Thess. 3.
g Tho. 1. p. q. 51. art. 2. ad. 2.

Assum-

VII. Assumpta, verò corpora non prius, ea specie atque forma fuerũt, qua post quàm assumpta sunt, exhibentur: sed simul & assumuntur & figurantur: atque ab eo eodem à quo assumuntur, formas figurasque recipiunt. Tho. 1. p. q. 51. art. 2. ad. 3.

VIII. Figurantur autem & efficiuntur plerunq; non ex aqua & terra, quia non ita subitò ex hominum sensibus se subducere possunt, quemadmodum se nostris sensibus subtrahunt Angeli neq; ex igne, quia circumquaq; cuncta depascerent: sed ex aëre, quē sua virtute condensant, & ad quascunque formas volunt, componunt.

IX. Vbi verò semel assumpta fuerunt corpora, non perpetuis temporibus retinentur, sed statim, postquàm munia sua expleuerunt, deponũtur: & in priorem formã, non iam Angelorum, aut Dei virtute, sed naturali prorsus redeunt, non secus, atque calefacta aqua infrigescit. Tho. 1. p. q. 51. art. 2. ad. 3.

X. Potest nihilominus fieri, vt perpetuis temporibus illa retineant, possunt & ex alijs elementis assumere, possunt quoq; talia assumere, quibus ipsi non sua virtute formas dent, sed à quibus mutuentur. Hic primus modus.

XI. Alter modus quo se non in assumptis corporibus exhibent, sed sensibus tautùm insinuant, duplex est: quemadmodum & duplex sensuum, in quos vires suas exercere possunt, ratio est. Quandoque interioribus sensibus, imaginationem intelligo, quandoque exterioribus percipiuntur.

XII. Cùm enim in corpora potestatem habeant Angeli, & apparitiones imaginarias, & horum motu frequentissimè oriri etiam Aristoteles doceat: cùmque sensus non solùm ab eo moueatur, quod extra ipsum est, verùm etiam à varijs formis, quæ simul cum perturbatis spiritibus atque humoribus in sensus illabuntur: sequitur Angelorum vires non excedere, vt & in imaginationem hominis se insinuent, & item in humoribus, sui for- Tho. 1. 1. q. 112. art. 3. Arist. li. 2. de som. c. 3. Thom. 1. p. q. 3. art. 3. & 4.

August. de cura pro mortuis agēda, c.12. mas imprimant, sicque sensus exteriores occupent.

XIII. In imaginationem nunc dormientibus nobis, se insinuant, cuius exemplum ille præbet, qui Ioseph apparuit, eique vt Herodis furorem declinaret, author fuit. nunc vigilātibus: vt docetur illorum exemplo, qui phrenesi capti res miras præsentes esse sibi certissimè pollicentur. At in exteriores sensus nunquàm illabuntur, nisi omnis procul absit somnus.

XIIII. Quandocunque verò & quomodocunque in assumptis corporibus apparent, suamque & non Dei personam sustinent dignam semper se suoque munere exequendo formam assumunt, humanam dico & non aliam.

XV. Conuenit hæc ipsis, quia inter omnes præstantissima est: conuenit & ipsorum officijs, quia in corporibus talia exercent, quæ aut per solos homines debent, aut per solos possunt, optatos fines consequi.

XVI. Eandem officiorum rationem esse putamus, cur non in specie muliebri, sed virili, non infantis aut pueri, sed maturioris ætate, ipsos semper appauisse legamus.

Quando verò in viri figura se aspectabiles exhibent, non simili semper forma vtuntur, nunc hanc habent, nūc illam, prout officiorum diuersitas requirit. Huius argumentum est, quòd alios obstupuisse legamus ad primum Angelorum intuitum, alios nihil commotos, alios non ferentes ipsorum conspectum in terram corruisse, licèt etiā leonibus fuerint formidabiles.

Luc.1. Ibid. Dan. 10. Ezech.9. Luc.24. 2.Mach.1. Aug. de natiuit. Dom. serm.14.

XVII. Angelus qui apparuit Ezechieli, videbatur vir indutus lineis, & atramētarium scriptoris habere in lumbis: qui mulieribus post gloriosam Christi resurrectionem, in veste fulgenti, qui Machabæo, in veste candida, auream hastam vibrans, qui salutaturus Virginem intrauit (si Augustino credimus) facie rutilanti, veste coruscante, ingressu mirabili, aspectu terribili.

Gen.19. XVIII. Scilicet hoc ipso habitu muneris sui atq; officij

nos

nos commonefacere videntur. Sic Loth in habitu peregrini volunt mutare solum: sic festiuitatis nostræ gaudia annunciant (verba sunt B.Gregorij) quando ipso resurrectionis die, in candida stola apparent. *Greg. hom. sup. Mat. 1[?]*

XIX. Quocirca quod Damascenus habet, transformari Angelos quomodocunque dominator iusserit Deus, & sic hominibus apparere, atque diuina reuelare mysteria, non cùm habet sensum: quòd vtriusque sexus formas assumant, omnesque ætatum gradus in assumptis corporibus effingant: sed id vult significare, non vnam eandemque esse, quæ in omni hoc negotio ipsis deseruire debeat. *Damasc. lib. 2. de fide orthodox. cap. 3.*

EXPLICANTVR OPERATIONES bonorum Angelorum in assumptis corporibus, & insuper earundem apparitionum variæ assignantur caussæ.

Caput III.

MVltiplices sunt operationes Angelorum in assumptis corporibus, quædam in ipsis, sed nō per ipsa: quædam etiam per ipsa exercentur corpora. Illæ liberæ sunt, nec corporum indigent ministerio: hæ non item.

II. Prioris generis sunt visio Dei, sui ipsorum rerumque naturalium omnium continua cōtemplatio, quorundam diuinorum cōsiliorum cognitio, & vt vno verbo dicam, illæ omnes, quæ voluntatis atque intellectus opera perficiuntur: posterioris sunt, cum hominibus sermocinari, itineri socios se præbere, sumere cibum, legationes suas quadam lucis claritate cohonestare, aliæque huiusmodi, quibus se viuis exhibent.

III. Non enim quia nobiscum conuersantur Angeli fœlices esse desinunt, & de suo, quod illis vel gratia,

vel natura contulit exercitio, quidquam remittunt: neque propterea procul à diuino sunt conspectu, quia nostris rebus interjunt. Angeli, inquit Saluator, eorum semper
Matt. 18. *vident faciem Patris, qui in cœlis est.*

IIII. Ad liberas operationes nihil prorsus confert opus assumptum, sed nec quicquam impedit. Quamobrem non tunc ratiocinantur more nostro: non phantasmatum inspectione rerum cognoscunt naturas: non agentis intellectus operam requirunt: non cunctantius de rebus definiunt, quæ in nobis ob corporis molem fieri, obseruamus omnia.

V. Sunt præterea hæ operationes verè viuentis naturæ, vitalesque dici debent, & quidem multò magis quàm nostræ, quarum animus est principium & causa.
Thom. 1. p. q. 51. art. 3. *At aliæ illæ, neque sunt, neque dici debent vitales: propterea quod principium sui non in se, sed extra se habeāt, non secus atque lapis qui à proijciente impellitur.*

VI. Est tamen inter has non vitales discrimen. Quædam si naturam ipsarum conditionemque in se spectes, nō nisi animante principio efficiuntur: vt sunt videre, audire, &c. quædam ex se animans quidem principium habent, sed tamen ex parte, earum rationem subeunt, quæ sine anima possunt perfici, quales sunt cibum sumere, ambulare, & his similes. hæ Angelis tribui quodammodò possunt illæ nequaquàm.

Ibid. *VII. Quocircà Angeli in assumptis corporibus possunt dici sonos formare, locumq; mutare: videre autem, audire, loqui, gustare, non item. Et motus reuerà in ipsis est quæ moueri videntur corporibus, visio autem atque auditio, visque loquendi & audiendi, nequaquàm.*
Thom. 1. p. q. 51. art. 3. ad. 2. Tobiæ 12. *Cùm essem vobiscum, inquit illorum quidam, videbar quidem manducare & bibere, sed ego potu inuisibili, & cibo vtor.*

VIII. Neque tamen ob id putare debemus, oculos

alio-

aliorumq; sensuum organa, suum munus non habere in Angelis. quoniam non hæc vt per illa sentiant, consequuta sunt: sed partim propterea, vt intelligeremus, illis non deesse vim cognoscendi, aliaque opera, quæ nos sensuum ministerio exequimur, perficiendi, partim ne si absque his membris apparerent, nescio quæ monstra Angelos esse suspicaremur. Dionys. de cœlest. hierar. ca. 15.

IX. Ex iam dictis sequitur, nec sitim, nec famem in assumptis corporibus Angelos pati, etiamsi ab alimentis diutißimè abstineant: satiari atque inebriari, etiamsi nimio vel potu, vel cibo obruantur, sed nec fatigantur longitudine difficultateque itinerum, quæ conficiunt: nec difficiliùs est ipsis breue spatium longo, quàm longißimũ breuißimo tempore conficere, licèt & reuera corpora moueantur, atq; ipsi item in corporibus non secus atq; motor cum mobili ferantur.

X. Sequitur & illud, non esse necesse fateamur, eandem prorsus illorum corporum constitutionem esse, quæ est nostrorum, scilicet vt interiorum viscerum eadem sit necessitas, ratio, atque compositio. Sufficit vt quæ sensibus se offerunt membra à nostris non discrepẽt: quoniam corpora hæc non vt opera vitæ exerceant, sed vt significent solùm, spirituumque præsentiam testentur, & diuinæ prouidentiæ consilia clariùs manifestent, assumi diximus.

XI. Causas restat inquiramus, ob quas Angeli in peregrinis se corporibus exhibent. Illæ certæ & magnæ & multæ sunt: quia & varias Angelorum apparitiones legimus: & naturæ ordinem excedit, quod nostris sensibus se offerant.

XII. Et primò quidem propter se, his corporibus non indigent, non enim fœliciores sunt cùm habent, nec deterioris conditionis cùm carent. Sed nec propterea consecuti sunt, quasi faciliùs hac ratione, vel Dei consilia ho-

minibus innotescant, vel ipsius decreta: finem suum commodius consequantur. Omnis ex hominibus, quod appareant, quodve his vel illis formis appareant, ratio petenda videtur.

Thom. 1. p. q. 15. art. 2. ad 1. & S. August. lib. 3. de Trin.

XIII. Placet S. Thomæ vt veteris legis apparitiones quoddam indicium esse dicamus, assumendæ olim per Dei filium humanæ naturæ: quasi his tanquam obscuris signis antiquitas illa fuerit instruenda: vt de filio Dei crederet, quod Angelici spiritus quodammodò effingerēt & demonstrarent.

XIIII. Sed & futuræ societatis, quæ nobis in illa vita communis esse debet cum Angelis, non leuia fuerunt argumenta, ne impossibile iudicaremus: quod cum Angelis communem quandoque in cœlis vitam acturi essemus immortalem: quando & ipsi cum hominibus eandem quasi vitæ conditionem in hoc infœlici rerum statu subire voluerunt.

XV. Quid, quod naturæ nostræ conditio id postulare videbatur vt mens nostra corpori tanquam carceri inclusa, corporeis etiam argumentis promoueretur, eoque duceretur & assurgeret externo Angelorum ministerio: quo per se vix penetrare posset.

XVI. Accedit, quòd & religionem & synceram pietatem hæc ratio apparendi non parùm promoueat, diuinamq; clementiam, & erga genus humanum liberalitatem egregiè cōmonstret: quando naturæ ordo quasi interturbatur, vt rebus nostris commodius consulatur.

Gen. 21. Tob. 6. Daniel 3. 4. Reg. 16. Luc. 1. Act. 8. &c.

XVII. Vide quæso, quot quantisq; de causis spiritus illi quædā quasi (vt ita dicam) corpora esse voluerūt. Visi sunt in corporibus (vt ex multis pauca afferā) vt afflictos erigerent & cōsolarentur: vt itineris se duces & comites præberent: vt vim elementorum ne pijs obessent, frangerent: & impiorum conatus retardarent, & peccata vlciscerentur: vt Dei voluntatem hominibus reuelarent, etc.

XVIII.

XVIII. Et tamen hæc omnia potuit per se Deus. Potuit & occulto quodam Angelorum perficere ministerio, potuit animos nostros ingredi, informare, & quocunque liberet impellere: sed quod potuit, noluit, ne fortè mens humana sibi tribueret, quod Deo erat tribuendum: aut tardius negligentiusve aduigilaret, quando non externis quasi machinis impelleretur, sed interno solùm spiritu ageretur.

DE IMAGINIBVS BONORVM Angelorum, quæ ex ipsorum apparitionibus profectę videntur, deq; earum ratione & causis.

Caput IIII.

I. APparitiones Angelorum bonorum non literis solùm declaratæ sunt, verum etiam imaginibus expressæ. Quocirca hoc loco quid ipsæ imagines, cum apparitionibus commune habeant, & quæ ipsarum sit ratio, breuiter est expendendum, præsertim quando tota hæc res nullo fundamento quibusdam niti videatur, sed ab hominum sola voluntate pendere.

II. In bonorum Angelorum imaginibus, & exterior forma, & corporis habitus, & cum ipsis coniuncta, aduertenda sunt.

III. Forma duplex est, quoniam in integro perfectoque corpore depinguntur, aut solo, & quidem alato capite figurantur, vtrobique verò speciem humanam referunt, fulgentique aspectu & liberali, atque adolescentis forma, animos intuentium ad se rapiunt.

IIII. Habitus corporis quandoque omninò nullus est, vt cum sine vestibus nudi exhibentur: quandoq; ipsis dignus. Et hic nunc militaris est, & ad pugnandum accommo-

commodatus, nunc qui pacis sit argumentum, vt cum vestitu candido induti, zonis circa pectus & lumbos præcincti, lapidibus pretiosis ornati, duabus alis pennati, & nubibus circundati, sed tamen discalceati conspiciuntur.

V. Coniuncta cum his sunt gladius versatilis, crux, flagella, cithara, aliaque cum dominicæ passionis, tum musica instrumenta, virga item regia, bilibris, thuribula, locus, & his similia.

VI. Omnibus his occasionem dedit partim scriptura, quæ ipsos hoc ferè modo apparuisse demonstrat, partim totius antiquitatis consensus, partim ratio, quæ vel ornatum in his quærit, vel mentem instituit, aut confirmat.

VII. Perfectè ipsorum formæ authoritatem identidem dant sacræ literæ, quæ quotiescunque spiritus illos oculis nostris obijciunt, sub humana, & quidem perfecta apparuisse multis argumentis insinuant, sed & perfectam habuisse speciem videntur, quos in ipso templi
Exod. 25. *sacrario asseruari voluit Deus: & quos ex lignis oliuarũ*
3. Reg. c. 6. *fabrefactos atque auro tectos, in medio interioris templi constituit Salomon.*

VIII. Imperfecta forma ex sola videtur ratione
Dionys. de *pendere. Docet non membra in Angelis esse quærenda, ne*
cœlest. hie- *ipsos corpora suspicaremur: sed duplici virtute excellere,*
rar. ca. 15. *vi scilicet intelligendi, cuius argumentum caput est, & promptitudine quam celerrimè diuina mandata exequẽdi, quod quidam in alis obseruant.*

IX. Sed & alarum leuitas Dionysio significat, quod terreni corporis sarcina liberi, toti absque vlla admixtione vel pondere ad cœlestia ferantur, & in diuinarum rerum contemplatione iugiter occupentur.

Luc. 1. *X. Fulgentem aspectum obseruatum esse in ipsis ap-*
Marc. 16. *paritionibus, trepidatio illorum quibus se exhibuerunt,*
Mar... *demon-*

demonstrat: sed & ratio eundem postulare videtur, siquidem in illorum olim societatem assumendi, fulgebunt sicut splendor firmamenti, & B. Augustinus non alio, quã fulgenti aspectu Gabrielem ad virginem salutandam ingressum esse apertè fatetur.

Matt.26.
Daniel.12.
Aug. serm. 14. de Nat. Domini,

XI. Iuuenilis ætatis plurima argumenta præbet scriptura, quæ iuuenes vocat. Sed & officiorum ratio, & vitæ conditio hanc postulare videbantur: vitæ quidem conditio: ne tempore putares senescere, & ætate consumi: officiorum verò ratio: ne si infantis aut senis personam referrent, ad munia sua exequendum, iudicarentur inepti.

Matt.16. &c.

XII. Nuditas in hominibus verecundiam parit: in Angelis virtutis argumentum est: sanctitatis inquam, castitatis, immortalitatis atque innocentiæ: quibus etiam primi illi parentes vestiti, nec ipsa nuditate confundebantur, cùm non esset in corpore cui verecundia deberetur: nec quicquam putabant velandum, quia nihil sentiebant refrænandum.

XIII. In habitu militari Angelum proponit historia Machabæorum. Apparuit (inquit) præcedens eos eques in veste candida, armis aureis, hastam vibrans. Simili modo iam olim ante annos octingẽtos & eo amplius depictum fuisse possumus credere, qui Assyriorum centũ octoginta quinq; millia vna nocte trucidauit, quã ex cera fusilem picturam, pietate plenam se vidisse testatur & amasse, B. Chrysostomus.

Aug. de Genes. ad lit. lib.11. c.1. 2 Mar. c.2. 4 Reg.14. Chrysost. in oratione, quod veteris & noui testa. vnus sit legislat. vide princ. Act. 4. Sept. synod. 2. Mach. 2.

XIIII. Vestitus candidus, & innocentiæ & gaudij signum est, quocirca & angeli hoc ipso vitæ suæ integritatem testantur: atque item gaudium, quod tum ipsi habuerunt, tum homines concipere oportebat, si quando in hoc habitu conspecti sunt, apparuerunt in vestibus albis, & animos addunt Iudæis, luctum interdicunt mulieribus, & mortalium genus, in primis verò Apostolos

Marc. 16.

ob lætißimam Chriſti aſcenſionem recreant.

Molanus de picturis.

XV. Neque tamen ita candidum ipſis habitum tribuimus, vt quemcunque alium damnemus Seuerum hæreſiarcham quendam arguit Ioannes Gabalon Epiſcopus, quòd putauerit non decere Angelos purpureas, ſed albas veſtes. Ignorat (inquit) ſanctis poteſtatibus non eſſe curæ, quo veſtitu vtantur.

XVI. Et candido quidem habitu non quocunque, ſed Sacerdotali pinguntur, quia ſcilicet ſacerdotum quaſi munus ſubeunt: quando & pro nobis preces fundunt, & noſtram cauſam apud Deum agunt, & hominum ſalutem varijs rationibus & modis promouent.

Greg. lib. 28. Moral. ca. 8.

XVII. Zona, qua præcincti hominibus apparent, expeditos & aptos ad miniſteria exequenda declarat, ſed & continentiæ atque caſtitatis eſt argumentum: quæ quia non corporis ſolùm, verumetiam mentis inuenitur in angelis: fit, vt & circa pectus, & circa lumbos præcincti conſpiciantur.

XVIII. Lapidum & pretioſarum gemmarum ornatus, partim ex ipſa antiquitate, ſed tamen ex ratione præcipuè videtur eſſe profectus. Conſtantinus enim Magnus in Baſilica Conſtantiniana, quæ Lateranenſis modò dicitur, inter cæteras imagines quatuor angelos ex argento in quinis pedibus poſuit, qui penſabant ſinguli libras cẽtum quinque, cum gemmis Alabandenis.

Teſte Damaſo in põtific.

XIX. Et hæ quidem gemmæ non parum ad ornatum faciebant. Sed tamen variarum quoque virtutum ſplendorem teſtabantur, non ſecus, atque duod[illegible]im illæ, quatuor ordinibus diſtinctæ, & entologin infixæ, sacerdotem ſummum ſui officij commonofaciebant.

Exod. 28.

Baſil. in opere hexa. ho. 2. Vide apud Brun. lib. de imagi. ca. 12.

XX. Nempè (vt pauca de pluribus aßignemus) Saphirus cærulei coloris ipſorum caſtitatis argumẽtum eſt; Chryſtallus, qui, vt habet Baſilius, cum aëre contendit, & ei ſimilis in perſpicuitate videtur, puriſsimæ ſubſtan-

tiæ: Hyacinthus rubeus, cœlestis conuersationis: Smaragdus viridißimus, virentis semper & nunquam deficientis naturæ.

XX. Alarum iam olim meminit Chrysostomus, monetque Gabrielem volitantem à pictoribus delineari, nobisque repræsentari, non quòd Deus illum pennatum condiderit: sed ob sublimes & excelsas cœlestis naturæ vires: atque vt illum è supremo domicilio & cœlesti collegio, ad terram nostra causa deuenisse, gratis animis reputemus. Chrys. hom. 3. de incõp. Dei natur. Exod. 16. Deut. 31. Matth. 17. & 24.

XXII. Nubibus plerunque circundantur, vel quia in cœlis eorum propria est sedes, vel quod Dei in nubibus aliquando personam sustinuerunt: vel, quia sicut solis splẽdor ad humanum aspectum per interpositas nubes transfertur, ita lux diuinæ veritatis, quam illi reuerentur, suscipiunt, in mortales pro cuiusque captu, secunda deriuatione transfunditur. Luc. 22. Actuum 1. Greg. in Iob lib. 27. c. 9. Dionys. de cœlest. hierar. ca. 6.

XXIII. Etenim non solùm angeli ab angelis illuminantur & informantur, verumetiam diuinæ prouidentiæ ratio postulat, vt homines per ipsos in multorum veniant cognitionem. Et angelus quidem per partes offerunt, quod ipsi quasi vniuersim perspiciunt, hominibus verò res diuinas in simulachris quibusdam à se effictis obijciunt, & non paruas vires intellectui ipsorum afferunt. Thom. 1. p. q. 3. art. 1. in cor.

XXIIII. Discalceati figurantur. Nam sic Patriarchis olim apparuisse credi potest. Sed & Dei ministris familiare est, hoc modo mitti, quemadmodum docent exẽpla Isaiæ, Moysis, Apostolorum. Accedit quod sanctos viros, quorum studium est in terris angelicam vitam ducere, calceis abstinuisse legamus. Denique hoc significatur eos, qui commune cum angelis officium habent, solutos esse debere à prauis affectibus, vt facilius spirituale iter gradiantur. Genes. 18. Isaiæ 20. Exod. 3. Matt. 10. Epiph. li. 2. tom. 1. hær. 52. & li. 3. tom. 2. hær. 28.

XXV. Instrumenta quoque sanctis spiritibus ars pictorum affinxit. Illa verò partim Dei vel iram, vel misericordiam, vel iustitiam ad mentem nobis reuocant, partim angelorum testantur authoritatem, officium, & vitæ conditionem. Paßionis insignia, testes sunt diuinæ misericordiæ: gladius versatilis, iræ, iustitiæ, libra, cum qua sanctus Michael pingitur. Ipsorum verò potestatem declarant virga regia, officium, tuba: conditionem, instrumenta musica.

XXVI. Omnibus his authoritatem sacræ literæ dare videntur. Videbimus signum filij hominis in illo die, vtique Angelorum ministerio deferri, post quam eiectus paradyso fuit primus parens, constitutus est Cherub, qui gladio flammeo atque versatili aditum ad ipsum prohiberet: appensus in statera dicitur Balthasar, & inuentus minus habere. Virga vsus est Angelus, qui Gedeoni auctor fuit belli contra Madian suscipiendi. Tuba canet, qui à quatuor mundi partibus, mortales ad studiorum suorum fructus percipiendos euocabit. Instrumenta musica insignem voluptatem qua perpetuò perfruuntur, testari videntur.

Matth. 24. Genes. 3. Daniel. 5. Iudicum 4. Matth. 15.

XXVII. Et thuribula illis tribuuntur, vt intelligamus nostras Deo preces offerre a, *& in columnis altarium constituuntur, vt significetur tremendis Missæ sacrificijs præsentes aßistere: quemadmodum egregiè declarant Ambrosius* b, *Chrysostomus* c, *& Innocentius tertius* d. *Hæc de bonorum spirituum imaginibus.*

a *Ioan. 3. & 12.*

b *Ambros. in Luc. 1.*

c *Chrysost.* hom. 21. in *Act.* & 23. in *Epist. ad Ephes.* & 3. contra *Arrium*, & lib. 6. cap. 7. de *Sacerdot.*

d *Innocen.* lib. 2. de *sacro altaris ministr. cap.* 24.

DEFENSIO LITANIARVM CAtholicarum, & corruptelarum, quas in iis corrigendis sectarij commiserunt, demonstratio.

PRIMA.

Habent a, *suis in precationibus, nouam quandam Lutherani Litaniam, eandemque suis in concionibus cantillant, quam correctam vocant. Sed, si æquiore quis animo rem totam perpendat, multò verius illam ipsi deprauatam appellarent. Dum enim Lutherus, alijque à seipsis nati Censores, veterem, quæ optima erat, precandi formam corrigere voluerunt, ea in correctione, tria, quæ meritissimò castigentur, commiserunt. Nonnulla quæ sanctissima sunt, sustulerunt: flagitiosa quædam addiderunt: aliqua non mala malè immutarunt. De quibus omnibus antequam speciatim agam, prius de re, quã se ipsi correxisse iactant, de ipsisque Correctoribus dicendum. De re ipsa erunt hæc quinque, Litaniæ nomen, partitio, antiquitas, Auctor, vtilitas.*

a *Libelli precum Lutheranarũ editi VVitembergæ, Norimbergæ, Augustæ, &c. Latin⁹ hymnorum correctorũ editus Lipsiæ, an.78. per Christoph. Cornerũ. Argentinensis latin⁹ liber an.66. in officina Theobal. Berger.*

Litaniæ nomen.

2. *Litania precationem, & quidem seriam cordatamque significat. Vnde apud Homerum,* οἱ λιτανεύοντες, *eius, quem precantur,* b *genua amplectuntur,* c *in puluere ac sordibus volutãtur, adeò vt ipsum etiam* λιτανεύειν, d *pro* τοῦ [illegible]ιάσθειν *accipiatur, & eleganter à quodam* e *Infernus dicatur* ἀλιτάνευτος *inexorabilis, cuius nimirum* f, Panditur ad nullas ianua nigra preces.

3. *Posset igitur ista vox, quamlibet Ecclesiæ precẽ, cùm ea nunquam non seriò & ardenter instituatur, deno-*

b *Iliad.* ω.
c. *Iliad.* X.

d. *Eustat. in odyss.* κ. e *in epigram. Græco.* f *Proper. lib.*4.

D.Basil. D.Chrys. D.Iacob. Reg. ca.9. 12.13.

tare: vsu tamen & consuetudine receptum est, vt vnũ tantum certum genus, in quo precandi ardor & contentio insit, exponat.

4. Est verò hoc genus orationis bipartitum, ideoq; & Litania bipartita. Vna liturgica. Sic enim in Græcorum liturgijs ipsum Kyrie eleyson inscribitur. Altera non liturgica, quæ extra sacrosanctum Missæ officium. Hæc verò vel pro solo Kyrie accipitur, vt apud D. Benedictũ: vel cum alijs etiam precibus adiunctis, et quidẽ vel in aliqua processione, vel sine processione. Quia verò in processionibus olim valdè huiusmodi preces vsurpabantur: ideò ipsamet tòn litaninonton & procedẽtium multitudo, aliquando litania vocatur. Sed de processionibus fortè aliàs. Ego de litania tantùm, vt precatio est, nunc differo: licèt in processionibus eã subinde considerem. Nulla enim, sine prece processio: licet sæpè sine processione preces.

Regist. lib. 11. cap. 2. Ordo Rom. 81. fol.

5. Et quidem olim, si ad peccatorum veniam impetrandam Litania instituebatur, exomologesis vocabatur, si ad aliud quippiam, simpliciter Litania, vti in i Moguntino Concilio refert Rabanus, & ante eum Isidorus k, vterque tamen suo tempore, istam nominum distinctionem suo tempore euanuisse testatur.

i can. 32. et 33 k lib. 6. originũ in fine Antiquitat. l Ado in an. 196. et 452 Greg. Tur. lib. 2. hist. c. 34. Nicepho. lib. 14.

6. Multò ante annos mille, ipsimq; Gregorij Magni tempora, viguerũt in Ecclesia Christiana Litaniæ, prout manifestè ostendunt, cùm alij l, tum qui ante eadem tempora floruerunt, m S. Auitus, n Sidonius Apollinaris, o Asclepiades Trallianus, p Cincianus, q Felix Rom. r Cyrillis Euthymianus, s Gennadius, t D. Basilius, Concilium primum v Aurelianense, & x Gerun-

c. 3. & 46. Theod. lector de Marcia. Imp. m ser. de Rogat. n lib. 7. epist. 1. ad S. Mamertum, & lib. 5. epist. 14. ad Aprum. o act. 1. Synodi 5. Constantin. p ibid. in epist. ad Pet. q tom. 2. cont. ep. ad Pet. r li. de S. Euthymio. s c. 99. catal. t epist. 63. v can. 20. x can. 3.

dense.

dense. Sed quia D. Basilio de liturgica Litania y *quidam sermonem esse putat, licèt contra doctissimi alij* z *sentiãt, illius in locum, D.* a *Amphilochium sufficio, quem* b *D. Nazianzenus*, veræ atque orthodoxæ doctrinæ præconem *vocat, quemque* c *D. Basilius*, se, præ cæteris facere plurimi, *scribit.*

y *Bellarm. tom. 2. li. 2. de Missa, ca pite 16.*

z *Linda. apol. part. 2. ca. 54. Cæsar Baron. in Martyrol. ad 25. April. Canis. lib. 5. Marial. ca.* 30.

a *in lib. de S. Basil.*

b *in Carm. ad Olympiad.*

c *in proœmio libri de Spiritu sancto.*

7. *Vt ex hoc tam insigni antiquitatis testimonio elabatur* e *Kemnitius, fingit, nullam in Litanijs illis sanctorum appellationem fuisse. Sed tam mendaci cuniculo plura, sacræ antiquitatis vestigia, oppono. Primò enim, dum primum Francorum Regem Christianum Clodoueum D. Remigius baptizaret, Litaniam fecit, Sanctosque nominauit, vti disertè narrat* f *Hincmarus. Illo igitur ipso sæculo, quo Gerundense & Aurelianense Concilia celebrata sunt, quoque plures ante citati scriptores floruerunt, iam in Litania Diuorum inuocatio erat.*

e *par. 3. exam. fo. 218. 1. argum.*

f *Lib. de S. Remigio.*

8. *Deinde narrat* g *VValfridus Strabo, post Eusebiani martyrologij epitomen, à D. Hieronymo latinè factam, credi sanctorum Litaniã in vsum assumptam. Tertiò* h *Hildebertus Turonensis, cùm Litanias retinendas hæretico cuidam ostenderet, ait vniuersalem Ecclesiam in Litanijs dicere cõsuesse,* S. Maria, ora pro nobis. *Est, quartò, sermo quidam apud V. Bedam* i, *in quo non solùm asseritur, in Gregorianis Litanijs dictum fuisse,* S. Petre, ora pro nobis. *sed idem etiam de Mamertinis, quæ priores sunt, indicatur.*

g *l. de reb. Eccl. c. 28.*

h *epist. 43.*

i *To. 7. ser. de maiore Lita. licèt Bed. esse nõ videatur.*

9. *Et, vt à notioribus ad ea, quæ ignotiora sunt,*

progrediamur, constat in Litanijs ante annos 700. & 800. 900. Sanctorum nomina inuocata fuisse. Ita enim habet Litania, quam è vetusto Corbeiensis Monasterij Codice se descripsisse refert k Kemnitius, quae Imperatoris Arnulphi temporibus in vsu fuit. Ita l Caroli Magni Litania, quam à Tigurinis accepimus. Ita Litania quae in vetere ordine m Romano, n quem Amalarius, Albinus & alij citant. Quare quoties in horum seculorum scriptoribus, nudum Litaniarum nomen inuenitur, eo sanctorum inuocationem comprǽhensam patet, vt in o Rudolpho, p Egenardo, q Carolo Magno, r Notgero, V. ſ Beda, t S. Zacharia, v Caesario Arelatensi, x Iuliano Toletano, y Concilio Moguntino, z Toletano 5. & a 6.

k par. 31. fol. 219. l Lib. prec. quem Horolanus ger. conuertit. m in bene. Eccle. n vide Hittorp. in praefa. de diui. offic. o lib. de S. Charit. p lib. 4. de Marcel. c. 21. q li. de ritib. fo. 46. & 60. r lib. de S. Remacl. ſ lib. 1. hist. c. 25. t epist. ad S. Bonif. tom. 3. Con. fol. 34. v hom. 33. x lib. de S. Ildephon. y ca. 33. z ca. 1. a ca. 2.

10. Et, ab his altius adhuc ascendendo, tempore Gregorij Magni, circa Domini annum 600. fatetur Kemnitius b fuisse in Litanijs sanctos inuocatos. Idque liquere etiam potest ex Turonensi Gregorio, à fideli quodam, ea angelorum nomina inuocata c scribit, quae sacrae docerent Lectiones: Vocat autem sacras Lectiones, vti & alibi, eas precationes, quae in Ecclesia tum celebrabantur, quomodo d Sigebertus dixit postea, S. Sigeberti regis nomen in Litaniarum codice fuisse. Ideoq; apud vtrunq; hunc Gregorium, & apud alios eiusdem saeculi scriptores Isidorum e, Eustachium f & alios, Litaniae voce, Sanctorum deprecationem includi planum est. Faciamus igitur ab hoc saeculo, quod ante annos 1000. fuit, gradum ad tempora superiora, & inueniemus id, quod Kemnitius negabat. Cur enim sic ascendere non liceat? cùm causa nulla proferri posit, cur in Litania anno 600. sancti iam insederint, anno verò 500. 400. & deinceps exularint.

b 3. p. f. 218. c lib. de gl. confes. ca. 1. d lib. de S. Sigebert. e li. 6. orig. f lib. de S. Eutych. Cōstantinop.

11. *Si hodierni etiam temporis Litanias cum ijs quæ ante annos 1000 fuerunt, Mamertinis conferamus, cætera omnia congruere inueniemus, tempus ante ascensionē Domini triduanum, processionem ab Ecclesijs ad Ecclesias, crucis vexillorum gestationem, cleri populique frequentiam. Cùm igitur alia omnia, quæ in nostris hodiè Litanijs videmus, in vetustioribus illis videamus, quidni de Diuorum inuocatione idem sentiamus?*

12. *Iam cur Litaniæ ad Sanctorum templa instituebantur, nisi vt illorum imploraretur auxilium? Sic enim à viris sanctißimis Gallo Aruerno* g, *Euthymio* h, *Hereberto* i, *Ildephonso* k, *alijsque factum leginus, & verò clarißimè à Theodosio Imperatore optimo ac integerrimo. Ita enim de eo, cùm Eugenio Tyranno bellum inferre vellet, scribit* l *Ruffinus:* Præparatur (*Theodosius*) ac bellum non tam armorum telorumque, quàm ieiuniorum, orationumque subsidiis, nec tam excubiarum vigiliis, quā obsecrationum pernoctatione munitus circumibat cū Sacerdotibus & populo omnia orationum loca. Ante Martyrum & Apostolorum thecas iacebat cilicio prostratus, & auxilia sibi fida sanctorum intercessione poscebat.

g *Greg. Turo. li.* 4. *c.* 5
h *Eustat. in vita.*
i *to.* 2. *Surij*
k *in capitula Fran.*
l *li.* 2. *c.* 85. *hist. lib.* 2. *cap.* 33.

13. *Præterea si tunc à Litanijs Sancti peregrinabantur, causæ profectò id fuerit, quod, vti Litaniomastiges aiunt, in prisca illa Ecclesia Sanctos nullus precabatur. At hoc falsissimum, vti postea patebit. Ergo & primum. In ipsa etiam liturgica Basilij Litania, Diuorum mentio fit: quid igitur mirum, si & in liturgica?*

14. *Denique nullus ab Hagiomachis hactenus verè prolatus fuit, vel deinceps proferri poterit, qui in Litaniam sanctos primus induxerit, vti iamiam dicetur. Ideoque id à primis Apostolicisque temporibus profectum, non absurdè colligitur. Vnde, cùm ea Litaniæ pars,*

Orat. Deus sanctus.

quæ Sanctos complectitur, peruetus iam demonstrata sit, reliqua verò ab aduersarijs, verbo & facto, dum eam vnam retinendam putarunt, perantiqua statuatur. Litaniam totam ipsa vetustate commendatissimam esse necesse est.

Lib. de reb. Eccl. c. 28. *15. Dicat tamen fortè aliquis, ea in sententia Strabonem videri, vt ante D. Hieronymum nullus in Litania Sanctis locus fuerit. At non ita est. Id tantum Strabo voluit: ante conuersum ab Hieronymo Eusebij martyrologium, tanto numero Sanctos in Litania recensitos non fuisse. Tunc enim non præcipui aliquot, Beata Virgo, & qui in vnoquoque loco celebriores erant, nominabantur: cæteri vniuersè orabantur. Edito verò martyrologio, plurium nomina, quod in Cordubensi Gregorio à Theodosio laudatum, idem Strabo refert, memorari cœperunt.*

Ibid. Auctor fol. 217. 218. part. 3. & Peucer. lib. 18. Chron. Lib. Iud. Concord. mend. 51. Bed. lib. 2. hist. Angli. cap. 1. Io. Diac. li. 2. vitæ Gregorij. ca. 17. Strab. c. 22. Vide Greg. li. 7. ep. 63. locis cit.

16. De Litaniæ, vt Dei Sanctorumque precatio est, auctore, tria hæretici nostri mendacia scripserunt: Primum est Kemnitij, Inuocationis Sanctorum auctorem esse Gregorium Magnum. Sed voluit Kemnitius Philippicum Augustanæ Apologiæ mendacium imitari, quod à tot Catholicis, toties, tam apertè iam confutatum est, & quidem vetustioribus Gregorio scriptoribus viginti quatuor à doctissimo quodam non ita pridem allatis. Et sanè, cùm plerique omnia Gregorij facta diligentissimè notarint, adeò vt paucula etiam verbula, canoni ab eo inserta non omiserint, quomodo tantam rem ab eo inuectam siluissent? Cumque à quibusdam, falsò licèt, ei vitio datum sit, quod Kyrie eleyson, Constantinopoli Romam induxisset, quomodo non eundem grauissimè accusassent, si, non ab alia quapiam Ecclesia Christiana petiisset, sed à seipso, Sanctorum, in publicis precibus nomenclationem condidisset? Adde, huic mendacio aliud addere Kemnitium, dum scribit Sanctorum inuocationis inuen-

tionem, ab ipsismet Catholicis, Gregorio tribui.

17. *Alterum mendacium eiusdem, Apud Græcos, eius, qua de agimus, inuocationis, hæreticum Petrum Gnapheum auctorem fuisse, circa Domini annum 470. Sed hoc à Patribus, qui Gnapheo vetustiores sunt, & sanctos, in publico Ecclesiæ cœtu, implorant, apertè confutatur. Interim tamen, eo ipso, fatetur Kemnitius peruetustum in Litania esse, Sanctorum cultum, vtpote, quem ante annos 119. agnoscit.* fol.206. & 217. De quibus nu.16. et 36

18. *Tertium Nigrini, & aliorum, qui, diu post Gregorium, id ab Honorio primò inuentum aiunt. Verùm hisce ipsum, qui eos damnat, Kemnitium, opponere satis fuerit.* In hist. sua mendacis. de Pontif. 2.10. Badei lib. 3. de actis Pontif.

19. *Obijciunt tamen, Veteres, vbi Litaniarum meminerũt, asserere, Deo supplicatum fuisse: At nos, qui in Litanijs, Sanctos oramus, Deo tamẽ à nobis supplicari dicimus. Primò, quia à Kyrie incipimus, deinde, quia dum Sanctis supplicamus, eos vt nobiscum Deum ipsum orent, inuitamus & rogamus. Hic enim solus, solus inquam, à nobis Catholicis, tanquam bonorum omnium fons, & origo, inuocatur. Et sanè, isto loquendi modo Sanctorum inuocationem non excludi, vel ex illo Moguntini Concilij Canone, quem citat Kemnitius, patere potest. Certissimum enim est, vti ante dixi, tempore Caroli Magni Sanctorum in Litanijs opem imploratam fuisse, quin & ipse Gregorius, quem inuocationis huius principem Kemnitius mentiebatur, in Litanijs, Deum obsecrari crebrò testatur.* Nu.9. li.7. ep.76. l.11. ca.2. apud Tur. lib.10 hist. Paulũ Diac. lib.3. c.11. Ioan. Diac. lib.4 vitæ, ca.53.

20. *Ne tamen, sine omni causa, nimis impudenter mentiri videatur, dicit Kenmitius, fabulam quandam circumferri de Angelis, in solemni Litaniæ celebratione, auditis, cùm canerent,* Regina cœli. *Tunc enim Gregorium hæc verba addidisse:* Ora pro nobis fol.218.

Deum. *Ego verò tria breuiter dico: Primò historia illa vera est, aut falsa, si vera: ab Angelis certè & Spiritu sancto excitatus, eam vocem misit Gregorius: si in falsa: ex ea, malè mendacium suum probat Kemnitius. Secundò veram tamen esse historiam tradunt vetustissimi libri rituales. Et ex ijs, acri, in historia, iudicio vir, Sigonius.* *Li.1. de regno Italiæ.* *Tertiò, non tamen idcircò primos sanctos Gregorius inuocauit, vel Litanijs addidit: sed huic tantùm Angelorum hymno. Alioqui, vti contra Kemnitium dictum est,* *Num.16.* *& iterum postea dicetur, plurimi ante ipsum, illos deprecati sunt, & ante id temporis, solemnes illas septuplici ordine Litanias, iampridem ipsemet egerat.* *Num.36.*

Lib.15.c. 28. Id etiã notat Langius in margine Niceph.

21. *De Petro Gnapheo Nicephorum citat Kemnitius. Sed qui locum ipsum consulit, multa contra Kemnitium videt. Primò vtitur Nicephorus particula,* (Dicunt) *vel, vt in ipso Kemnitio est* (Dicitur) *Secundò, dicit Nicephorus laudari tanquam Ecclesiæ commodissima, quæ Petrus ille inuenisse diceretur. Tertiò, Non asserit Nicephorus ab illo Sanctorum in Litanijs orandorum initium factum, sed eum voluisse, vt beata Virgo, non in aliqua tantùm, sed* in omni *precatione nominaretur, quasi videlicet, iam antea, in precibus aliquibus nominaretur. Postremò, si hanc ob caussam, inuocandæ beatæ Virginis auctor dicẽdus esset Gnapheus, malè sanè Lutherani hodiè, suis in sacris Symbolum recitarent. Ibidem enim ait Nicephorus, Gnapheum egisse, vt, in quouis Ecclesiæ conuentu, & synaxi, Symbolum sanctum decantaretur. Nunquid igitur eum Lutherani, dum Symbolum toties canunt, ducem sequuntur? Adde, mirum meritò videri eos, huiuscemodi Gnaphei factum obijcere, quod, etiamsi verum esset, à nullo tamen, vel Patre vel Concilio repræhẽsum est, cùm ipsi fateri apertè cogantur, se in ijs dogmatibus, quæ Patres & Concilia*

Vide Herbrandinam mendici pallij ex-

omnia execrentur, veteres Simones Magos, Vigilantios, AErios, & eiusdem farinæ alios imitari. *cußionem, superiore anno, excusam, & li. contra Iud.*

XXII. Etsi ergo Litaniarum quarundam, quâ processiones sunt, auctor aliquis, ex antiquitate proferri poßit, non tamen, qua precationes, neque quâ in ijs Sancti orantur, sed eas quouis, etiam vetustißimo auctore, vetustiores inuenimus, easque non omninò ijs dißimiles, quas docti quidam, Christi Domini tempore iam Hierosolymis vsitatas docent, in quibus toties Osanna, Osanna Hebræi repetunt. *Con. ord. fol. 407. Ianse. conc. cap. 118.*

XXIII. Summam esse Litaniarum vtilitatem, ex capitibus quatuor intelligi potest. Primum, ex eorum: quæ ad orationem ipsam concurrunt, intuitu, quorum primum est, quis oretur. Is verò, in Litanijs est solus Deus, tanquàm summus & verus gratiarum omnium auctor & largitor. Deinde, sancti tãquàm oratores, qui nobiscũ Deo Opt. Max. nostro suoque Domino, pro nobis supplicent. Alterum est, quinam orent. Ij nostri in Litanijs, sunt homines & Angeli miseri & beati Ecclesia militans & triumphans. Tertium, quid oretur. Id in Litanijs varium est. Petuntur enim omnis generis bona diuina & humana: spiritualia, corporalia: publica, priuata. Quartum, pro quibus oretur. Hic igitur pro viuis & mortuis oratur, pro Ecclesiasticis & sæcularibus, pro Principibus & subditis, pro sanis & ægris, pro præsentibus, & absentibus amicis & inimicis. Quintum est, quonam modo oretur. Varij, qui ad impetrandam valere poßint in Litanijs, modi adhibentur. Oratur Deus vt Deus absolutè, & vt in personis distinctus, idque vel singulas singillatim personas compellando, vel simul omnes, ipsam tamen personarum distinctionem, & essentiæ vnitatem significando. Oratur item Deus mediatè & immediatè, Oratur ita, vt, quemadmodum D. Thomas tam olim notauit, apertè significetur summum à nobis *Vtilitas.*

cultum Deo adhiberi, latriæ scilicet: Sanctis verò nequaquàm, sed longè inferiorem, qui duliæ dicitur. Denique, ita in Litanijs oratur, vt ex omnibus Ecclesiæ precibus optima quæque delibata, & vno veluti fasce deuincta, hic habeantur: & vt omnes à D. Paulo traditæ orationes, vel orationis conditiones, & quidem secundùm quamlibet, quorumlibet bonorum interpretum expositionem, in Litanijs cernantur: vt iam de ordine, qui à misericordiæ postulatione incipit, taceam.

1. Tim. 2.

Vide Cabasilam c. 13. expos. litu.

XXIIII. *Alterum vtilitatis caput, è maiorum & minorum comparatione, duci potest. Si enim vtile est, Deum per nos solos orare: quanto magis quando etiam per alios? Si Deo honorem maximum deferimus, quando, vt immensam ipsius maiestatem venerari nos significemus, eum, per sanctorum aliquem alloquimur: quantò magis, quando per tot tantosque deprecatores? Si demissionis, quam, coram Deo summam præ nobis ferre debemus, indicium maximum est, nos nobis ipsis indignos videri, qui eius maiestatem soli, & quasi familiariter conueniamus: quantò maius humilitatis argumentum fuerit, dum tot ac tantos nobis adiungimus, qui & ipsi supplicabundi sacrum illius numen propitiēt? Poterit, qui volet, eodem in alijs modo ratiocinari.*

2. Cor. 1.

Luc. 7.

Vide nu. 6. 9. 10. 26. 27. & 28. & lib. de S. Euortio, acta Sergij Honorij I. Steph. 2. Lindanus par. 2. Apol. c. 54.

XXV. *Tertium vtilitatis caput ex tam diuturno & tam frequente Litaniarum in Ecclesia Catholica vsu colligi potest. Si enim fructum ex ijs Ecclesia nullum, vel exiguum perciperet, nequaquàm eas tanto hactenus studio, neque toties celebrasset. Et verò Græcam Ecclesiam, suo etiam modo, cum sanctorum inuocatione, Litanias obire, cùm ex alijs, tum ex anniuersario quodam ritu, qui iam à primis fidei Christianæ doctoribus, apud Batauos, ad hæc vsque tempora hæsit, coniici potest. Vitraiecti enim Rogationum diebus, Litania non Latinè*

tinè tantùm, sed Græcè etiam plateatim cantata est.

XXVI. Quartum caput ex effectis. Litanijs enim a D. Basilius clausam obseratamque Ecclesiam, quam Valentis Imperatoris concessu Ariani deposcebant, sine vllis aut vectibus, aut clauibus aperuit, magnoque Catholicorum applausu, & insigni miraculo, reserauit, Litanijs b Theodosius Imperator, dum habitu priuato, vnà cum clero & plebe vniuersa Deum oraret, imbribus perpetuis & densissimis finem imposuit, ita vt summam rei frumentariæ inopiam ingens frugum copia & vbertas consequeretur. Litanijs Imperator c Marcianus, iram diuinam, dum ad eas religiosissimè decernendas, Anatolium hortatus est, placauit. Litanijs d Proculus Constantinopolitanus hymno trisagio cœlitùs accepto, Constantinopolim à funestissimis terræ fragoribus, propter quos extra vrbem in campo ipse Imperator, ciuitasque tota morabatur, liberauit. Litanijs D. e Mamertus horribiles terrores à Viennensi sua ciuitate depulit, terræ motus grauissimos, ignes cœlitùs delapsos, immanium in vrbem ferarum irruptiones, aliaque pericula quàm plurima. Litanijs ad S. Iultani Martyris Basilicam per stadia 360. institutis, egit S. f Gallus diuinæ bonitati gratias, ob luem illam coercitam, quæ Arelatensem prouinciam totam depopulabatur.

XXVII. Litanijs g Pelagius ante Gregorium Pontificem Rom. vnà cum Narsete, populoque Romano vniuerso, intenta diuini furoris flagella remouere studuit. Litanijs h Gregorius Magnus, iterum iterumque virulentissimam aëris contagionem, qua quotidianis cadaueribus Roma complebatur, omnesque ciuium domus exhauriebantur, auertit i Litanijs, eiusdem Gregorij hortatu formidabile quoddam dæmonis quasi cornuti spe-

a S. Amphil. b. lib. de S. Basil. Zona. tom. 3. ann.

b Niceph. lib. 14. c. 3. Theodor. lector. & ex eo Kē. p. 3. f. 217.

c Synod. 5. Constant. act. 1.

d Ni. lib. 14. cap. 46. Euag. lib. 1. c. 7. Zona. to. 3. Glicas 4 par. an.

e Ado. Turo. Auitus & alij, locis cita. n. 6

f Turon. l. 4. hist. c. 5

g In decretis Pelagij, to. 2. conc.

h Turo. lib. 10. hist. Sigonius l. 1. de regno Ital. Paul. dia. l. 3. c. 11.

ſpectrum, quod certo cuidam loco ita infeſtum erat, vt in eo commorari nullus poſſet, abactum tandem & expulſum eſt. k Litanijs S. Auguſtinus, eiusque ſocij, dum illas, pro ſua, eorumque propter quos, & ad quos in Angliam venerant, æterna ſalute, identidem concinerent, diuinam miſericordiam ita conciliarunt, vt, breuiſſimo tempore, idola paſsim comminuerentur, & Chriſti Ieſu fides longè ac latè propagaretur. Litanijs, S. Euthymius l in ſumma qua deflagrabant omnia, ſiccitate, copioſiſſimos à Deo imbres fœliciſſimè impetrauit. Litanijs Conſtantinopolitana ciuitas, ſuo cum Patriarcha m Eutychio, peſtem diriſſimam, qua hominum myriades non paucæ delebantur, compeſcuit. Litanijs n quadam ex parte pronunciatis, potio, quæ ſitibundis ac feſſis meſſoribus perexigua erat, tanta & tam affluens extitit, vt è vaſculo, quaſi è petra, nouum Moyſis miraculum ſcaturire videretur. Litanijs, non ita diu poſt, o Gregorius alter, vir ſanctiſſimus, & de Germania cùm ad eam, prædicandi fidei Chriſtianæ cauſſa, Sanctum Bonifacium miſiſſet, optimè meritus, Tiberis inundationem, qua, mortalibus plurimis ſubmerſis, ipſa penè Romana tecta natabant, in alueum priſtinum reuocauit.

XXVIII. Litanijs S. p Hærebertus peſtem ac famem, quæ Vbios vehementiſſimè affligebant, ita ſedauit, vt egredienti è S. Pantaleonis, candidiſſima columba, lætiſſimo circumuolatu applauderet ac gratularetur. Litanijs q Anglorum Regis ſoror, virgo integerrima Tetta, virgini ſorori defunctæ, & ob nonnullas peccatorum labeculas, pœnas adhuc lucnti, veniam obtinuit, ita quidem vt ipſius tumuli terra, quæ ſubſederat, rurſum aſſurgeret, hiatumque inanem repleret. Litanijs r S. Kunigundis, cùm Angelos, Apoſtolos, cæteraſque cœlorum mentes, ſuum in auxilium vocaſſet, placidiſſimè vi-

k V. Beda l. 1. hiſto. c. 25.

l Cyrillus eius diſcip. lib. de ipſo.

m Euſtath. Presb. l. de Euty.

n Torn. l. 1. Conf. c. 1.

o tomo 3. Concil. in eius actis. Plautina in eodem.

p Rupert. Tuitienſis l. de S. Hereb.

q Rudolph. Raban diſc. l. oes, Char.

r tom. 2. Sur.

tam cum morte, vel mortem potius cum vita commutauit. Litanijs s quas quotidiè precari solita erat, præsentissima, in itineribus latronum pericula impudentissimamque militum quorundam petulantiam illæsa penitus S. Coleta euasit. Litanijs, nostra & Patrum memoria fælicissimi t dæmonum ex humanis corporibus exorcismi, diuino beneficio, perfecti sunt. Immò verò Litaniarum u libello, quem sua ipse manu Iaponum Apostolus, Xauerius descripserat, quemque in munitissima viri cuiusdam Principis Hexandoni arce, Christianis nouis, abiens, reliquerat, ægrorum hominum corporibus imposito, complures, & in ijs Hexandonus iam desperatus, sanati fuerunt. Tantum Catholicis opera danda, vt in tam salutari, tamque vtili comprecatione, vera deuotio, & quod Litaniæ vox ipsa requirit, studiū adhibeatur.

s Steph. Iul. li. de ipsa.
t Eisengr. de exorcis. Oeting. Geras. Torna. l. de 4. emerg. Iacob Rabusli. cōtra Marpach. cap. 26.
u Lib. 3. epist. de reb. Iapon fol. 320.

XXIX. Cùm in Ecclesia Christiana tam sint Litaniæ antiquæ, tam vbique in orbe Christiano solennes, tanto clarissimorum sanctissimorumque virorum vsu approbatæ, tot ac tantis à Deo Opt. Max. beneficijs nobilitatæ, quid sibi nunc, nouelli earum correctores volunt? Publicos & approbatos ritus corrigere vel antiquare, hominum eorum est, qui auctoritate publica excellunt, adeò vt ipsi etiam Tubingenses, Confessionis Augustanæ correctionem, à Melanchthone toties recoctam, tanquàm priuata id auctoritate factum sit (licet in Altenburgensi Colloquio Electoris Augusti Theologi mutationem illam, omnibus, quorum intererat, consilijs à Melanchtone factam, & publicè receptam ostenderint) explodendam censeant. Quæ verò in Luthero auctoritas publica fuit, vt pro libito publicas Ecclesiæ preces mutilaret? Calendarium vetus totus mundus vitiosum clamauit. Id Pontificis maximi auctoritate, Cæsaris, Regumq; Christianorū annutu correctum est, & ita corre-

Num. 2. De correctorib. ipsis.
Lib. contra iud. Concord. fol. 7. Fol. 410. edit. leu.
Vide Christoph. Cla-

...ium cōtra *ctum est, vt isti non modò melius corrigere non possint,*
Mæstli. *sed ne iustè quidam illud reprehendant, & tamen recal-*
Tubing. *citrant, illud respuunt, suas verò per temerarias & pro-*
phanas rerum diuinarum correctiones ab omnibus appro
bari & recipi volunt.

XXX. Existimare fortè aliquis posset, eos iustas ali-
quas huiuscemodi correctionem aggrediendi caussas ha-
buisse, nisi opera data, mentiri, rudibusque imponere de-
prehenderentur. Ego anteà, tria eorum mendacia nota-
4. mēdac. *ui, adiungo nunc quartum, quintum, & plura. Lutherus*
concionatur, Catholicos Christum non orare, Litanias no-
stras, in quibus sanctos inuocamus, esse orationem Genti-
lium, Turcarum, Iudæorum. Quem ergo voces hæ allo-
quuntur: Kyrie eleison. Fili redemptor, Agnus Dei? Quem
accusatiuum verba hæc postulant: S. Michael, ora
pro nobis? *Nónne Deum? nónne Iesum? Hoccine dicāt*
Gentiles, Turcæ, Iudæi? Atque hoc vnum, tria etiam con
5. mendac. *sequentia mēdacia refellit. Caluinus,* In suis, ait, om-
lib. 3. c. 20. nibus Litanijs, hymnis & prosis, vbi sanctis
par. 21. in mortuis, nihil non honoris defertnr: nulla
fine. Christi mentio. *Kemnitius:* Pontificij, in publi-
6. mendac. cis Ecclesiæ suæ precibus inuocationi Sācto-
par. 3. exa. rum primarium locum tribuunt. *Et alibi ad-*
1. 206. *huc crassiùs & impudentiùs:* In Litania, *inquit,* ne
7. mendac. vno quidem verbulo, mentio fit intercessio-
par. 2. in nis Christi. *Octauum mendacium est Centuriatorum,*
præf. *qui à nobis* Sanctos *latricous adorari aiunt. At Deo*
8. mendac. *dicimus:* Miserere nobis, *Sanctis:* Orate pro no-
cent. 5. bis. *Hoccine idololatria? Nunquid Deo dicere licet,*
pag. 613. sancte Deus, ora pro nobis? *Sed iam ad præclarā*
ipsorum correctionem veniamus.

DE IIS, QVAE LITANIA Catholica Lutherani sustulerunt.

XXXI. *Sustulerunt, vt alia nonnulla omittam, ista sex. Primò, Trinitatis inuocationem. Secundò, Sanctorũ. Tertiò, precem pro summo Pontifice. Quartò, precem pro vita defuncti. Quintò, pro pœnitentia vera impetranda. Sextò, collectas.* *Hallensis, 4.p.q. 92. m.2. art.3.*

DE SVBLATA S. TRINITATIS inuocatione.

XXXII. *Tribus modis, immediatè Deus oratur. Primò, sub essentiæ diuinæ, vel essentialis alicuius attributi nomine: Secundò, sub personæ vel personalis alicuius proprietatis ratione: Tertiò, vtroque modo simul. Ab hisce tribus modis, ad eximium quendam Deo cultũ adhibendum, Litaniam Ecclesia orditur. Sed tertiũ Lutherani deraserunt: qui sanctissimis hisce verbis comprehenditur,* Sancta Trinitas vnus Deus, miserere nobis. *Quæro caussam. Peto, quid in prece illa vitij est? Cur ita corrigi Litania debuit, vt sacrosancta hac vnius & indiuiduæ Trinitatis inuocatio tolleretur? Fuit hæc à quodam, Lutheranis omnibus nõ ita pridem posita quæstio, sed cùm respondere non possunt, Tubingani Iesuitas maledictis figere cœperunt. Modestius quidam Caluinista. Cùm enim sibi, quod responderet, nihil esse vidit, se, nescire dixit, an hic è Litanijs versus exemptus sit & à quo. Vix tamen credibile est, tantum Magistrum in Israel ignorasse, quod in Lutheranorum templis, ante vel post cõciones, fieri soleat: quid Lutheri precũ enchiri-* *Iudic. Concor. lib. contra Iud. fol. 125. VVitakerus l. contra Campi. fol. 442.*

dion

An.1543. editum. dion habeat: quid tot Lutherani, qui vbique volitant, libelli. Ideoque tam frigida excusatio, aperta criminis confessio est.

XXXIII. Causa verò mendosissimæ huius emendationis alia nulla est, quàm quòd Satanas, iam tum, per Lutherum: sicut & alias, semina quædam horrẽdarum, contra SS. Trinitatem hæreseon, spargebat, quas ipsius discipuli ab Ario, Sabellio, alijsque damnatis hæresiarchis acceptas strenuè nunc quaqua possunt, disseminant. Non enim breuitas caussa esse potuit, cùm non Litaniarum compendium, sed correctionem ille profiteretur. Et verò, si compendium instituisset, adeò tamẽ hæc precula breuis est, vt cætera ferè omnia potiùs, quàm ea, tollẽda fuissent: certè non quædam sæpiùs repetenda, neque vlla prorsus adiungenda. Dicerent, suis quibusdam metaphoris, Arius, Sabellius, & qui superiore anno repentina morte, noctu sublatus est, Blandrata: Pater de cœlis, Fili Redemptor, &c. Sed ijs omnibus sudes (vt aiunt) in oculo est: S. Trinitas vnus Deus.

16. Maij Albæ Iuliæ. In maiore Post. illa dom. trinit.

XXXIIII. Scripsit quidem Lutherus vocem hanc, Trinitas, frigidam esse, sed hoc iam Arianizare est, ipso etiam Caluino iudice, qui odiũ huius, similiumque vocum in Serueto, Vbiquitariorum parente alijsque (Lutherum intelligere videtur) vehementissimè accusat. Et meritò, cùm Trinitate, Græci & Latini hactenus omnes libentissimè vsi sint, totque de ea volumina inscripserint.

Lib. 1. c. 13. par. 3. 5. 22

Arepag. c. 2. de di. nõ Auctor. lib. de fide ad Petrũ cap. 5. & 7.

XXXV. Neque hæc modò vox, sed huius etiam vocis, cum, Vnus Deus, coniunctio, veteribus Patribus, vsitata fuit, vti videre est, cùm apud alios, tùm verò apud a, Diuum Augustinum, cuius hæc precatio, huic nostræ, quam Lutherus corrigit, simillima est b, Domine, Deus, vnus Deus Trinitas, quæcunque dixi in his libris de tuo agnoscãt & tui: si qua

a Epist. 57. lib. 1. de Trinit. cap. 2. b c. vlt. lib. vlt. de trin.

de meo,& tu ignosce,& tui,Amen. *Et in c.antiquitate tota c vberrimæ sunt,huiuscemodi S.Trinitatis inuocationes.*

log. & cap.3. de diuino. S.Ignatius apud Socrat. lib.6. zian.3.orat. pro pace: & orat. ad 50. Episcop. August. cap.12.in medit.cap.12.in soliloq. c.37. Marius Victor. Trinita. Iob.Caßian.1.par.contr.Theol.Græci in liturg. horol. Aethiop.in Miß. Assyrij in test.Synaco.

c.Areo.initio l. de myst. Theo cap.8. Nalib.13.conf. hymn. de euchol. &

DE SVBLATA SANCTORVM inuocatione.

XXXVI. Quàm benè diuorum, è Litania, interpellationem sustulerint Lutherani, docet hæc è Patrum monumentis contexta Litaniola.

S.Maria,ora pro nobis. *S.Iac.in liturg.S.Athanas.in Euang. de S.Deipara, Nazianzenus in carmine deChristo patiente, & apud eundem S.Iustina,orat.in Cypr. S.Ephrem orat.ad Mariam, Chrys.in liturg. orat. S.apud Beurer.S.Method. orat. ob Hypop. Bas. Seleuc. orat.in annunc. D.August.serm. 2. de annunciat. vbi. Ora pro deuoto fœmineo sexu,Fulg.Serm.de laudib.Mariæ.Synodus sept. act.6. Nic. secunda act. 4. Canon vniuersalis Aethiopum, S.Tharas.epist. ad Ant. & Alexand.S.Theod. Palest.epist. ad Ioan. Cyzicum,S. Germ. Constant. orat.de zona, & in Theoria liturgiæ Fulber. de assumpt. Sophron.de assumpt. Damas. in Hym. D. Bern.Serm.signum Mag. & homil.2.super Missus, Euthym.in Encom.B.V. Nic.Cabasilas liturgicæ expositionis c.50.vbi exponit cur primo loco inter sanctos B.Virgo inuocetur, Iustinia.lib.1.Codicis tit.30. de offi.Præf.*

Præt. & in donis quæ apud Cedrenum & Gifanium offert.c.1.Cosmas Hierosolymitanus hymno.

S.Michael, S.Gabriel. Omnes SS.Angeli, orate pro nobis.*S.Basil.in Psal.33.Hil.in Psal.129. Ambros.lib.de viduis. Vict.Vtic.l.3. S.Leo serm.5.de Epiph.Greg.Turon.lib.de gloria confess.cap.1. Sophron. orat.de Angelis sæpissimè Pantal. in Encom. S.Michaelis.S.Augustin.annotat.in Iob.conc.2.cap.19. Chrysost. orat. 8.ex versione Beureri.*

S.Iob, ora pro nobis.*Orig.lib.2.commẽt.in Iob.*

S.Ioannes Baptista, ora pro nobis. *Theod. Imp.apud Nic.lib.12.cap.39.Theodoret.libr.5.hist.cap. 24.Sozomen.libr.7.cap.24. S.Basil.in liturgia. S. Iac. Ascetes apud Theodor.hist. religiosæ,cap.21.Damasc.lib. 4.de fide,cap. 16. Paulus Diac.libr. 4.cap.22. Arcadi. apud Constantiniensem Antonin.*

Omnes SS.Patriarchæ & Prophetæ orate pro nobis.*Orig.superhum,Cap. 21.Cyrill.cate.5.myst Hilar.in Psal.124.Victor.lib.3. Paulinus natali 2.3.6. 8.S.Leo serm.de Epihan.*

S.Petre, ora pro nobis.S.Paule,*Chrys.hom.de natali Petri & Pauli orat.in S.Pet. & Paul.homil.22. in epist.ad Rom.hom.66. ad populum, hom.post reditũ. S.August.serm.de S.Paulo ser.4.de S.Pet.& epist.42. S.Ambr.l.1. de vid. S.Leo ser.1.de SS.Petro & Paulo,ser.1.de ieiunio decimi mensis,ser.5. de anniuersario, serm.3.& apud Sophron.cap-147.& 149.[illegible]ati. Victor lib.3.perse.Missa Aethiop.Greg.Turo.lib.1.de gl[illegible]Mart. cap.29. Ant.Constant.epist. ad Archadium,S.Bern.de 4.modus orandi.*

Omnes sancti Apostoli & discipuli Domini, orate pro nobis. *Chrysost. in liturg.or.S.[illegible] super & hom.66.ad pop.Hilar.in Psal.124. Greg.N[illegible] orat.in Theod. S.Cornel.epist.2. S.Leo ser.5.de E*

Gaud.hom.de Apost.Theodos.apud Ruffinum,lib.2.hist. cap.33.

S.Stephane, ora pro nobis. *D.August.serm. de ipso & l.22.de ciuit.cap.8. Nicetas narrat.de inuēt. reliq.Auitus Presb. epist. ad Balc. Luciam.presb.epist. ad Eccles.*

S.Dionysi Areopagita, ora pro nobis. *Michael Singelus lib. de S.Dion.*

S.Ignati, ora pro nobis. *S.Hier.eius discipulus, & successor in precat.post epist. S.Ignatij, apud Cæsarē Baronium in annalibus.*

S.Laurenti, ora pro nobis. *S.Ambros.orat.de ipso Ambros.orat.in fratrem, & l. de exhortatione ad Virgines. vbi & de alio Laurentio S.August. serm. de ipso.Prud.in hymnis.*

SS.Geruasi & Protasi, orate pro nobis. *Amb. l.10.epist.85.*

SS.Nazari & Celse, orate pro nobis. *Idem Ambr.serm.de ipsis, Maximus serm. de ijsdem. Paulinus in fine Panegyrici.*

SS.Cosma & Damiane, orate pro nobis. *Geor.presb.l.de Theodosio Sycæo.*

S.Theodore.ora pro nobis. *S.Greg.Nyss.orat. in ipsum Nect.orat.11.sanctorum Patrum.*

S.Flauiane, ora pro nobis. *Concil. Chalced Act.11.*

S.Proteri, ora pro nobis. *Epist.Episc.ad Leonem Imp.post Concil.Chalced.*

S.Cypriane, ora pro nobis. *D.Aug.lib.5.contra Donatistas,cap.1.*

S.Babyla, ora pro nobis. *Chrysost.oratione in ipsum.*

S.Mama, ora pro nobis. *D.Basilius oratione in Mamantem.*

S.Iuuentine & Maxime, orate pro nobis. *D. Chryſoſt,orat.in ipſos.Niceph.lib.10.cap.12.*

S.Caſſiane & Hyppolite, orate pro nobis. *Prudentius in hymnis.*

Omnes ſancti Innocentes, orate pro nobis. *Cyprianus ſer.de ſtella & Magis.*

Omnes ſancti Martyres, orate pro nobis. *Baſ.orat.in 40.Mart.Euſeb.lib.13.præpa.cap.7.Theod. libr.6.ad Græcos, & li.relig.hiſt. cap.28. Cyrill.Hier. Myſt.5.Cyrill.lib.6. contra Iul. S.Ephrem.ſer.de Martyr.Orig.hom.3. in diuerſis,Chryſoſt.orat.8.vt ſup. Vigil.in vita Sizinij.Ambr.lib.de vid. & lib.10.in Lucæ 21.cap.Prud.de Marty.Cæſar Augu.Paulin.epiſt.12. & natali 2.3.6.8. S.Leo ſerm.5.de Epiph.S.Gregor.libr.2. dial.cap.vlt. Gaud.Brix.hom.de Apoſt.& Mart.Max. de Tauricis mart.S.Auguſt.tract.84.in Io.ſerm.17.de verbis Apoſt.ſer.240.de tempore, & in Pſal.85. Euſeb.Lugd.hom.de S.Stepha.*

S.Gregori,ora p.n. *Ioan.Diac.præfat.in vitam.*

S.Athanaſi,ora pro n. *Nazianz.orat. in ipſum.*

S.Baſili,ora pro nobis. *Idem Nazian. orat. in ipſum.*

S.Gregori Nazianzene, ora pro nobis. *Georg.Presb.in oratione in ipſum.*

S.Nicolae,ora pro nobis. *Chryſoſt.in Liturg. & Ioan.Diac.præfat.in eius vitam.*

S.Ioan.Chryſoſtome,ora pro nobis. *Theodoſius Iunior apud Theodoretum lib.5.hiſt.cap.36.*

S.Epiphani,ora pro nobis. *Sabinus epiſt. ad Polybium.*

S.Simeon,ora pro nobis. *In Theodoreti hiſtoria religioſa,cap.26.Euag.lib.1.cap.13.*

S Hilarion ora pro nobis. *apud Hiero.in vita*

S.Antoni,ora pro n. *Nicetas oratione in ipſu*

S.Malachia,ora pro nobis. *D.Bern. epist.ad fratres Hyberniæ.*

S.Martine, ora pro nobis. *Seuerus Sulpit. ad Aureli. & epist.ad Bassulam, Fortunatus præf. in ipsius gesta & l.2.3.4. Grego.in hist. Francorum passim, & l.de glo.conf.*

Omnes sancti cõfessores,Monachi & Eremitæ,orate pro nobis. *Vide Theodoret. in relig. hist.singulis ferè capitibus vsque ad 21. S.Tharas.epist. ad Ant. & Alex. Rampertus Brix. in S.Philastrium. Theoph.Presbyt. in S.Nicepho.Constant.*

S.Agnes,ora pro nobis. *Maximus sermone de ipsa,Prud.in hymnis.*

S.Euphemia,ora pro nobis. *Constant.Tyus in narrat.de inuent.Concil.Chalced.*

S.Maria Aegyptiaca,ora pro nobis. *Zozymus apud Paulum Archid.Neap.*

S.Paula,ora pro nobis.*Hier.in epitaphio.*

S.Blesilla,ora p.n. *Idem Hier.de obitu Blesillæ.*

Omnes sanctæ Virgines & viduæ, orate pro nobis.*S.Ambrosius exhortat.ad Virgines.*

OMNES SANCTI ET SANCTAE Dei,intercedite pro nobis.*Orig.super nu.c.31.Basil.epist.ad Iulian. D.Hier.l. contra Vigil. & l.4.in Ezech.c.1.Chrys.hom.5.& 27.Matth.ho.1.in primã Thes. homil.42.& 44.in Gen.& hom.66.ad pop.Theophyl. in c.11.ad Hebræos. Cypria.l.1.epist.71.Syn.7.act.7. S. August.lib.22.de ciuit. c.8.9.10.l.de cura pro mortuis, c.4.& 16. & Epiph.lib.de pœnit.S.Ambr.orat.de nõ tradendis Basilicis V.Beda in cap.7.Luc.& libr.3.hist. c.2.Damasc.libr.4. de fide, cap.16. Primas.lib.2.in .Honorius,August.serm.de sanctis.Berengosius ser dicationis.Theofri.serm.2. de vene.S. Bern.ser.de il. Petri & Pauli, 4.serm.de S.Vict.serm.5. in festo*

467

DE IIS, QVAE IMMVTARVNT.

XLIV. In latina sua Litania, tacitè solœcismi Ecclesiam arguunt, cùm dicit: Agnus Dei qui, &c. *ideoq; corrigunt,* Agne Dei qui toll. *vt videlicet ex id genus verborum aucupijs, illam inscitiæ & ruditatis suspicionem adducant: se verò quasi Grammaticarum Theologicarumq; rerum scientißimos venditēt. At constat quòd à D.* a *Aug. de istiusmodi nimium Grammaticis proditum, & quid à* b *sanctißimo viro cuidam olim dictum sit, qui pro* Tolle grabatum tuum, *corrigebat,* Tolle lectum tuum. *Ne tamen scioli supercilium nimis tollant, meminisse eos oportebat bonorum* c *illustriumque Grammaticorum assensu, nō tantùm,* ô Agne, *sed etiam,* ô Agnus, *rectè vocari, sicut & ille dicebat,* d Degener ô populus.

XLV. Longè tamen grauius est, quod in Germanica Litania, Ecclesiam non Catholicā, *sed* Christianam, *tantùm verterunt.* e *Cur eam vbique Lutherus etiam in Apostolorum Symbolo, & in Athanasiano tollere ausus est? Latet videlicet, in* Catholicæ *nomine, quandam Ecclesiam veram à falsa distinguendi nota, quā veteres* f *Patres creberrimè & grauißimè inculcant. Cùm igitur videret Lutherus hac vna voce, nouam suam Fidem & Ecclesiam vbique damnari, hoc vno tam illustri & Apostolico nomine, tanquam hæreticam reijci, ac repudiari, eam submouendam censuit, & pro ea Christianæ nomen reponendum. Omnes enim hæretici semper se Christianos vocant: Vt ijdem Patres monuerunt.*

a in Psalm. 138. & li. 1. confess. c. 13.
b Nicepho. lib. 8. c. 42. de Spiridō.
Es heist, Vatter vnser, nit vnser Vatter, dicebat qui dā cuidam Prædicāti.
c Phocas, Prisc.
d Luca. l. 2
Vt Ecclesiā tuam sanctam Catholicam, &c. Dein H. Christliche Kirchen regieren vnd fuhren.
e Vide Catech. paruū & magnum, & lib. Concord. in princ.
f D. August. lib. de vtil. creden. cap. 7. lib. de vera relig. cap. 7. in Psal. 56. & epist. 170. & contra epi. fund. cap. 4. Cyril. Cathec. 28. S. Pacian. epist. ad Simpron. Victor Vticens. lib. 2. Vincent. Lirinens. lib. contra hæres.

XLVI. Dum pro Pontifice orationem tollerent, eius in locum Episcopos omnes statuerunt. Id, si rem spectes, malum non esset, nisi hoc Episcoporum nomine, nouos Superintendentes, qui reuera Episcopi non sunt, nominatos vellent. Quibus tamen Ecclesiasticos ordines *adiungere ausi non sunt. Nimis enim clarum est, apud eos nihil ordinum sacrorum reliquum esse, sed omnibus*, si externam quandam politiam auferas, *tantundem esse potestatis.*

XLVII. Postremò quæro de Litanicis nostris correctoribus, cùm Germanicam linguam in precibus tantoperè necessariam vociferentur, cur Græcum Kyrie eleyson, Germanicè non conuerterunt? An eorum populus Græca iam intelligit? si respondeant a *vetus esse, Græcè precari, laudabo responsum, sed ab ijs petam, vt eadem lege nos Latinis nostris precibus, veteri nostræ Litaniæ, Catholicisq; omnibus dogmatibus adhærere patiantur: Omnia enim hæc perantiqua, & optima sunt.*

a *Vide D. Aug. ep.* 178

Cum facultate Superiorum.

FINIS.

EX CAES. BARONII S. R. ECCLESIAE CARDINALIS Notis in Romanum Martyrologium.

NIHIL antiquius, apud sanctæ Romanæ Ecclesiæ præsules, olim fuisse videtur, quàm vt Christianorum, acta fortia perpetuæ memoriæ monimentis non solùm traderentur, sed etiam maiori, cum qua fieri posset fide, & authoritate consignarentur. Neq; enim id solùm curarunt, vt summa cum diligentia perquirerentur, ac perquisita per notarios Ecclesiæ conscriberentur: sed & hoc præterea, vt sic conscripta per subdiaconos, & Diaconos cognoscerentur, ac demùm cognita per ipsos summos Pontifices probarẽtur ac reconderentur. De sancto Clemente ipso penè initio exurgentis Ecclesiæ, in libro de Romanis Pontificibus, *hic fecit septem Regiones diuidi notarijs fidelibus Ecclesiæ, qui gesta Martyrũ solicitè & curiosè vnusquisque per Regionem suam perquirent.* De sancto Fabiano ibidem, *hic Regiones diuisit Diaconibus, & fecit septem subdiaconos, qui septem notarijs imminerent, qui gesta Martyrum in integrum colligerent.* Nec solùm in Romana, verùm in aliis quoque nobilibus Ecclesiis hac in re haud segniter laboratum esse, clarissima antiquitatis monumenta testantur. Apud Eusebium hist. lib. 4. cap. 4. & lib. 5. cap. 2. & 3. libro 6. cap. 33. & 34. ac lib. 7. cap. 10. Apud Cyprianum Pamelij epist. 37. Apud Gregorium

Turonenſem de gloria Martyrum,c.51.& 64. Ac ſicut Romæ notariis, ita alibi quibuſdam ex Clero hoc negotium impoſitum,eo nimirum fine, præter cæteros, vt cuiuſque ſancti die natali.(ſic enim appellarunt ex hac vita ad cœlum tranſitum) conſcripta, per ſingulos annos, eodem recurrente die, in eiuſdem ſancti memoriā Deo ſacrificium offerretur. Tertullianus lib.de corona milit. Cyprianus eadem epiſt.37 Ex hac igitur nota dierum natalium ſanctorum martyrum, pro commemorationibus faciendis, martyrologij conſcribendi prouenit occaſio. Cùm enim eſſet frequens Martyrum numerus (decem namq; illis quæ numerantur perſecutionibus, in vnaquaq; prouincia necatos fuiſſe quamplurimos nemo dubitare poterit)atque in chartis Eccleſiæ ſingulorum nomina & dies quibus martyrium conſummaſſent,notata habērentur,ex his Eccleſiaſticis monumētis, quę faſti Tertulliano pridie diei natalis , quod hodie fit ex martyrologio, annunciabantur nomina in Eccleſia,quorum natalitia recenſenda eſſent die ſequenti, eorundemque vnà cum ſacrificio foret commemoratio facienda:ac recitabantur ſecundùm prærogatiuam ſtatus & meritorum, nec tantùm nomina martyrum, ſed aliorum quoque ſanctorum. Auguſt. lib.de ſanctis virginibus,ca. 45. Cæterùm quod ex tot nobiliſſimis actis,tot,tantorumque ſanctorum tanto labore collectis, tot cognitoribus comprobatis,tantoque demùm ſtudio cuſtoditis,tam paucis tabulę remanſerint (tabulæ inquam , quoniam ha-

469

integra, atque perfectè absoluta illa putamus, quæ titulo Notariorum Romanæ Ecclesiæ acta martyrũ à quibusdã edita habentur) in causa maximè, quod ad priora illa tempora altius, cum feralis illa sanctio Diocletiani Imperatoris, de qua idem Eusebius lib. 8. ca. 2. & 3. Arnobius, Optatus, & sanctus Augustinus variis in locis, tum eorumdem actorum adulteratio facta ab inimico homine ipso Sathana, qui veritatis aduersarius super bonum huiusmodi semen superseminauit zizania, dum falsa veris, inania ac incerta, certis, solidaque firmitate constantibus admiscenda curauit: Idque nos tantùm per hæreticos Catholicæ fidei perduelles, sed etiam per Catholicos ipsos eos tamen, qui quęstum pietatem putarent, vel qui zelum quidem haberent, sed non secundùm scientiam. Præter martyrologium ergo Romanũ, quod licet diuersis temporibus (vt auctus est subinde martyrum, atque aliorum sanctorum numerus) incrementum acceperit, meritò tamen iureque dicere possumus, quidquid sentiant nonnulli, non ab Hieronymo, non ab Eusebio, sed ab ipsis sanctæ Romanæ Ecclesiæ prothonotarijs, iam inde à temporibus sancti Clementis originem ducere quam plurima alia martyrologia, totque ferè, quot ipsæ Ecclesiæ fuerunt, sed hæc præcipua quę nunc extant, eaque antiquiora, quæ scripserunt Beda, Florus, Vsuardus, Vvandelbertus & Ado, quæ omnia, sicut etiam alia, quæ postea, prout Molanus Louaniensis Theologus in appendice de martyrologijs & sui

Vſuardi edi commemorat, diuerſis temporibus acceſſerunt, cùm ab ipſo Romano Martyrologio veluti riui è fontè manarint, non Hieronymi, non Bedæ, vel Flori, aut Vſuardi Adonis, aliorumve nominé eſſent inſcribenda, ſed Romani Martyrologij ab hoc vel ab illo aucti titulo, potiùs conſignari deberent.

INDEX EORVM QVAE HOC LITANIARVM

Libro continentur.

In prima Libri parte.

Pro die Dominica.

Pro Feria Secunda.

Pro Feria Tertia.

Pro Sabbatho.

In ſecunda Libri parte.

In tertia Libri parte.

Finis Indicis.

Nos Doctores Theologi legimus ſacrum hunc theſaurum Litaniarum & Orationum, quem diligentia & ſtudio incredibili collectum, non minori ad pietatem emolumento futurum ſperamus, & dignum qui in lucem prodeat ad religioſorum in animis bonorum & Catholicorum cultum excitandum iudicauimus, atque ita teſtamur 1598. Decemb. 10.

I. Roquenant. Hileſac.

FINE